
2 400 40
Safa
MADE IN SPAIN

R-5713

mè poſſides, & moderaris clementiſſimè, Te Monarcham legitimum ipſamet Inuidia, me demonſtrante, confiteatur. Hoc vnum ambio, hoc me adſecuturum eſſe ſpero

S. CATHOLICÆ M. T.

æternùm deuotus

I. Caramuel Lobkovvitz.

# O C C A S I O
## S C R I B E N D I.

ADHVC puer legebam, ſed impatiens, Gallorum illos Libros, quos audax mens dictauerat, & calamus exceperat inuerecundus. Eruditiſſima Volumina edidit his annis Gallia: floruit olim ingeniis; quorum lucubrationes fructificarunt applauſum, opinionem, famam. Hiſpani, Græci, Latini, & ferè omnes Auctores veteres iam eloquuntur Gallicè, induſtriâ & labore Interpretum doctiſſimorum. Omnium nationum ſcientias, proprias Gallia reddidit, cùm earum inſtitutiones in Gallicum idioma tranſtulit. Futura eſſet ſemper laudibus maior, ni inuidia ambitionem dedecoraret generoſam. Omnes non carpo, ſed ſolùm Scriptores illos, quorum iudicium offuſcat adulatio: reos ago, qui tales Reipublicæ peſtes permittunt. Non omnes Gallici Iuris intelligentiam profitemur: plerique legimus paralogiſmos illos, quibus Arroyus, Caſſanus, Scipio Dupleix, Scheuola, & Ludouicus de S. Marthâ, & alij Regem Catholicum de tyrannicâ vſurpatione incuſant, & ad vltima vtriuſque maris littora extendunt Regis Chriſtianiſſimi abſolutiſſimam iuriſdictionem. *Tam legitimo titulo*, inquiunt, *poteſt Rex Ludouicus conterminas regiones intercipere, quàm propriam retinere*. Quid ſi acquieſcerem, & ſtatim ſubſumerem; *Atqui tyrannicè conterminas Prouincias inuadit, ergo & tyrannicè retinet Gallicum ſceptrum?* Dura eſſet illatio Regi Galliæ; legitimè tamen exorta ex illorum principiis, qui prouidentiæ expertes ſibi proponunt ſcopum lucrum, & iaculum adulationem. Quos olim, inquam, puer rationibus conuincere non poteram, ſperaui vt abſentes, præſentes, terreret animus ætate maior. Ambio Legum notitiam, vt Catholici ius, quod mei Maiores armis fideliſſimè propugnauerunt, ſtylo demonſtrarem. Ne igitur legum ſtudium eſſet inefficax, illi coniunxi Metaphyſicum in Vniuerſitate Complutenſi. Dum ambiguis ſtudiis traherer, ſiue potiùs diſtraherer, nomen, Deo auſpice, dedi ſatis iuuenis militiæ Ciſtertienſi; vbi contigit intimam contrahere amicitiam cum Illuſtriſſimo D. Dionyſio de Portugal, Domini Antonij Filio, & Emanoëlis Regis Pronepote: à quo didici cauſſas atque rationes ſecretiſſimas, quibus Antonius ſuas partes defenderat.

Vrgentibus variis negotiis in Belgium venio; Bruxellæ ab Excellentiſſimo Domino D. Emanoële de Portugal, Illuſtriſſimi D. Dionyſij Fratre, & D. Antonij Primogenito excipior non vt hoſpes, non vt amicus, ſed verè vt filius. Fuit hic Excellentiſſimus Heros præditus generoſitate ſingulari, cui cælitus additum fuit ingenium feliciſſimum, & notitia linguarum admirabilis. Ita percalluit controuerſias, vt ad Angliam, Hollandiam, & alias Schiſmaticas regiones crediderim quà Hæreticomaſtigem diuinitus legatum fuiſſe. Ipſius liberalitas munificentiſſima donauit me Chirographis Domini Antonij: inter quæ reperi Teſtamentum quod propriâ manu proximus morti delineauerat, ex quo plurima licuit inferre ius Catholici demonſtratura.

Excellentiſſimus Heros Emanoël in cauſsâ fuit

vt ſecretiſſima diplomata legerem, & coniungerem apologias omnium Competitorum: ipſe in occaſione vt varios per litteras conſulerem; varios inquam Antonianos, qui profugi voluerunt priùs finem vitæ imponere quàm defectioni. Omnium rationes coniunxi; quas eneruo atque diſſoluo ſingulatim.

Dum Competitorum paralogiſmos ſedulo ſtudio examinarem, accidit vt in Luſitaniâ nonnulli turbarentur, & ſeditionis ſpeciem excitarent; hæc me ſolicitauit, vt ab aliis negotiis ſuperſedens hanc vnicam demonſtrationem agerem. Promouit editionem Sereniſſimi noſtri Principis Cardinalis fauor, qui maximi illos facit, qui ſe totos Regi Catholico dedicauerunt: inter quos meritò recenſendus venit D. Ludouicus Antonij nepos, & abnepos Regis Emanoëlis, qui mihi ſtimulos addidit his litteris.

*Nuebas de la ſalud de V. P. eſtimo, aunque mas ſu buena compañia: à cuyo ſeruicio no faltarè, ſiempre que quiſiere mandarme.*

*Hazeme V. P. tanta honra, que à no conocer lo Pygmeo de mis mericimientos, tubiera la merced por deuda, y eſtubiera en peligro proximo de vana gloria.*

*Honranme naturales y eſtraños con nombre de Principe de Portugal, pero eſtoy muy lexos de entenderlos. Porque ſi ſer Principe de aqueſte Reyno, es heredar ſangre Real de Monarcas inuictamente Luſitanos, y con ella obligaciones grandes de derramarla en ſeruicio de mi Rey y Señor Don Filipe el Grande, Quarto de eſte nombre en Caſtilla, y Tercero en mi Patria, nunca negarè tan generoſo titulo. Pero ſi con el pretende la adulacion de Gente menos cuerda ſignificar otra coſa, no admitirè renombre tan deſencaminado, pues ſolo conoſco al Rey nueſtro Sr por Principe de Luſitania. Eſta verdad no e dexado de apoyar con las armas, procurando conſeruar con rieſgos de mi vida el credito de mi Perſona.*



*Guſtaria infinito, que V. P. como quien tan de rayz conoce los terminos de eſta difficultad, me hizieſe merced de informar al mundo por eſcrito de puntos que en confidencia emos tratado algunas vezes, paraque conſte à todos mi buen zelo, y la juſticia de las armas de Don Filipe el Sabio ſuceſor legitimo de Rey Henrique. en orden à eſto le offreſco à V. P. aſſiſtirle con mi Perſona, hazienda, libros, y qualeſquier papeles que le puedan ſer de prouecho para hazerle eſte ſeruicio al Rey nueſtro Señor. Y quanto es de mi parte, quedarè yo muy obligado à ſeruirle mucho à V. P. à cuya Perſona de Dios el pueſto, que ſus Letras merecen, y guarde por largos y felices años. de Bins, Octubre 4. de 1637.*

## MYSTICA ICONVM EXPOSITIO.

Volui hoc Opus ſelectiſsimis figuris exornare: volui mentis meæ ideas credere penicillo, qui inuito tempore æternùm tibi reſtituet Luſitaniæ Reges rediuiuos, vt adſpecti inſtruant, qui exigunt venerationem cogitati.

## STEMMA LVSITANICVM.

Pingitur in ſuperiori ſcuti parte Crucifixus ſplendidiſſimis radiis ornatus, qualis aſſeritur Regi Afonſo apparuiſſe. Vide deſcriptionem ecſtaſeos, quam ipſe Rex ſub iureiurando ediſſerit, *paginâ* 116. Pendentis Chriſti Domini imago eſt Clypeus Luſitanicus, vt conſtat ex ipſius ſtemmatis inſtitutione. *Præcipio ſucceſſoribus meis*, ait Rex Afonſus, *vt ſcuta quinque in crucem partita, propter Crucem & quinque Vulnera Chriſti, in inſigne ferant, & in vno-*

*quoque triginta argenteos; & ſuper, ſerpentem Moyſis ob Chriſti figuram.* Hæc Luſitanici ſcuti delineatio correſpondet præcepto Domini indicentis: *Inſigne tuum ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex quo ego à Iudæis emptus ſum, compones.* Chriſtus autem Dominus triginta argenteis emitur, & quinque vulneribus nos emit Deo. Olim in ſingulis ſcutulis argentei triginta pingebantur; cumque in ſigillis minoribus tantus numerus non poſſet exprimi, decretum eſt ab ipſo Afonſo, vt quinque orbes candidi ſingulis ſcutulis inſcriberentur: tum, quia quinquies quinque ſunt XXV. quibus ſi addas quinque ſcutula, habebis argenteorum numerum deſideratum: tum, vt numerus quinarius, qui apud Luſitanos fauſtiſſimus, vbilibet exprimeretur. Hic numerus index eſt Vulnerum Chriſti, quæ Luſitani innatâ deuotione colunt. Hic illam celeberrimam victoriam exprimit, quam in Ouriquio campo obtinuit Afonſus, vbi cecidit quinque Reges.

Olim Crux erat Inſigne Luſitaniæ: hanc Afonſus formauit quinque ſcutulis Chriſti Vulnera ſignificantibus; nullibi enim aptius Domini Vulnera collocantur quàm in Cruce; ſuperpoſuit galeam coronatam, & ipſi Moyſeos draconem inſidentem. Omnia hæc connectunt Diſticha:

[a] Numer. 21, 8. 4. Reg. 18, 4.
[b] Monarcha Cruciger, quia Crucem habebat pro inſigni.
[c] Lunæ ſunt inſignia Maurorum militaria.

*Prototypi Chriſti transfoſſi vulnere quino*
*Aeneus eſt Moyſi vera figura* [a] *Draco.*
*Quinque Crucem clypeis* [b] *Cruciger, quia Marte ſubegit*
*Maurorum Lunas quinque, Monarcha tulit.*
*Quolibet in* [c] *clypeo formauit ſtigmata quinque,*
*Vt cor ſit clypeo Chriſtus & altus apex.*

Ioannes III. Luſitanicas Quinas (ſic ipſi nominant) ſeptem caſtellis circumcinxit Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ ſignificantibus. Vide ea quæ expendo in meo Hiſpano Stemmate, capite VIII. conceptu primo.

## FRONTISPICIVM.

Fortuna nonniſi politicum eſt cælum, cui conſonat in inconſtantiâ: ad apogæum euexit Lauros & glorias Luſitanicas. Eſto huius Prouinciæ inuictæ ſtemma cæleſtis epicyclus, quinque peltis ſeu ſcutulis Mauricis in Lunæ figuram expreſſis exornatus. Lunatas parmulas depinxi, memor illorum Regum, quibus inſigne Luna: illorum, inquam, quos deleuit Afonſus, primus Monarcha Luſitaniæ. Hæc victoria euexit ad Fortunæ obſidem imperium & famam Luſitanicam, iter & modum ſubiecto Tetraſticho exprimente:

*Vnica cæleſti* [a] *Phœbe regione refulget,* — [a] φοίβη, id eſt Luna.
*In Luſitano ſtemmate quinque micant.*
*Victa, eclipſata, Victoris ſtemma figurant;*
*Dant vires Mundo, dant tibi Olympe viros.*

Caput Draconis ſectio eſt Lunæ Orbitæ Zodiacique: retrocurrit, iuxta Copernici definitionem, ſingulis diebus, tribus minutis, ac proptereà ſingulis annis grad. 19. & 20. ſcrup. Hinc eſt quòd Draconis caput ſæpiſſimè ſubfuerit Leonis ſigno, & ſæpè iugum excutiens fuerit regreſſum. Cæleſtis Draco, ſed reuerſurus, Leonem effugit.

Leo coronatus, Regem Leonis indigitat; illius, inquam, Regni, quod Leo olim, ſed Legio inpræſentiarum nominatur. Draco Portugallenſi ſcuto impoſitus, index eſt Luſitaniæ. Hæc olim Leonis Regi ſuberat: Leoni enim & Portugalliæ præerat Alfonſus Magnus, qui dedit Ordonio filio ſuo Portugalliam. Separata fuit à Leone Luſitania,

nia, ſed reuerſura; quia ſub principium anni 1064.
*Vide paginas* 6.7. 97. reperio Fernandum Magnum Caſtellæ, Leonis, & Luſitaniæ Regem: poſt cuius obitum iterùm à Leone diſceſſit Luſitania ſub Garciâ proprio Rege. Iterùm vnitam Leoni Luſitaniam ſeparat, quoad proprietatis dominium Alfonſus VI. Caſtellæ Rex anno 1094. dans Tarejam filiam ſuam Comiti Henrico, & in dotem Comitatum inuictæ Portugalliæ: quoad ſupremam iuriſdictionem, à Leone hoc Regnum abſtrahit Afonſus Henrici atque Tarejæ filius, cùm inuito Leonis Rege coronatur. Ecce Luſitania ſæpè, reuerſura tamen, inuicto Leoni valedixit; tandem auſpiciis Philippi Prudentis, Leonis Regis, numquam diſceſſura, ſubigitur.

Ecce curioſam proportionalitatem, ſi cæleſtium contemplatione delecteris: ita Lunarem Draconem Leoni compara, vt Regi Leonis Luſitanicum. Vtrumque reſpicit hoc Epigramma delineationi ſuperpoſitum, & explicans conceptum myſterioſum.

*Sæpè reuerſurus fugit* [a] *Draco ſigna Leonis,*
*Sæpeq́ reſtituit colla ſuperba pedi:*
*Nec fugiet. Capitur iuſtè; defendere* [b] PRVDENS
*Armatis* [c] *manibus ſcit ſua iura* LEO.

[a] Luſitania.
[b] Philippus Prudens quà Leonis Rex.
[c] *Manibus*, id eſt *exercitibus*.

## REGVM EFFIGIES.

Expreſſerunt varij auctores Imagines Portugallenſium Regum. Exſtant in Aulâ Vlyſſiponenſi ad viuum, vnde diligentia Marizij eas excepit; in hoc infelix, quòd nactus fuerit ſculptorem incurium. Vaſconcellius apud Belleros editur anno 1621. Regum omnium effigies continens, ſed non ad viuum: etenim penicillus audax eò reſpexit, vt pulchras potiùs efficeret quàm veras: alij aliter delineauerunt. Mediâ viâ inſiſtens, Marizias effigies donaui ſubtili perfectione, & Vaſconcellias veritate, nactus Pictorem celeberrimum E. Quellinum, & C. Gallæum optimum ſculptorem. Vterque in ſuâ arte perfectiſsimus ſolertiâ ſummâ ſatisfecit. His felices delineationes debes; Domino autem Balthaſari Moreto, & mihi, eos impendiſſe, vt ſeruiremus tuæ curioſitati.

# PRÆLVDIVM
## AD LECTOREM.

SECVNDO, *tertio & quarto Libro obſoletos titulos reuoco, quibus iuſtiſſimè potuit Catholicus Monarcha ad Regni coronam adſpirare: volui eos ſæpè intermittere, ſed non licuit per Gallos, qui Catharinam ſuam tuentur non niſi iure, etiam ſi eſſet verum, decrepito. Placuit conſulere curioſitati, & ita hanc materiam diſcutere, vt nihil non examinarem. Ideò breuiùs præſtrinxi antiquos illos titulos, vtpote quos minoris facio. Libro quinto ex profeſſo controuerſiam exagito quæ anno* M.D.LXXX. *diſputabatur. Huius cognitio intentum eſt operis, & ſcopus quæſtionum præmiſſarum.*

*De Pontificis auctoritate venerabundus tracto, & ad Eccleſiaſticas res directam limito; ſcio enim illum poſſe indirectè facere quæcumque neceſſaria fuerint Eccleſiæ conſeruandæ. Ceterùm, cùm Eccleſiæ perennitati non noceret legitima Luſitanorum Regum ſucceſſio, cenſeo iniurios eſſe Pontifici, qui crediderint, eum aliquando contra Luſitanica iura dediſſe Coronam Luſitaniæ. Hac ideâ inſtructus perlege Librum ſecundum & primam Diſputationem quarti; vbi de directâ Pontificis auctoritate diſſero: non enim, vt vidimus, indirecta inpræſentiarum locum habet.*

*Regna & feuda ſpiritualia admitto; quæ conſiſtunt non in politicâ ſubordinatione, ſed in ſubmiſſione aliquâ incorporeâ ex merâ deuotione natâ. Admiſerat ante me Dominus Brandao, quem cito & ſequor Libr.5.Diſp.1.n.35. Eſt doctrina optima vt Pontificum decreta defendamus, quæ malè expoſita lædunt Eccleſiaſticam auctoritatem. Obÿt nuper Madriti Carolus Archidux Auſtriæ; & declaratur vt Rex Monaſticus à variis Religionibus: ex cuius declarationis vi non adquiſiuit, nec adquirere potuit politicam iuriſdictionem, vtpote poſtumus; adquiſiuit tamen ius in ſuffragia Eccleſiaſtica. Ex vi iſtius declarationis ſinguli Religioſi tenebantur tot ſacrificia pro illo offerre, quot pro Regibus Hiſpanis aſſolent. Omiſſâ indirectâ illâ Pontificis auctoritate, quæ hîc locum non habet, Pontifex poteſt dare titulos ſpirituales & myſticos vbilibet, & hos directè; poteſt & ſæculares in Territorio Eccleſiaſtico, in quo eſt verus Monarcha. Ita Lib.2. num.16. Ceterùm nec omnia bona dare poteſt, ſed illa vnicè quæ perſonæ Pontificis ſunt data, non quæ Apoſtolicæ Sedi, non quæ Eccleſiæ: hæc enim vltima non ad Pontificem ſed ad Eccleſiam pertinent; & ideò non niſi ab Eccleſiâ poterunt alienari. Ita Libr.5. Diſput.3. num.107. Hinc conſtat, Patrimonium Eccleſiaſticum eſſe duplex, aliud Pontificis, & aliud Sedis Apoſtolicæ. Hæc doctrina conſonat Conſultiſſimis viris, qui etiam in Regno diſtinguunt bona Regis & bona Coronæ. Vide inter alios Michaëlem Aguirre Part.1. num.41. 42. apud Beſoldum.*

*Præſcriptionem non reperiri in iure naturali affirmo cum omnibus Iuriſconſultis; pertinet enim ad iura poſitiua, pro quorum varietate eſt varia. Doctiſſimi viri in Sceptro admittunt præſcriptionem; Galli ſibi nocent, cùm negant: ſi concederem, non nocerem intento, officerem tamen veritati. Non intelligam præſcriptionem in Sceptro, vel aliâ supremâ auctoritate, quouſque rationi, quam Libr.2. num.38. attigi, fiat ſatis.*

*Cognato Agnatam præponi non debere doceo paginâ 420. quapropter nec Catharinam Philippo Hiſpaniæ Regi. Dedi auctores aliquot; præter quos in eâdem ſententiâ reperi alios Auctores illuſtriſſimos, quorum præcipui Ioan. Ananias* Conſil.4.dub.2.verſ. Sed quorum agnatorum. lib.5. *Alexander* Conſilio 188. colum. 2. ad fin. lib.6.

 *Aimon*

*Aimon Crauet*. Conſ.180.& Conſ.250.& Conſ.306. num. 5. & Conſil.210. num. 3. *Alciatus* Conſil. 69. quod incipit, Viſis his. colum. 1. *Antonius Gabriel* libr.6. de Verb. ſignificatione, concl.6. numero 50. *Baldus* Conſil.473. Circa quæſtionem.colum.3.n.5. verſu, Sed quorum agnatorum. libr. 5. *Paulus de Caſtro* Conſil.190. Nouiter, col.1. num.3. verſ. Sed aduertendum eſt. libr. 2. *Pariſienſis* Conſilio 22. numer.41. & Conſil.40. num.43. libr.3. *Pedemontanus Senatus* Deciſ. 127. num. 4. *Brunus* in Tract. de Statutis feminas excludentibus articul.5. quæſt.13. num.27. & artic.6. memb.1. quæſt.2. numer.75.& artic. 12. num.128. *Mar. Soc. Iun.* Conſil.1. num.115. volum.1. & Conſ.30. colum.6. vol.1. & Conſ. 9. volum.3. & Conſ.10. colum.1. volum.2. *Franciſcus Albertus* Conſil.152. *Angelus* Conſilio 281. *Cornelius* Conſil.13. colum.3. verſ. Et habeo. libr.2.& Conſilio 336. primo Conſultationis articulo, columm.3. num.7. verſ. Idem etiam in ſimili. libr.1. & Conſilio 229. colum.3. libr.2. & Conſil. 271. libr.4. *Decius* in Rub. Vnde legit.& in l.2. nu.95. de Reg. iuris, & in Conſil.13.col.2.& Conſil.563. & Conſil.589. ſub finem, *Tiraquellus* de Retractu §.1. gloſſ. 9. numero 192. *Riminaldus* Conſil.121.lib.1. *Michaël de Aguirre* in Apologiæ pro Philippo II. Part. 2. numero 131. *apud Chriſtophorum Beſoldum* Conſilio 1. *Quod & confirmatur doctrinâ eiuſdem Michaëlis, quam expendit & probat* citatæ Apologiæ 2. Part. nu.171.

*Repræſentationem in Luſitanorum Regno non admitto; quia excludi legibus particularibus oſtendo Libro 5. Diſputat.8. Quæſt.2. à num. 3. paginâ 398. Ceterùm, contra illam doctrinam occurrit clauſula ex Afonſi V. Epiſtolâ ad* Comitia Regni, *quam dedi paginâ* 319. *vbi ſic tranſtuli*: Decerno, quòd ſi acciderit, id quod Deus auertat, nempe quòd Princeps meus præ reliquis amatus & æſtimatus filius (*nempe Joannes II.*) obeat ante me, ſi ex eo ſuperſit legitimus filius ſeu filia, ille aut illa heres ſit Regnorum, videlicet Luſitani & Algarbici, non verò alius meus filius aut filia. *ex quâ arguis ſic: Si non daretur Repræſentatio in Sceptro Luſitanico, filius ſecundus deberet præponi nepoti filio primogeniti ante patrem defuncti; atqui contrarium ab Afonſo V. decernitur: ergo in ſucceſſione Sceptri non eſt excludenda politica Repræſentatio.*

*Reſpondeo, hac Afonſi Epiſtolâ duo puncta aſſeri, nempe Feminas eſſe capaces Sceptri, nec non Repræſentationem in Sceptro Luſitaniæ non cognoſci. Paginâ* 319. *indicaui quoad primum, hanc Regis declarationem conſonare communi Juri & Hiſpanorum intemerandis legibus: aſſerui numero* 27. *non condi nouum ius, ſed vetus confirmari. Addidi, Regum declarationes (nempe ſi à Regno admittantur) debere haberi quaſi leges. Cumq; hæc Regis Afonſi V. declaratio, in quantum aſſerit Feminas debere admitti in Regum ſucceſſione, ſit à Regno admiſſa à multis annis, debet habere legis vim. Eadem autem declaratio in quantum Repræſentationem eliminat, cùm legibus antiquis Luſitaniæ opponatur, & facta ſit priuatim extra Comitia, & à Comitiis non fuerit confirmata, vim legis obtinere non poterit; imò Repræſentationem eſſe contra ius Luſitanicum colligo ex eâdem Epiſtolâ, paginâ* 415.

*Accedit, quòd licet admittamus, hac Epiſtolâ Repræſentationem in Luſitaniam introduci, nihil ſequetur, quod nobis perſuadeat Repræſentationem locum habere in præſentiarum. Ratio eſt; quia ex hoc teſtimonio etiam male expoſito ſolùm ſequitur, Repræſentationem directam debere in Sceptro admitti, non verò tranſuerſalem: cumq; in præſenti*

*ti lis ſit de ſucceſſione tranſuerſali, directa Repræſentatio nec prodeſſe nec officere poteſt. Herculè, quidquid ſit de directâ Repræſentatione, indirectam non reperiri in Sceptro Luſitanico benè notauit Michaël Aguirre* in Apologiæ pro Philippo II. Parte 1. num. 206. *apud Chriſtophorum Beſoldum* Conſ. 1.

*Regnum ſupremus Maioratus eſt, non ſubeſt legibus particularium Maioratuum, ſed ſubditur inſtitutioni propriæ, & communibus Maioratuum legibus, quæ nullo modo ſunt inſtitutioni ipſius contrariæ. Eapropter paginâ* 127. 283. 290. & 401. *affirmo, de Maioratu Regio vt de omnibus aliis philoſophandum eſſe, quando deſint leges particulares; quia à legibus & inſtitutionibus Maioratuum priuatis non debet Dignitas Regia dependere, vt expendo paginâ* 333.

*Addo paginâ* 334. *hæc verba:* Datis legibus de ſucceſſione Regum, & deficientibus de ſucceſſione alicuius Maioratus, ſucceſſio in illo Maioratu debet eſſe ſimilis non iuri communi, ſed iuri Regio. *Hæc veritas facilis eſt, ſi ſemel ſciamus, Maioratuum ſucceſſionem ſolùm ſubiici legibus poſitis in ipſâ inſtitutione; vnde diuerſi Maioratus habent regulas varias, quæ nihil aliud ſunt quàm priuata ſucceſſionis iura, auctoritate publicâ approbata. Si in Maioratus inſtitutione declaretur, ſucceſſores debere ſuffici iuxta commune ius, tunc id in priuatum tranſit: eodem modo philoſophor, ſi detur Prouincialis lex, indicens vt ſucceſſio illorum Maioratuum, in quorum inſtitutione contrarium non decernitur, ſit ſimilis iuri communi. Quòd ſi alicuius Maioratus ſucceſſio non habeat regulas particulares, nec detur lex Prouinciæ nec conſuetudo (hæc enim interpretatiuè eſt etiam lex) reducens ad commune ius exleges ſucceſſiones, tunc debet ſubeſſe Maioratus priuati ſucceſſio iuri Regio, vtpote præcipuo & principali. Quod benè adnota, quoniam ſæpiſſimè prodeſſe poterit.*

*Eſt quæſtio celeberrima, vter debeat præponi in ſucceſſione, filius maior Principis nondum Regis, an minor, ſi eiuſdem iam Regis. Puta, Afonſus II. Luſitanorum Rex, antequam Patri ſuo ſuccederet, habuit Sancium, poſtquam fuit Rex, Afonſum: petitur; Vter debeat Petro ſuccedere, Sancius an Afonſus?*

*Reſpondeo. Stando iuri communi, vtrumque eſt probabile. Credunt aliqui excludi debere à Sceptro Luſitanico filium maiorem nondum Regis; quoniam ita ſentit Acurſius & Bartolus: quorum ſententiæ Luſitanico Regno ſunt leges. Vide paginam* 363. *numero* 95. *Item, quoniam excluſo Roberto, Mathildis Comitiſſæ Bolonienſis & Afonſi II. nondum Regis filio, approbante & conſentiente populo ſufficitur Dionyſius, quem ex Beatrice habuit Afonſus iam Luſitaniæ Rex. Verùm hæ rationes non vrgent; quia Acurſius & Bartolus admittitur in dubiis & difficultatibus quæ ex iure proprio non poſſunt declarari; cúmque de facto ſine contradictione ſucceſſerit Patri poſtumo Sancius, & non Afonſus, ſequitur hoc fuiſſe ratum in iure Luſitanico, vt noto paginâ* 365. *§. Ceterùm. Robertus autem non excluditur à Regno, quia erat filius Afonſi nondum Regis; ſed quia non erat filius Afonſi. Igitur iura Luſitanica poſtulant vt maior minori filio præponatur.*

*Probationum aliæ reſpiciunt factum, aliæ ius. Illæ ſunt merè Hiſtoricæ; pendent ab inſtrumentis indubitatæ auctoritatis. Hæc quò magis publica, eò magis ſunt infallibilia. Talia ſunt Maioratuum inſtitutiones, donationes, vltimæ voluntates, priuilegia, condemnationes, inſcriptiones lapidum, & epitaphia. Secundæ auctoritatis illi Scriptores ſunt, qui Hiſtorias ſui temporis publicauerunt. Auctoritatis*

ritatis infimæ illi, qui antiqua referunt, non tamen probant. Prodeſt etiam traditio, & communis modus opinandi.

In iure Luſitanico (Ordinationum libro 2. titulo 5.) decernitur, quòd omnia dubia ex Regni Legibus primariò decidantur. Ita Afonſus Lucena & Felix Texeira in allegationibus pro Principe Duce Catharinâ quæſtione 4. numero 17. Quod conſonat ſententiæ Baldi, Matthæi de afflictis Deciſione 226. numero 4. & 51. Antonij de Gamâ Deciſ. 307. numer. 21. Leges Regni conſtat probabiliter eſſe illas, quas Rex Afonſus I. Lamegi tulit; & inferiùs inuenies Libro 2. numero 10. His ſanè Legibus non concedo euidentem, ſed probabilem auctoritatem, ſubſcribens Brandaoni Monarch. Luſitan. libro 10. capite 13. Lex probabilis poteſt ſecunda admitti, & reijci, ſi fuerit aduerſaria. Lamegenſes ſemper admitto; & quas reijcere poſſem, paginâ 250. expono. Legibus Regni adnumero Regum Teſtamenta, contractus, Epiſtolas, ſi non priuatim ſed publicâ auctoritate facta.

Præterea, ſi quidpiam non decidatur Legibus Regni Luſitanici, ad Leges Hiſpaniæ recurrendum eſſe ſtatuit Ordinationum idem liber titulo 2. §. 1. conſonans text. in cap. Cùm olim. de Conſuetud. cap. Super eo. & ibi gloſſ. pænult. de Cogn. ſpirit. Notant Paulus de Caſtro, Aretias, Rochius, Burſatus, Boërius, quos refero & ſequor Libro 5. Diſputat. 4. numero 5. Inter Hiſpanicas, præcipua apud Luſitanos illa quæ Leyes de las partidas nominantur. Vide Libr. 5. Diſputat. 3. num. 138.

Quidquid nec Luſitanicâ nec Hiſpanâ Lege poſſit reſolui, ex Cæſarum legibus determinetur. Ita Ordinationum libr. 2. tit. 5. §. 1.

Cúmque Cæſareum Ius ſæpè ſit intellectu difficile,

&

# LAVS LVSITANIÆ.

Regnorum Regina potens, quam Solis ab ortu,
Solis ad occaſus Orbis vterque colit.
Regna tibi Regeſq; Deo [a] fuit vtile vinci;
Et, cur ſe victum gaudeat, hoſtis habet.
Vana Superſtitio veſtris procul exulat oris,
His vult priſca Fides cum Pietate coli.
Dira lues imis gliſcens Mauruſia venis,
Quàm citò, quàm validâ lerna reſecta manu!
Vna dies [b] centum Maurorum millia vidit,
Millia Maurorum perdidit vna dies.
Prodigium [c] eſt, quantos Turcarum ſcandis aceruos;
Quot generoſa tuo ſub pede colla iacent.
Inſultare iuuat tibi nunc Sultane, triumphi
Pars quota tu noſtri, pars quota laudis eras?
India diues opum fuit haud tibi cauſſa viarum;
India virtutum ſed tibi cauſſa fuit.
Barbara barbaries proprijs immerſa tenebris!
Quamuis ſole calent corpora, corda carent.
Optat & ardet opem tibi [d] Lyſia ferre; ſed obſtant
Æquora & emenſo mille pericla mari.
Non tamen hæc terrent; ſed tendit in ardua Virtus:
Nec iuuat ex facili ſecta corona iugo.
Inuia virtuti nulla eſt via: Lyſia, noſtras
Fertilis in palmas India, dixit, erit.
Dixit, & extremo poſitas ſub Veſpere terras
Luſtrat, & illuſtrat pectora cæca fide:
Quà graditur fulgens clypeo & [e] cæleſtibus armis,
Pulſa ſuperſtitio, fanaq; lapſa ruunt.
Sponte ſuâ regio ſubdit tibi [f] Congia faſces;
Quemq; ignorat adhuc, inuocat illa Deum.

[a] Vide verba Chriſti alloquentis Afonſum primum Luſitanorum Regem, pag. 116.

[b] Memorabili prælio ad Carteiam 200000. Maurorum cæſa.

[c] Celebris victoria de Salado, quâ Afonſus IV. fudit Mahumetanos.

[d] Luſitania.

[e] Inſignia Luſitaniæ quinque Vulnera cælitus Afonſo I. exhibita.

[f] Congi Rex legationem mittit ad Philippum II. & Paulú V. Pontificem.



Quid

g Indorum plurimi Reges Chriſtiani.

h Vrbes à Luſitanis ſubactæ.

*Quid memorem toto [g] victos Oriente Tyrannos*
*Colla Dei placido ſuppoſuiſſe iugo.*
*Victa [h] Ceilanum, Malabarica, Jaua, Molucæ:*
*Nomina ſunt ipſo pæne tremenda ſono.*
*Dicere difficile eſt quot habet Victoria palmas:*
*Non ſatis in palmas India tota tuas.*
*Vince mari, iam terra tua eſt noua cauſſa triumphi;*
*En [i] pirata tuas qui vocat ecce rates.*
*Adnuit, & ſubitò cogunt data claſsica claſſem.*
*Prædo miſer! prædæ pars fuit ille tuæ.*
*Viuat io! fauſtis io Portugallia cœptis*
*Perge, breuî portus totius Orbis eris.*
*Iure tibi Heſperius pendit vectigal Eous:*
*Tu Chriſto Eoos ſubdis & Heſperios.*
*Tot ſpolijs diues, tantis ſaturata triumphis,*
*Gemmis clara, ſuo fulget opima Tago.*
*Aſt bona tot quantis liuor petet vndique telis!*
*Poſſeſſæ cruciant ne rapiantur opes.*
*O quis erit cultor, quis cuſtos diuitis horti?*
*Quis dabit ipſa tuis tuta fruare bonis?*
*Quis viduata ſuo defendet Regna Monarcha?*
*Quæ ſatis apta manus orphana ſceptra reget?*
*Pone metum; veniet præſens tutela Philippus:*
*Ille tui, victrix Lyſia, Rector erit.*
*Ex ſe pendentem totum dum conſpicit orbem,*
*Nil niſi te ſolam, quam tueatur, habet.*
*Ille Pater patriæ, faciet te parta tueri,*
*Ille dabit tantas ne ferat hoſtis opes.*
*Jure Patrem patriæ gens Luſitana Philippum,*
*Iure vocat natos hic pater ipſe ſuos.*
*Sed quid ego hæc? meruit claros ea cauſſa patronos.*
*Lis eſt arbitrio non dirimenda meo.*
*Caramuelus adeſt, iuſti librator & æqui,*
*Et Themidos magnus Myſta, ſacerq; cliens:*

i Delent piratas Mamorâ corum nido expugnatâ.



*Quem Grudio certans Sapientum turba Lyceo*
*Abdita [k] rimantem vidit, & obſtupuit:*
*Et Sophiæ ſacrâ redimitum tempora lauru,*
*Eximio meritum iuſſit honore coli.*
*Caramuelus adeſt magno ſua ſceptra Philippo*
*Monſtrans iuſta, quibus Lyſia Regna regat.*
*Lyſia viuat io virtute inuicta Philippi:*
*Ipſe ſuo inuictus robore, & illa ſuo.*
*Iura Philippe tua hoc tanto tueare Magiſtro:*
*Iure tibi ſolitas India portat opes.*
*Rex felix Regnis, felicia Regna Philippo.*
*O Vir, non ipſo, quem regis, orbe minor!*
*Rex & Regna ſimul felicia vindice tanto;*
*Cui vix quæque parem ſæcla tulere virum.*

k Steganographia Trithemij hactenus incognita ab eo elucidata.

Cecinit ANDREAS ALOYSIVS
DE ZAMORA.

# ERYCI PVTEANI,
## CONSILIARII, HISTORIOGRAPHI, ET PROFESSORIS REGII
## DE HOC OPERE IVDICIVM.

SIQVIS Europam in Orbe terrarum quaſi Reginam conſideret, Hiſpaniam capitis, Luſitaniam verò coronæ imagine circumſcriptam inueniet. Coronæ, ſed Radiatæ: quæ tum demum pleno fulgere cœpit iubare, cùm à PHILIPPO, verè PRVDENTE, maieſtatis ἀκτινοβολίαν accepit. Iura ſiue Diuina ſiue Humana conſulantur, alium ſpoliata SEBASTIANO ſuo & paulò pôſt HENRICO prouincia habere Dominum non potuit, quàm qui Legitimus erat; hic autem PHILIPPVS; Patrem veriùs, quia maiorem imperio affectum adferebat. Hæc Iura variè quidem, & à varijs expenſa ac diſputata ſunt; neque poſt arma calami ceſſauêre. Ab vno tandem, ſi ingenium, doctrinam, eloquium ſpectes, Magno, Eximio ac Diuino planè Viro, D. IOANNE CARAMVELIO, extra controuerſiam & ambiguitatis aream aleámque collocata. Veras hîc Legitimæ Succeſſionis lineas video, in lucem ac notitiam luculentâ Diſquiſitione prolatas; fallentem autem opinionis ſiniſtræ fucum bonâ fide deterſum. Clara & diſtincta tota ſcriptio eſt, Rationibus ſolida, Auctoritatibus robuſta. Breuiter dicam: Siquid in tam arduo argumento vel noctis vel crepuſculi reliquum erat, Veritatis radio diſſipatum eſt. Etenim, faces quidem hactenus homines Boni & Docti in ſubſidium cauſſæ, velut tenebris obluctantes, accenderant: ſolus CARAMVELIVS Solis inſtar, clariſſimum cælitus diem, remotis omnibus nebulis nubibuſque inuexit. Quæ ſumma eſt, & ipſo expreſſa Operis titulo, PHILIPPVS PRVDENS LVSITANIAE, ALGARBIAE, INDIAE, ET BRASILIAE LEGITIMVS REX DEMONSTRATVS.

Sic ſentio, ſic ſcribo

ERYCIVS PVTEANVS.

Louanij, in Arce, VI. Eid. Iunij, M. DC. XXXIX.

EPÆ-

# EPÆNETICON
## IN AVCTORIS LAVDEM.

*HOc qui legetis ſcripta Volumine,*
*Caramuelis ( dicite poſteri)*
*Mens hîc relucet, abditoſque*
*Ingenium penetrans receſſus,*
*Obliuioni tradita reddidit,*
*Et perſpicaci mentis acumine*
*Dudum ſepultam Veritatem*
*Ambiguo patefecit Orbi.*
*Fumoſa Regum ſtemmata, dentibus*
*Quæ tempus atrox roſerat inuidis,*
*Antiquitatis ruminator*
*Ad rigidam ſeriem reduxit.*
*Hos Luſitani Regni anademate*
*De Jure ſolos nominat inclytos,*
*Quos ex Thareiæ Patre monſtrat*
*Legitimo genitore natos.*
*Hi ſunt Monarchæ Legionenſium,*
*Hi quos Iberus poplite cernuo*
*Septemdecim Sceptris potentes*
*Et meritis grauidos adorat.*
*Hi quos per omnes Fama vehit plagas,*
*Æquatque Olympo, quos ſtatuit Deus*
*Exempla Regum, Principumque,*
*Auſtriacos quatuor Philippos.*
*Quem Martis enſis ſoluere neſcijt*
*Nodum, puſillo temporis ambitu*
*Caramuelis maior enſe*
*Præualuit benè nota Virtus.*
*Ad magna magnis ingenijs via eſt.*
*Ex hiſce Lector collige, ſi potes,*
*Caramueli quanta mens eſt;*
*Nam digitum Polyphemus offert.*

Accinebat D. Bernardus Bottyn
Dunenſis Relig. &c.

IN

## IN AVCTORIS LAVDEM
### Anagramma.

IOANNES CARAMVELIVS.
MARO, LIVIVS, AN SENECA.

*PRincipibus functis das vitam; illi tibi famam:*
*Alterius ſic res altera penſat opem.*
*Auctorem libri mens eſt tibi noſſe? rogato,*
*Si ſit fortè* MARO, LIVIVS, AN SENECA?

REGNIS LAPSA IVNGIS.

### Aliud.

IOANNES CARAMVEL.
O MANVS ÆNEA CLARI.

*DExtera Caramuelis ouat, non indiget armis*
*Aenea, victrici cauſſa timoris abeſt.*
*Non timet inuidiam, manibus qui ſæpè momordit*
*Herculeis dentes ferreus inuidiæ.*
*Non timet hoſtiles hæc Aenea dextera dextras,*
*Horret inhumanas nec manus iſta manus.*
*Externus reliquas, ſed Mars intrinſecus iſtam*
*Armat naturâ, non tamen arte manum.*
*Quod Marte externo partum violentia ſumit,*
*Quod partum proprio Marte perire nequit.*

D. Benedictus de Bacquere
Dunenſis Religioſus.

PHI-



# PHILIPPVS PRVDENS CAROLI V. IMP. FILIVS LVSITANIAE LEGITIMVS REX DEMONSTRATVS.

## PROOEMIVM.

### §. I.

### *Breuis deſcriptio Luſitaniæ.*

HISPANIA à *Pane* dicitur, qui Deus æternè-vniuerſalis; ſic à Græcis cognominatus, quòd πᾶν, hoc eſt *omne*, in ſuâ comprehenderet omnipotentiâ. Cauſſam nominis dedi in libro Hiſpani ſtemmatis, capite primo. Regio eſt Occidentalis; atque ideò non raró audit Heſperia, ab Heſpero Planetâ veſpertino. Diuiditur in tres Prouincias, Bæticam, Tarraconenſem, Luſitanicam. 1. *Hiſpaniæ etymon.* *Diuiſio Hiſpaniæ.*

Huic vltimæ quis nomen dederit, adhuc ſub iudice. Texeira ad Luſum Regem recurrit antiquiſſimum, filium Liberi patris; alij ad Lyſam ipſius Liberi ſocium cum Luſo bacchantem: vnde Luſitania ſæpiùs, non raró Lyſitania, apud optimos auctores dicitur. Texeira in Compendio de Portugalliæ ortu pag. 3.

*Luſitaniæ limites.* Circumſcribebatur olim diuerſis finibus: mutatis autem rebus & gentibus, quid mirum ſi & limites Regionis variarint?

*Gallorum expeditio in Hiſpaniam.* Anno ante Natiuitatem Chriſti Domini 290. Gallos, Celtas & Braccatos profectos in Hiſpaniam fuiſſe, oſtendunt antiqua monumenta. Ab his graſſantibus, Interamnis Prouincia (hæc eſt Lyſiadum Meſopotamia) occupata eſt. Nouas vrbes victores aduenæ & ciuitates erexerunt: inter quas Braccara obtinuit nomenclaturam à Braccatis; quam hodieque retinet. Erat hæc Regio Gallis perfugij inſtar: ad quam turbato Oceano appellebant quaſi ad communem portum; vnde primò Gallorum nautarum portus, indeque Portugallia audire cœpit.

II. *Luſitaniæ Prouinciæ quot?* A Coſmographis Luſitania diuiditur in Regiones quatuor, Interamnem, Tranſmontanam, Ciſtaganam, & Tranſtaganam: quarum duæ priores, iuxta Strabonis opinionem, pertinent ad Hiſpaniam Tarraconenſem.

*Amœnitas & vbertas.* Harum amœnitas vbertaſque confirmant non vanas illorum coniecturas, qui in hac Prouinciâ collocant Paradiſum terrenæ voluptatis. Herculè, ſi Paradiſus ea non eſt; talis eſt, vt eſſe potuerit. Præter illa, quæ apud Marinæum Siculum, & Damianum à Goës, auctores celeberrimos, legis, ſubiungam quædam notitiâ digna. *Fluuij.* *Tagus* fluuiorum imperator coronat cornua non ſolùm floribus, vt alij fluuij, ſed & arenis aureis, vt fama celebrat, experientia antiqua neotericaque confirmat; diciturque à Luſitanis *Texo.* *Munda* (vulgò *Mundego*) fluuius, venerabundus fimbrias Academiæ Conimbricenſis oſculatur, atque margini ſæpiùs recuſanti tributat auri ramenta perfectiſſimi. *Lethe fluuius.* *Lymia* apud Metrographos antiquos celebris, Λήθη Æolicè cognominatur; & creditur nociuus reminiſcentiæ organo propter exceſſum humoris; atque hinc fabulæ occaſio, & radius Poëtarum ſacramentis.

III. *Montes.* In hac regione protuberant excelſi montes, qui Atlantis æmuli præſumunt excedere regionem igneam, atque ſoluto

to



tò æthere capita inculta coronare. Ex iis illuſtrior ille, cui à Stella nomen, quòd ſidera propior obſeruet. *Stella mons.* Tutus eſt lacu atque tenebris nemorum. Illius aqua inſipida communicatur ab Oceano, licet viginti leucis diſſito. Lacus & Oceani communio oſtenditur ex æſtuum reciprocatione quotidianâ, adnotante Texeirâ ex accolarum teſtimonio. Texeira ibid. fol. 4. Procellæ fatigantes maria, lacus vndas concutiunt, & alterant; quas ſæpè fragmentis nauium per ſubterraneos aditus excuſſis donant, & incolas admiratione. Nec huic abſimilis habetur *Chaues*: qui mons eſt aquis flauis adhærens in territorio Tranſmontano. *Chaues mons.*

Plinius fontis meminit liquidâ cryſtallo exuberantis, & quidquid attingat abſorbentis: hunc conſtituit in agro Hiſpaniæ Catanenſi, vbi non reperitur. *Fons ingenij admirabilis.* Sed qui in loco fallitur, hiſtoriam protulit ſincerè veram. Nam non longè à Conimbricenſi ciuitate, ſtudiis litterarum diuite, in agro Cadimâ apud Tentugallenſe municipium, Feruentiæ fons *Plinij error correctus.* præ ſe fert rarum ſpectaculum: eſt etenim tam ambitioſus, vt quæ ſemel intinxeris,* paulatim adtrahat, atque tandem (ni ſummâ vi abmoueantur) abſorbeat.

* *Teſtes vidi nonnullos oculatos.*

Iuxta hunc, ex Plinio & aliis auctoribus, innoteſcit alius qui iniecta reſpuit. Ceterùm obliteratam video huius aquæ notitiam, non tamen apud omnes memoriam.

IV. *Regio Interamnis.* Interamnis Prouincia (cui primariò competit nomenclatura Portugalliæ) per octodecim leucas extenditur: in latitudinem quà maxima, duodecim; quà breuiſſima, quatuor horis tranſitur. Finibus anguſtis deſcribitur, auguſto tamen rerum fœnore & annonæ abundantiâ. Præter Braccarenſem Eccleſiam (quæ de Hiſpaniæ Primatu contendit) continet hæc Prouincia Eccleſias Collegiatas quinque, *Eccleſiæ.* centum & triginta Monaſticas ampliſſimo cenſu ditatas, habetque plus minùs MCDLX. Parochiales. Eſt celebris perenni ſcaturigine millies viginti-quinque fontium. *Fontes.* Fluuij, ducentis pontibus quadrato lapide conſtructis, ſunt peruij. *Pontes.* Naues excipiunt octo portus maritimi, *Portus.*

 loci

loci naturâ ſecuriſſimi, muniti vndique arcibus, & mercium opulentiâ diuites.

## COMITATVS LVSITANIÆ.

V. *Antiquæ Luſitaniæ deſcriptio.*

Si delineare volueris terminos Portugallenſis Comitatus, cautè legas auctores, quia ferè omnes in deſcriptione iſtâ errauerunt. Aſſero, Henricum Comitem dotis titulo nihil in Gallecià obtinuiſſe: ſubſcribo Antonio Brandaoni diligentiſſimo Hiſtoriographo in Monarchiæ Luſit. Par. III. lib. VIII. cap. X. Fauet huic reſolutioni Autocolon ſcriptum anno à partu Virgineo 1097. à Sancio Tellez in fauorem Epiſcopi D. Creſconij; vbi inter alia dicitur, *Comite Domino Henrico dominante à flumine Minho vſque in Tagum.* Comitatus ergo Portugalliæ breuiſſimis deſcriptus finibus comprehendebat Beiram, quæ eſt inter Dourum & Minhum. Transminhanæ vrbes tunc pertinebant ad Galleciam; ad Legionem & Caſtellam, Tranſdouranæ.

### §. II.

### *Ante Afonſum Henriquez, qui audit primus Luſitanorum Rex, fuiſſe alios Reges plurimos in Luſitania.*

VI. *An veteris Hiſpaniæ Reges cenſeri debeãt fabuloſi.*

SIleo adoleſcentis Hiſpaniæ Reges vetereſque Principes, qui regiminis clauum tenuerunt ante Chriſtum; quorum excellentiſſimi, inuictiſſimi, nec non & celeberrimi fuerunt Reges Luſitaniæ. Seueriſſimo iudicio cenſet Mariana, hanc Hiſtoriam eſſe fabuloſam; cur non & nos, chimæricam eius cenſuram? non prodeſt cenſere, ſed intereſt & cenſuram probare. Curioſè Brittus in Luſitanæ Monarchiæ Part. I. ſcribit, Chronicum Regum Luſitanorum: vbi illorum geſta præclarè-generoſa expenduntur, inuitantia curioſos animos, ſapientes allicientia, & ignauos inerteſque exemplo viuido animantia. Miſſos ergo faciam hos Reges, vt ſolùm curioſâ breuitate eos recenſeam, quos potero authographis & inſtrumentis publicis notiores facere.





*Senectus Romæ decrepita.*

Dum Romanorum inuictè-maximum Imperium ad decrepitam annoſamque ſenectutem debilius venerat, aliæ enaſcentes Nationes paruipendere cœperunt militares aquilas: inter eas Alani & Sueui, Septemtrionalium regionum incolæ, Auſtralem Europæ regionem Hiſpaniam deuorarunt: deſcenderunt ad minorem altitudinem poli, vt adſcenderent ad maiorem fortunæ. Facti igitur Luſitaniæ Domini, hoc Occiduum territorium per annos multos gubernarunt. Eorum genealogia non exſtat, ſed aliquorum Regum nomina diligentia mea & aliorum inuênit in inſtrumentis & monumentis variis.

In fine Martyrologij, quod in vſu eſt in Monaſterio de *Carquere*, leguntur hæc verba: *Rapanſianus Luſitaniam à Romanis capeſſit. Fuit Alanus quidem & Luſitaniæ Rex; ſed breuiter à ſuis * occiſus ſucceſſit Attacius, qui vltra Luſitaniam ſuum Regnum dilatauit, ſed à Rege Gottorum interfectus occubuit.* Vides hîc duos ſucceſſiuè Luſitanorum Reges Alanos, Gottis in Orientali Hiſpaniâ regnantibus. VII.

*Veteres Reges Luſitaniæ.*

* Ego dicerem, *occiſò.*

*Attaſes Luſitanorum Rex.*

Reperitur etiam in antiquis Autographis Attaſes Luſitanorum Rex, qui obiit ſine filiis; & inuaſit Regnum hoc Hermenericus Galleciæ Rex, qui poſteà vtriuſque Regni Monarcha dicebatur, nempe Lugenſis & Bragarenſis. Sub Sueuis Regibus, Regni metropolis fuit Braga. Venerabilis hodie id antiquitas indigitat in membranis & marmoribus variis. In quodam manuſcripto Breuiarij, quod adhuc exſtat in Eccleſiâ Bragenſi, vltimo folio legitur: *Scriptum eſt dum Bracaræ regnabat Theodomirus.* Bracara eadem olim, quæ in præſentiarum Braga. Reperitur etiam Epiſtola quædam eiuſdem Theodomiri ad Epiſcopos congregatos in Synodo Lugenſi, quæ incipit: *Cupio, ſanctiſſimi Patres, vt prouidâ vtilitate decernatis in prouinciâ Regni noſtri*, &c. In hac Synodo declarata eſt metropolitana Eccleſia Dumenſis, quia pertinebat ad familiam Regiam. Ergo ex huius Synodi actis liquet, Regis familiam frequentare hanc Eccleſiam: ergo Rex erat Bragæ,

*Theodomirus Rex.*

quia Dume etiam hodie eſt Eccleſia ad Septemtrionem in eâdem ciuitate. Scribebatur hæc Epiſtola æra 607. hoc eſt anno Domini 569. Ex aliis Autographis, quæ exſtant in Bragenſi hac Eccleſiâ, innoteſcit Myron Luſitanorum Rex, cuius curia in eâdem ciuitate. In quopiam inſtrumento exhibito æra 610. hoc eſt anno 572. legitur: *Pòſt, * peracto Bracarenſi Synodo, ibidem in diebus glorioſiſſimi Domini Myronis Regis, in præſentiâ ipſius Regis.* Tandem in quopiam donationis inſtrumento factæ à D. Afonſo Magno reperias: *Eccleſia ſanctæ Mariæ * Bracharenſis, quod eſt cœmiterium Regale.* Ergo Reges non habitabant modò, ſed & ſepeliebantur Bragæ.

*Myron Rex.*

* Melius, *peractâ Synodo,*

**Bracara,* vel *Brachara,* iam *Braga.*

VIII. Perennauit Sueuorum Regnum (colligo tum ex aliis, tum etiam præcipuè ab Iſidoro) annos 177. ad decimum ſeptimum Regni Leouigildi Gottorum Regis, atque Chriſti 585. quo anno vnitur Luſitania Hiſpaniæ. Separatur iterùm anno 697. cùm Flauius Egica dedit Galleciæ Regnum ſuo maiori filio VVetizæ: & præfuit ad annum 701.

*Sueuorum Regni terminus.*

Regis Roderici effrenis luxus, & Comitis Iuliani temeritas, perdiderunt Hiſpaniam: ſubiugata fuit à Mauris; quæ nondum victa: & ſub eorum tyrannide habuit in variis Prouinciis varios Reges.

*Maurorum expeditio.*

IX. Recuperatur, & liberatur à durâ ſeruitute, partim victis partim eliminatis Mauris à Legionis atque Ouiedi Regibus; & iterùm à noſtris donatur hæc optima Prouincia Regni titulo. Nempe Alfonſus Magnus aliquot annis ante ſuum obitum dedit filio ſuo Ordonio Portugalliam & Galleciam cum titulo Regis. Conſtat ex priuilegio, quod exſtat in Bragenſi Eccleſiâ, quod dabatur in Februario menſe anni 909. atque definit in hæc formalia verba: * *Regnante in Galleciâ, & in extremâ * Minij, & in extremâ * Dorij Ordonius Rex Aldefonſi filius.*

*Luſitania olim Regnum, non Comitatus.*

*Corrigo, *Regnabat.*

* *Minius,* iam *Minhus.*

* *Dorius,* iam *Dourus.*

Anno Domini 1064. obiit D. Fernandus Magnus: poſt quem diuiditur iterùm hoc Regnum Luſitaniæ ab aliis. Remanſerant tres Fernandi filij, Sancius, Alfonſus, & Garcia.

In



In Caſtellâ ſucceſſit Patri Sancius, Alfonſus in Legione, & in Galleciâ & Luſitaniâ Garcia. Huius Garciæ hodie exſtat epitaphium in marmore exarato antiquis characteribus hoc modo:

*Luſitania ſeparatur à Caſtellâ.*

H. R. DONNVS GARCIA REX PORTVGALLIÆ,
ET GALLECIÆ, FILIVS REGIS MAGNI FERNANDI.
HIC INGENIO CAPTVS A FRATRE SVO IN
VINCVLIS OBIIT. ÆRA M.C.XXVIII. KAL. APR. XI.

Requieſcit is Rex in Eccleſiâ Legionenſi: & ex lapide ſurgit opere releuato; ligata compedibus cateniſque ipſius imago, iacentis indigitans miſerabilem atque aduerſam fortunam. Brandao lib.x. Monarch. Luſit.cap.VI. & ante eum Garibayus lib. XXXIV. cap.IV. pag.773. Ioannes de Rojas in Epit. ſucceſſ. cap.V. num.30.

Deuiuente D. Garcia, iterùm Luſitania adunitur Caſtellæ; & ſeparatur anno 1094. cùm Rex Alfonſus VI. dedit in dotem Tarejæ filiæ ſuæ, nupturæ Comiti Henrico, Maurorum fulmini cælitus-inuictiſſimo.

Remanſit ſub Comitatus titulo vſque ad annum 1143. in quo celebrata ſunt Comitia Lamegenſia; in quibus Afonſus Infans, Comitis Henrici filius, creatur primus Luſitaniæ Rex.

*Luſitania fit Comitatus.*

Perennauit hæc ſeparatio annos 486. & Luſitania habuit proprios Reges annis 437. nempe vſque ad annum 1580. quo iterùm Luſitania vnitur Regno Caſtellæ ſub Philippo II. Caroli V. Cæſaris filio, herede legitimo.

## §. III.

*Proreges, Interreges, Vicarij, Conſules, Domini, Comites, & Duces, qui toti Luſitaniæ præerant iuriſdictione abſolutiſſimâ ante Afonſum Henriquez, primum in hac ſerie Luſitanorum Regem.*

REges Caſtellæ erant & Reges Portugalliæ; quæ per Proreges & Conſules adminiſtrabatur. Æra 1125. vt conſtat ex Gottorum hiſtoriâ, Conſules Rebuſpublicis X.

præ-

*Siſnandus Luſitanorum Comes, & Conſul.*

*Exſtat copia huius autographi apud Brandao in Monarch. Luſit. p. 3. lib. 8. c. 4.*

præponebantur. Regioni, quæ à Douro ad Mundam ſita eſt, præerat Siſnandus. Hic in antiquis monumentis ſæpè Comes, ſæpiùs Conſul vocatur. Huius munificentia ditauit Rodericum Preſbyterum oppidi ſancti Chriſtophori, quod interiacet Souſæ & Alliabro. Huius rei exſtat autographon, cuius tale eſt initium: *Tempore illo, quo Sereniſſimus Rex Donnus Ferdinandus, ego Conſul Siſnandus accepi ab illo poteſtatem Colimbriæ, & omnium ciuitatum, ſiue caſtellorum, quæ ſunt in omni circuitu eius, ſcilicet ex Lameco vſque ad mare, per aquam Durij vſque ad omnes terminos, quos Chriſtiani ad Auſtrum poſſident: quæ ille gladio & regali dominatione, adiuuante Deo, abſtulit Saracenis, & reſtituit Chriſtianis. Deditq́; ſupradictus Rex mihi ſupradictam terram ad ædificandum, & populandum, & faciendum cuncta quæ mihi benè viſa fuerint; vt & omnia quæ ego mandauero & firmauero ſint firma, & benè ſtabilita in omnibus ſæculorum temporibus. Poſt mortem igitur ſupradicti Regis obtinuit Regnum glorioſiſſimus filius eius Rex Donnus Alfonſus, qui omnia quæ mihi ſuus Pater mandauerat, confirmauit; & coram Comitibus & cunctis Maioribus ſui Palatij ſcriptum priuilegium roborauit. Itaque, ego ſupradictus Siſnandus,* &c. In Eccleſiâ Conimbricenſi in Donationum libro exhibet Abbas Petrus patentes litteras, & in illis ait: *Erexit ipſe honorificus Rex Principem ibi magnum Ducem & Conſulem fidelem Dominum Siſnandum.* Notat Sandoual in Regis D. Fern. Chron. fol. 14. hunc Siſnandum eſſe Eccleſiaſticum Heroëm, nempe Epiſcopum Irienſem; ac perinde multi probabiliter ediſſerunt fuiſſe ſacerdotem.

*Siſnandus Principis & Ducis titulo donatur.*

Hinc conſtat, Ferdinandum Hiſpaniarum Regem non donaſſe Siſnando Portugalliam, ſed commiſiſſe; quia aliàs non indiguiſſet confirmatione Afonſi: nec decuiſſet donaſſe Eccleſiaſtico, qui moriturus erat ſine legitimis heredibus.

XI.

*Luſitaniæ Domini Siſnando ſubditi.*

Sub idem tempus reperio alios in Luſitaniâ Dominos, &, vt colligo, Siſnando ſubditos. In territorio Aroucæ anno



anno 1085. leguntur dominium obtinuiſſe Egas Ermiguius, Odorius Tellez, atque Gauinus Froylas, vt conſtat ex donationis * diplomate, quod exhibuit Erus, Zachariæ filius, in fauorem Monaſterij Aroucenſis. Anno verò 1092. mutata reperiuntur cuncta: tunc enim temporis dominabantur Monius Viegas, Odorius Tellez, atque Aluarus Tellez, vt conſtat ex * Protocolo Adefonſi Confeſſi exhibito in fauorem eiuſdem Monaſterij.

** Exſtant in Aroucæ chartario.*

Arx ſanctæ Mariæ Feirenſis gubernabatur à D. Flacentio anno 1093. vt conſtat ex Autographo quopiam, quod exſtat in Cœnobio de Grijo.

Ante annum 1071. regnabat in Caſtellâ Garcia; & præerat Prouinciæ, quæ inter Dourum & Minhum, Comes Nuñus Mendez. Tumultuatur populus: conſcribit militem Garcia Rex: opponitur exercitus Luſitanorum: conſerunt arma ſimul ad Pedroſum (quæ eſt inter Bragam, atque Cauadum fluuium) ibique occiditur Comes Nuñus. Ita Sandoual in huius Regni Chron. & Gottorum Hiſtoria anno 1071.

In Bragenſis Eccleſiæ Autographéo reperies in quadam ſcripturâ anno 1082. *Facta charta æra 1123. Kal. Auguſti, regnante Illuſtriſſimo Rege Alfonſo in Legionenſe, mandante Flauias Comite Rodrigo Velaſci,* &c. Conſtat hinc, Rodericum Velazquez Flauijs præfuiſſe. XII.

Paius Goterres ſubſcribit, vt Regis Vicarius, in donatione Galindi Aluitiz factâ eodem tempore.

Anno 1072. Egas Gomez dominabatur territorio Souſæ & Pombeiri, vt conſtat ex Archiuis antiquis iſtarum ciuitatum.

*Raymundus Luſitaniæ Præpoſitus.*

Videns Alfonſus terminos iſtius Prouinciæ dilatatos, *præpoſuit Rex his locis à ſe captis generum ſuum Comitem Raymundum, maritum Donnæ Vrracæ, & ſub nomine eius Suarium Menendi.* Ita Hiſtoria Gottorum anno 1094.

Hi ſunt Proreges atque ipſorum Vicarij, qui ante Henricum Comitem in Luſitaniâ gubernarunt. Quo anno Portugallia donata fuerit Henrico, ex nullo Hiſtoriographo conſtat; exſtat tamen originale in Autographéo Aroucæ, vbi legimus: *Regnante * Alfonſus Rex in Toledo, in Colimbriâ Comes Henricus.* Datum xv. Kalendas Ianuarij æræ 1133. hoc eſt XVIII. Decembris anni 1094. Tertiâ decimâ Februarij die anni ſequentis iam duxerat Tarejam Regis Alfonſi filiam. Conſtat ex Regis priuilegio, quod conceditur ſancti Seruandi Monaſterio; in cuius fine: *Henricus gener Regis, cum vxore Tarejâ, quod ſocer fecit confirmo.* Recepit Luſitaniam in dotem Tarejæ vxoris ſuæ Henricus, atque Comitis titulum: nihilominùs vocatur Portugalliæ Dux in aliquibus antiquis inſtrumentis. Notat Brandaon in Monarch. Luſitan. Part. III. lib. VIII. cap. XI. §. vltimo. Ab hoc Comite Henrico originem traxerunt omnes Monarchæ Luſitani: cuius ſeriem dabit Liber primus, iura reliqui examinabunt.

**Conſidera Luſitanorum veterum in Latinitate Syntaxin.*

LIBER



# AFONSVS III.
## LVSITANIÆ REX V.

NASCITVR Conimbricæ die quintâ Maij 1210. & trigeſimo ſeptimo ætatis, nempe anno Domini 1247. coronam aggreditur felix & triumphans, licet ſine iuris titulo vel apparenti. Gubernat, adhuc Sancio ſuperſtite, duobus annis. Tyrannis maxima, tolerata tamen à pluribus; quia Afonſus, quamuis tyrannicè præpoſitus, fuerat legitimus Regni heres, futurus poſt Sancij obitum legitimus Luſitanorum Rex. Duxit Mathildem Boloniæ Comitiſſam; &, eâ adhuc ſuperſtite, Beatricem Alfonſi X. Caſtellæ Regis filiam. Hoc matrimonium verè fuit illegitimum; & in cauſſâ, vt toto duodecim annorum curriculo à Pontificibus maximis excommunicaretur. Mortuâ Mathilde, Clemens IV. Regem excommunicationis ſoluit vinculo, ac coniugium confirmat. Ex Beatrice habuit Afonſus ſobolem ſequentem.

*Afonſi Vxor.*

AFONSVS III. Luſitanorum Rex.
- Afonſus, Dominus de Portalegre, duxit Violantem, Ferdinandi III. Regis Caſtellæ ex Emanuele filio neptem.
- Ferrandus obijt infans; & ſepelitur in Alcobaciâ.
- DIONYSIVS I. natus anno Domini 1271. ſeptimo Idus Octobris, duxit Iſabellam, filiam Petri Aragoniæ Regis.
- Blanca, priùs in Loruano, Ordinis Ciſtertienſis, deinceps Burgenſis Monaſterij, quod dicitur *las Huelgas*, Abbatiſſa. Ibidem ſepulta.
- Conſtantia, obijt infans: moritur Hiſpali, & ſepelitur in Alcobaciâ.

Ex pellicibus habuit illegitimos filios; Ægidium, de quo vix aliqua reperi notatu digna.

*Regis nothi.*

Ferrandum Afonſum de Portugal, Equitem Templi. Iacet in S. Dominici Eccleſiâ Santarenenſi, in ſacello SS. Coſmæ & Damiani.

Afonſum, cui nupſit D. Maria de Ribeirâ.

Martinum: huic mater fuit Afra. Ex eo proueniunt Comites de Soſâ.

Leonoram: nupſit hæc Comiti, qui apud Vaſconcellium dicitur Garcia de Souſâ, & apud Texeiram Gundiſſaluus.

Afonſus Rex ſtemma Luſitanicum zonâ purpureâ circumcinxit; & in eâ ſeptem caſtella aurea collocauit. Moritur Vlyſſipone anno à Virgineo partu 1279. Fuit duobus annis intruſus, & XXI. verus Rex. Ergo habenas Regni obtinuit tribus & viginti annis.

Si quis velit Afonſi III. contra Sancium II. partes tueri, aſſerat, Afonſum fuiſſe legitimum Afonſi II. heredem; quia Sancius erat filius Afonſi nondum Regis, & ideò in opinione probabili exheres. Vide ea quæ dicemus inferiùs Libr. V. Diſp. IV. à num. 95. ad 97. Ego autem hîc, & ibi, Sancium verè Regem admitto.

## QVÆSTIO INCIDENS.

### *Vtrùm Afonſus III. ex Mathilde Bononiæ Comitiſsâ habuerit ſucceſsionem.*

HVius difficultatis reſolutio maximè neceſſaria eſt: ex eâ enim pendet deciſio litis, creandæ à Chriſtianiſſimâ Reginâ in Libro vltimo. Texeira cognoſcit filios tres, Ferrandum Petrum, Robertum, & Conſtantiam. Verba Texeiræ ſunt:

*Suſcepti ſunt* (puta ex Mathilde) *filij, [a] Ferrandus (& ſecundùm alios [b] Petrus) qui quidem in pueritiâ in Vlyſipponenſi ciuitate obijt, atque in Conuentu ſancti Dominici, Ordinis Prædicatorum, ſepultus eſt.*

*Robertus, qui cum Mathilde matre apud Gallos manſit, & in Comitatu ſucceſsit: à quo Sereniſsima & Chriſtianiſsima Regina Catharina de Medicis, Henrici II. Francorum Regis Vxor, & Henrici III. Francorum & Poloniæ Regis Mater, genus & originem duxit.*

*Conſtantia, quæ in cunis obijt.*

Chronologus antiquus Luſitaniæ apud Antonium Brandaonem in Monarchiæ Luſitan. Part. IV. libr. XV. cap. XXII. aſſerit, eſſe conſtantem traditionem, habuiſſe Afonſum Filios ex Reginâ Comitiſsâ Mathilde.

a *Andreas Fauinius Tract. de Honor. tit. Regum Port. libr.* XX. *fol.* 1020.

b *Ludouicus, & Scæuola de Sanctâ Marthâ in Geneal. Regum Franc. in ſtirpe Portugalliæ; ſed aſſerunt hos eſſe filios non Afonſi, ſed alterius Mariti.*

Ferrandus Lopez affirmat, famam eſſe, quòd quando Bononiæ Comitiſſa venit in Luſitaniam, conducebat filium, quem ex Rege ſuſceperat; addit, hunc fuiſſe dilectiſſimum Afonſo Regi, non ſolùm quà filium, ſed potiùs quà ſtrenuum militem. Duxit hic N. Mathildis filius, filiam D. Petri Caſtellæ Infantis pulcherrimam adoleſcentem. Ceterùm de hoc anonymo Infante non eſt quod prolixiùs agamus, cùm confuſa notitia non expoſuerit, vtrùm reliquerit poſteritatem.



Aliqui exiſtimant, Afonſum Dionyſium, quem inter nothos numerauimus, fuiſſe Mathildis filium: porrò ſi fuiſſet, exſtaret ipſius in Autographis multa notitia; atque ideò ſubſcribo Antonio Brandaoni, loco citato aſſerenti, hunc eſſe ex vltimis Afonſi filijs, illum ſcilicet, quem nutriuit Martinus Pires Regius Sacerdos, vt & ipſe Rex expoſuit in clauſulâ ſui teſtamenti. Superfuit hic infans puellus poſt Patris obitum: quem Rex Dionyſius ad dignitates maximas promouit; & tandem ſanctæ Iſabellæ Vxoris ſuæ œconomum ſummum conſtituit, & honoribus magnis donauit.

### RESOLVTIO.

Nihiloſeciùs, vt Catholicè loquar, aſſero, Reginam-Comitiſſam nullum habuiſſe filium.

Hæc concluſio, ſicut & contraria, videbatur Antonio Brandaoni probabilis; quia neutra antiquis Autographis demonſtrabatur: atqui iam negatiua pars, quam tueor, ſcripturis authenticis clarè conuincitur; ergo iam, in ſententiâ eiuſdem Brandaonis opinio aſſerens non eſt probabilis.

### RATIO PRIMA.

Probo primò, Mathildem non habuiſſe liberos, ex ipſius teſtamento: in eo ipſa legat marito ſuo Afonſo viginti mille libras, & totum ius quod habebat ad ſummam aliarum quatuor millium, quam ſibi debebant Flandriæ *Mathildis teſtamentum.*

 Comi-

Comites. In hoc teſtamento meminit Ioannæ, quam ſuſceperat ex primo Marito Philippo, filio Philippi Regis Franciæ, & Gaucheri de Chaſtillon, Domini de Monjoy, cui nupſerat ipſamet Ioanna; non tamen meminit aliorum; ergo non habebat alios filios. Patet; quia aliàs etiam ipſorum meminiſſet. Hoc teſtamentum conditur anno 1241. & refertur ab Eduardo Nuñez 1. Part. Chron. Portug. vbi efficaciter confutat opinionem oppoſitam. Exſtat hoc teſtamentum in turre *de Tombo*, teſte Antonio Brandaone ſuprà loco citato.

*Reſponſioni occurritur.*

Ad hanc rationem reſpondent aliqui, ex eo eſſe inefficacem, quòd poſt annum 1241. in quo teſtamentum hoc conditur, conuixerint Afonſus & Mathildis adhuc per annos quatuor; ergo potuiſſet tunc ſuſcepiſſe filios quæ necdum habuerat.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit; quia, mutatis heredibus, debent mutari teſtamenta: atqui hoc perennauit, ac executioni mandatum fuit; ergo heredes non fuerunt mutati: ergo non habuit alios filios qui ſuccederent hereditariò.

## RATIO SECVNDA.

*Epiſtola ad Pontificem maximum.*

Probatur ſecundò eadem veritas ex Epiſtolâ quam ſcripſerunt Primores atque Prælati Luſitaniæ Vrbano IV. quâ poſtulant, non vt legitimentur Beatricis filij; (ſciebant enim huiuſcemodi Heroës non ſufficere Pontificum legitimationem ad hoc, vt nothi Luſitanico donentur ſceptro) ſed vt Afonſum Regem excommunicatione latâ abſoluat, & Matrimonium Regis & Beatricis confirmet, diſpenſando in impedimentis, ſi qua poſt Mathildis obitum perſeueraſſent. Impetrant poſſe ſimul conuiuere, vtque eorum filij poſſint ſuccedere, ac eſſe heredes Coronæ Luſitanicæ; ergo hinc colligitur, Afonſum non habuiſſe filios ex Mathilde: non enim de legitimando ſucceſſore curaret Portugallenſis populus, ſi Regni habuiſſet legitimos & veros ſucceſſores.

RA-



## RATIO TERTIA.

*Color in rebus politicis nunquamdeeſt.*

Nulla actio, quamuis inſolentiſſima, ſine colore vſpiam fuit facta. Repudiabitur ergo Mathildis ſine iure, an etiam ſine titulo? nullatenus; quo ergo? titulo ſterilitatis. Hunc ab aliquibus notari video. Ergo ſi Mathildis, quà ſterilis, ab Afonſo contemnitur, cur creditur habuiſſe filios? Hic titulus potiùs ex traditione quàm ex Hiſtorijs liquet, atque ideò non apud vniuerſos eiuſdem efficaciæ.

## RATIO QVARTA.

Deuiuenti Afonſo ſucceſſit Rex Dionyſius anno 1279. ſine contradictione: nec aliquis in foro Martis aut conſcientiæ aliquam proteſtationem fecit; ergo non erant ex Mathilde filij. Patet conſequentia: quia hi ius ſuum omnimodè potuiſſent defendere, ac debuiſſent ad Regnum adſpirare.

*Brandaon carpitur.*

Nec ſufficit dicere cum Brandaone, illos reuerà adſpiraſſe, ſed ſcriptorum negligentiâ hoc non fuiſſe adnotatum. Non, inquam, ſufficit; quia nihil debemus aſſerere quod non ſit probabile, & aliquibus ex cauſſis conſtet: & in re hiſtoricâ leuis aſſeritur, quicumque ſine antiqui auctoris teſtimonio facinora antiquorum aſſerit.

*Conſcientia Regum qualis.*

Ad illud quod de foro conſcientiæ dicebamus, reſpondet Brandaon ſuprà: *Nem ha para que recorrer a materias de conſcientia, que ja ſabemos del Rey Dom Afonſo o Terceiro, & de ſeu Sogro Dom Alfonſo o Sabio, nâo ſerem os mais eſcrupuloſos que ouue no mundo.* Hoc eſt: *Nec iuuat recurrere ad conſcientiæ materias; ſcimus etenim Regem Afonſum III. & ipſius Socerum Alfonſum Sapientem, non fuiſſe totius mundi ſcrupuloſiſſimos.* Benè. Conſtat etenim ex illo ſecundario matrimonio, cuius rei ſunt & Alfonſus Sapiens, qui Beatricem dedit, & Afonſus Tertius, qui recepit.

Verè

Verè contra hos non prodeſſet proponere puncta conſcientiæ; ſed addo, Dionyſium benè moratum fuiſſe, ac coniugem ſanctiſſimæ Iſabellæ. Quomodo hic pius Rex cum ſanctâ ſuâ Coniuge retinuiſſet Regnum alienum? cur non Mathildis filij appeterent conditionem regnandi?

*Dionyſij & Iſabellæ laus.*

Porrò Afonſus Rex faciem habuit magnificè liberalem, & cæſios oculos: tantæque fuit proceritatis, vt admirationi cadauer eius fuerit ſpectantibus, cùm Rex Sebaſtianus tumulum defuncti recludi iuſſit. Corporis verò magnitudinem animi celſitudo ſuperabat; fuit enim liberaliſſimus, vt teſtantur caſtellorum & oppidorum ad Regiam hereditatem ſpectantium ſchedæ, quæ in publici Chartophylacij turre aſſeruantur: in Regni adminiſtratione ſingularis eius eluxit prudentia; adeò vt nihil in eo deſiderari poſſit, ſi ſinceram aliàs religionem ingrati erga Mathildem animi nota haud violaſſet.

*Afonſi ſtatura & mores.*

## QVÆSTIO ALTERA.

*Vtrùm, ſi Afonſus III. ex hypotheſi habuit ex Mathilde liberos, Regina Chriſtianiſſima originem traxerit aut ab ipſo Afonſo aut alio Luſitanorum Rege?*

Probaui, Mathildem ex Afonſo nullos habuiſſe filios. Sed eſto, receperit; quid inde? illorum poſteri ad coronam adſpirent, non tamen Sereniſſima Regina Galliæ, quæ non deſcendit ab Afonſo, nec ab iſtâ Mathilde, vt ſequens docebit genealogia.

Evsta-



- I. Evstachivs, Comes Bononienſis, frater Godefridi & Balduini Regum Ieroſolymæ, duxit Mariam filiam Macolmi Regis Scotiæ, ſororem Mathildis Reginæ Angliæ.
  - Rudolphus, moritur Patre ſuperſtite.
  - II. Mathildis, Comitiſſa Bononiæ, vxor Stephani Comitis de Mortain; qui etiam fuit Rex Angliæ quãdiu vixit. Obijt ipſa an. 1151. ipſe 1154.
    - III. Euſtachius, Comes Bononiæ, duxit Conſtantiam Filiam Ludouici VI. Regis Franciæ. Obijt ſine liberis.
    - IV. Willelmus, Comes de Mortain in Angliâ, duxit filiam vnicam Willelmi de Warenne, Comitis de Surrey. Obijt ipſe ſine filijs ann. 1160.
    - V. Mathildis, Monialis & Abbatiſſa in Angliâ, ſucceſſit Willelmo in Bononienſi Comitatu. Nupſit, quamuis Monialis, anno 1159. Matthæo fratri Theodorici Comitis Flandriæ; ſed per ſententiam cogitur regredi ad Monaſteriũ, & Matthæus retinet Comitatum quẽ ei vxor attulerat. Ipſa obijt anno 1183. ipſe cadit in bello 1173.
      - VI. Ida, Comitiſſa Bononiæ, nupſit primò Matthæo Comiti ...... ſecũdò Gerardo, Comiti Gelriæ; tertiò Bertoldo, Duci Zeringiæ: ſed ab hoc ſeparata ob impedimẽtum, nupſit quartò Raynaldo, Comiti de Dãmartin.
        - VII. *Ex quarto Marito.* Mathildis, Comitiſſa de Dammartin & de Boloniâ, nupſit primò Philippo Comiti de Clermont, filio Philippi Regis Franciæ; qui obijt ann. 1233. Secundò nupſit Afonſo III. Portugalliæ Regi, qui eam repudiauit; quia ex eâ prolem procreare non poſſet. Obijt Mathildis an. 1254.
          - *Ex primo Marito.* Ioanna, Comitiſſa Bononiæ, nupſit anno 1236. menſe Decembri Gaucherio de Chaſtillon, Domino de Monjay & de S. Agnano, qui cecidit in prælio 1250. nullâ relictâ prole. Illa obijt anno 1251. menſe Decembri.
      - Mathildis, nupſit ann. 1179. Henrico Duci Lotharingiæ & Brabantiæ; qui obijt 1235. ipſa verò 1212.
        - Henricus II. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, obijt ann. 1247.
          - Henricus III. Dux.
        - VIII. Maria, nupſit Ottoni IV. Imperatori. Hæc poſt mortem Mathildis obtinuit Comitatum Bononienſem ex décreto Parlamenti. Obijt ſine liberis anno 1260.
        - Margareta, nupſit Gerardo Comiti Gelriæ. Moritur anno 1231.
        - IX. Aleis, nupſit Willelmo Comiti Aluerniæ. Hæc poſt ſororem Mariam ſucceſſit in Comitatu Bononiæ ann. 1260.
          - X. Robertus, Comes Aluerniæ & Bononiæ, duxit Leonoram. Ab hoc, Comites Bononiæ deſcendunt vſque ad Chriſtianiſſimam Reginam Galliæ Catharinam de Medicis, quæ perperã ad Mathildem Portugalliæ Reginã genus ſuum referebat.
          - Guido, Archiepiſcopus Viennenſis.
          - Willelmus de Aluerniâ, deſignatus Epiſcopus Leodienſis ann. 1281. non obtinuit confirmationem.
          - Maria, quam Auunculus Dux Brabantiæ Henricus II. ann. 1238. dedit in vxorem Waltero Bertholdo Domino Mechlinienſi.
          - N. nupſit Comiti Delphinatus ſuperioris.
        - Mathildis, nupta Florentio Comiti Hollandiæ. Moritur ann. 1267.
        - Godefridus, Dominus de Herſtal, obijt anno 1253.
    - Domina N. nupſit Domino N. Comiti.

E Hæc

Hæc eſt vera Bononienſium Comitum genealogia. Non vacat per ſingulas generationes demonſtrare, quoniam rata res eſt, & ſatis euidens. Ceterùm ne videar ſupponere quæ debuiſſem probare, Lectorem candidum certiorem facio, me conſultò huius genealogiæ confirmationi ſuperſedere; dabit etenim demonſtratam quantocyùs Reuerendus admodum Dominus Chriſtophorus Butkens, Monaſterij S. Saluatoris Ordinis Ciſtertienſis Antuerpiæ Antiſtes meritiſſimus. Pollet is ingenio feliciſſimo, eſt perpetuus in litteris, ſedulus inueſtigator antiquitatis venerabilis. Huic debent Athenæ opera ſubtiliſſimo deſcripta calamo; debebunt poſteri librum, cui titulus, *Laurea Brabantiæ*: in quo ex Autographis & diplomatibus accuratè huius genealogiæ ſingulas ſucceſſiones probat.

*D. Chriſtophorus Butkens quis, qualis.*

*Intenti confirmatio.*

Probabo nihilominùs illa vnicè, ſine quibus claudicaret hæc quæſtio. Mathildis, Vxor Afonſi Luſitanorum Regis, fuit Bononiæ Comitiſſa. Obijt anno 1254. Si reliquit filios, ergo & heredes. Quomodo ergo anno 1258. erat Bononiæ Comitiſſa Maria quondam Imperatrix, & Ottonis IV. Cæſaris Vxor, & ipſius Mathildis agnata?

*Solutio precluditur.*

Reſpondet aliquis, Mariam audiuiſſe Bononiæ Comitiſſam, non fuiſſe, atque ideò Comitatus habuiſſe titulum, non rem; quia conſuetudo Germanorum eſt, vt omnes minores filij habeant eumdem cum primogenito titulum, & primogenitus hereditatem.

Sed hæc reſponſio non ſufficit controuerſiæ explicandæ: demonſtrabo etenim, dicto anno 1258. habuiſſe Mariam non ſolùm titulum, ſed verè poſſeſſionem.

Donatio inter viuos non eſt contenta transferendæ rei titulo, ſed poſtulat legitimam rei poſſeſſionem: atqui Maria, olim Imperatrix, donauit Henrico III. Lotharingiæ & Brabantiæ Duci, Bononiæ Comitatum; ergo non ſolùm habebat titulum, ſed poſſeſſionem. Inquiris vnde conſtet hanc donationem fuiſſe factam? dabo tenorem formaliſſimum.

MARIA,



celebrior Madrigalenſis quiſpiam; qui, poſteà conuictus, condemnatur. Regi defuncto erat ſimillimus faciei conſtitutione, & membrorum diſpoſitione organicâ; præ ſe ferebat tamen ætatem maiorem quàm deberet, ſi fuiſſet reuerà Sebaſtianus. Species vultus fracta quodammodò apparebat: hoc populus attribuebat laboribus, ſed non ætati. Verè fefellit plurimos; quia Sebaſtiani Confeſſario (hic etiam ſententiæ vltimæ rigori ſubiacuit) inſtruente, ſecretiſſima arcana Regni percallebat, & omnes eius actiones ſimia ignobilis imitabatur. Examinatus de rebus minutiſſimis, quas Philippus Prudens cum Sebaſtiano egerat Gualuppi, oſtendit ſe pollere memoriâ feliciſſimâ: addebat circumſtantias quarum Philippus immemor; ſed, examine adhibito, repertæ veræ. Ceterùm ab aliquibus Madrigaliæ ciuitatis incolis tandem cognitus, confeſſus eſt, ſe ambitione regnandi ductum acquieuiſſe inſtructioni Regij Confeſſarij, & Sebaſtiani difficilem-verè perſonam, ſed tragicè, ſimulauiſſe. Inſtructor capitur; qui apertè expoſuit, quâ inficiebatur, inuidiam atque maleuolentiam, non ſolùm in Philippum Prudentem, ſed etiam in omnes Caſtellanos. Bifariàm erat proditor in hoc facinore. Volebat primò turbare Luſitaniam, & eliminare, imò delere Hiſpanos; ſecundò, Antonium accerſire, vt, fictione detectâ, iterato diſcrimine clauum teneret Portugalliæ.

*Inter multos, qui ſimulauerunt ſe eſſe Sebaſtianum, celebrior quiſpiam ignobilis Madrigalenſis, officio piſtor: inſtructus à Regis Cõfeſſario: examinatur; ſatiſfacit; cognoſcitur; capite condemnatur. Confeſſarius Sebaſtiani bifariàm proditor.*



HENRICVS PORTVGALLIÆ REX XVII.
VIXIT ANN. LXVIII. OBIIT A°. M. D. LXXX.

HEN-



# HENRICVS I.

## LVSITANIÆ REX XVII.

CIRCVLARIS fuit Henrici & ortus & obitus: etenim vltimo Ianuarij die naſcitur Vlyſſipone; & poſt octo & ſexaginta annos eodem prorſus die deſideratur. Erat Emanoëlis filius, Alcobaciæ Abbas, atque Eborenſis Archiepiſcopus, necnon Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Mortuo Sebaſtiano ſine liberis, Rex hereditario iure ſufficitur die Auguſti vigeſimâſextâ anni 1578. Naſcitur anno 1512. deuiuit 1580. Hoc autem admiratione dignum in ipſius Natali. Vlyſſipo plurimâ niue conſperſa viſa eſt: quæ quidem, propter cæli temperiem, vix niues viderit ſine miraculo. Ne autem cum Texeirâ oberres, & à populis eum electum æſtimes, qui Regni eſt heres, dabo genealogiam; ex quâ liceat inferre legitimas cauſſas ſucceſſionis.

*Vita in Henrico verè periodus.*

*Notabile.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| XIIII. Emanoel, Luſitanorum Rex. | XV. Ioannes III. Portugallenſium atque Algarbiorum Rex. Naſcitur anno 1502. die 6. Iunij. Moritur anno 1557. | Ioannes Princeps, naſcitur die Iunij tertiâ. Obijt Patre ſuperſtite anno à Virgineo partu 1554. Duxerat Ioannam Auſtriacam, Caroli V. Imperatoris filiam: quæ deuixit anno 1578. | XVI. Sebastianvs I. Luſitanorum ac Algarbiorum Rex, occiditur in Africâ opem ferens expulſo Fezij & Maroci Regi. |
| | XVII. Henricvs I. naſcitur pridie Kalendas Februarias anni 1512. Fuit Bracarenſis Archiepiſcopus, poſteà Vlyſſiponenſis & Eborenſis, dein S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac demum in ætate decrepitâ legitimus Portugallenſium Rex. Obijt anno 1580. eâdem quâ natus eſt die. | | |

Sub Henrico excitabantur controuerſiæ rigidæ de Succeſſore; quas in Libro vltimo explicatiùs & vberiùs expendo.



PHILIPPVS PORTVGALLIÆ REX XVIII.
VIXIT AN. LXXI. OBIIT A°. M. D. XCVIII.

PHI-



# PHILIPPVS I.

## LVSITANIÆ REX XVIII.

ADES tandem Philippe Prudens, quoniam ſolus. Solus Imperij tui clauum tenuiſti; cui ſecurè ſuſtentando vix ſufficeret Briareus cæli & terræ filius, quantumuis centuplex. Tu Hiſpaniæ Atlas; qui numquam fatigatus, Herculis ope non eges: quin imò reliquis mundi Principibus præis quæ obſeruare debeant. Heu! pudet videre rerum dominos famulo ſubiectos; quorum pedibus ſubſiſtunt Orbes integri. Nec cælum Soles, nec Regnum ſuſtinet Monarchas duos.

*Non verè Monarcha, qui non ſolus.*

Sed cur de Philippo plura dicerem, qui de ceteris pauca? ſiſtat igitur calamus; huius enim maximi Principis encomia prælibare, infinita materia eſt.

Sebaſtiano Rege in Africâ contra Mauros cæſo, Luſitaniæ regnum moderabatur Henricus Propatruus eius, S. R. E. Cardinalis: quo poſt annum quoque ad ſidera tranſlato, vbique terrarum de Succeſſore agi cœptum. Luſitanorum animus & intentum erat, peregrinos quoſque coronâ excludere; at Henrici, Catharinam Infantem, Bragandiæ Duciſſam, Regno imponere. Hinc dubitat quoque Rex Philippus, licet ſapiens. Sapientem non ineptè dixerim, quia anceps ſuſpenſio quandoque à Prouidentiâ exoritur: vnde nec ſapiens ille dicendus, qui nullibi aut ponit aut reperit difficultatem. Conſulit igitur Doctores Salmanticenſes, in eo ſemper præ ceteris illuſtres, quòd non habeant opiniones venales. Hi hominum abſolutiſſimi colunt Platonem, ſed magis Veritatem: quæ ibidem vincit triumphatque; ita vt ipſe Monarcha Catholicus, iure deſtitutus, expreſſo nomine condemnaretur, & cauſsâ caderet. Hi igitur ſapientiſſimi hominum conſulti de Portugalliæ iure, vnanimi conſenſu definierunt; in Regni Luſitaniæ ſucceſſione, proximiorem heredem non eſſe, quàm

*Luſitanorum mens in deligendo nouo Rege.*

*Non dicendus ſapiens, cui omnia æquè ſunt facilia.*

*Salmanticenſis Academia iudicat pro Philippo Rege Caſtella.*

quàm Philippum II. Caſtellæ Regem, Emanoëlis Portugalliæ Regis ex filiâ Iſabellâ Caroli V. Imp. Vxore Nepotem.

Potuiſſet huic oraculo acquieuiſſe Catholicus ille Rex, qui *nec Spe nec Metu* mouebatur; ſed, vberioris ſecuritatis gratiâ, denuò conſulit Doctores Complutenſes, vix inferiores maximis, hoc eſt Salmanticenſibus. Definiunt & illi, alijs omnibus excluſis, Coronam Luſitaniæ deberi Catholico Caſtellæ Regi Philippo. Neque interim omittitur vulgus Theologorum, qui Academiæ pondus faſtidientes, degunt Matriti. Omnium pro Philippo ſententia fuit. Re itaque medullitus examinatâ, Deo auſpice, iuſtitiâ comite, fortunâ ſubſequente, Catholicus Monarcha Philippus Luſitaniam ingreditur, inque arcibus Vlyſſiponis triumphalia erigit ſigna. Philippi Genealogiam dabit ſchema ſubſequens:

*Itemque Academia Complutenſis.*

XVIII.
PHILIPPVS huius nominis I. Luſitaniæ Rex, & Secundus in Caſtellâ, Caroli V. Imp. filius, Matrem habuit Iſabellam filiam natu maiorem Emanoëlis Luſitaniæ Regis. Duxit Vxores quatuor.

*Ex Mariâ, Ioannis III. Luſitaniæ Regis filiâ,*
Carolus Hiſpaniarum Princeps, diuo Bernardo deuotiſſimus, Ciſtertienſis Ordinis Dominos maximi fecit. Obijt ante Patrem, anno 1568.
*Ex Mariâ Angliæ Reginâ nulla ei proles.*
*Ex Iſabellâ Henrici II. Galliæ Regis filiâ,*
Iſabella Clara Eugenia, Vxor Alberti Archiducis Auſtriæ: cum quo ſummâ animi conſtantiâ Belgium gubernauit.
Catharina, Vxor Caroli Sabaudiæ Ducis.
*Ex Annâ, Maximiliani Imp. filiâ,*
Ferdinandus. Obijt puer.
Carolus. Obijt puer.
Laurentius. Obijt puer.
XIX.
PHILIPPVS II. Luſitaniæ, & III. Caſtellæ, omnium Regnorum ſucceſſor.
Maria. Obijt puella.

Obijt Philippus Prudens die 17. Septembris anno 1598. ætatis ſuæ 71. Regni Luſitaniæ 18. Hiſpaniarum 46. Sepultus iacet in Eſcuriali D. Laurentio ſacro, & Regali Cœnobio; quod ipſe Hieronymianæ familiæ, inſigni magnificentiâ & ſtructurâ, à primis olim erexerat fundamentis: quò Parentis ſui Caroli Imp. oſſa transferri iuſſa, cum Vxorum ſuarum reliquijs, & filiorum cineribus conquieſcunt.

Fuit



# PHILIPPVS II.

## LVSITANIÆ REX XIX.

ORITVR Philippus Rex huius nominis Tertius in Caſtellâ, Secundus verò in Luſitaniâ, Madriti, Aprilis quartâ decimâ die, à ſalutis exordio 1578. Varijs infirmitatibus in pueritiâ maceratus didicit labores non timere, non efferri fortunis, nec frangi aduerſitatibus. Deo auſpice, ſoſpes adoleſcit, & Patri deuiuenti ſufficitur in omnibus Regnis. Diagramma genethliacon conſiderato.

*Philippi Natiuitas:*

XIX.
PHILIPPVS II. Luſitaniæ Rex, Caſtellæ III. cognomento Pius, Caroli V. Imp. ex Filio Philippo Nepos. Duxit Vxorem Margaritam, Caroli Archiducis Auſtriæ Filiam: ex quâ

Anna Mauritia. Nupſit Ludouico Iuſto, Chriſtianiſſimo Galliarum Regi.
Maria: cuius ortus & obitus parum diſtiterunt.
XX.
PHILIPPVS III. omnium Regnorum heres. eius nominis in Caſtellâ IV. Carolus, inuidâ morte in ipſo ætatis flore extinctus.
Ferdinandus: Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Toletanus Archiepiſcopus, Alcobaciæ Abbas, Crati Prior, atque Belgarum Prorex.
Margarita, ſeptennis obijt.
Maria, Romanorum Imperatrix.
Alphonſus, obijt Infans.

Quales fuerint hi pientiſſimi Reges, teſtantur omnium genæ madentes lacrymis; ſuſpiria, quæ ad eos & fidei & amoris gratiâ perenniter anhelant. *Mores:*

Deuixit Philippus pridie Kalendas Apriles anno Domini 1621. ætatis ſuæ 43. Sepelitur in templo S. Laurentij in Eſcuriali. Nondum in Pantheo, quod ipſe erigi iuſſit in ſepulchrum Regum Hiſpaniæ. *Mors.*

Eſt Pantheon crypta maxima ſub ſacello maiori, cincta quadratis columnis Corinthiacis ſtriatis; quarum ornamenta, nempe capitella, faſciæ, zonæ, ſunt ex ære inaurato, corpora verò ex lapide marmoreo ditiſſimo. Corona marmorea aulam hanc ſubterraneam redimit, etiam metallo pulcherrimè inaurato conſpicua: claudit hemi- *Πάνθεον; quid, vbi, quale.*

L ſphærium

ſphærium optimè fornicatum ex lapidibus pretioſè-varijs, & aureis emblematibus. Intercolumnia vrnas capiunt, ſed ternas ſingula: quarum epitaphia indicant ſolummodò incluſorum nomina, exarata auratis characteribus in nigro emblemate. Nihil admirabilius vſpiam vidi, neque videri in terrâ credo. Aulæ feneſtra nulla; atque ideò & ſoli & diurnæ luci hæc machina ſuperba denegatur. Oculis cæca illa pulchritudo nullis conceditur, niſi licuerit per lumina curioſè-artificialia. Licet lucem immittere, & mox conſpicari innumeras. Nullus eſt etenim lapis qui non gaudeat ſpeculi prærogatiuâ; ac proinde benè ſperare de animabus cogimur, quarum corpora ſuſpicimus in aulâ empyreâ, hoc eſt, ignium repetitis millenis ſplendoribus & radijs perilluſtri.

*Regum ſepulchra.*

Pompa funebris in obitu Philippi fuit vbique maxima, ſed præcipuè Salmanticæ: quia cùm hæc Academia generoſè diligit viuentes Reges, generoſè etiam illacrymatur deuiuentibus. Apparatus funereus exhibitus ab Vniuerſitate, ſubtili calamo deſcribitur ab Angelo Manrique, Ciſtertienſis Ordinis per vtramque Caſtellam & Gallæciam Vicario Generali, & apud Salmanticenſes artium ac Theologiæ Magiſtro, tunc temporis Moralis Philoſophiæ Lectore, iam verò ex primarijs Theologiæ Cathedraticis; tanto, vt meâ laude non egeat, quia Oracula non egent Patrono.

*Funerea pompa in obitu Regis Philippi.*

*Angelus de Manrique qualis, quantus.*

Debuit Hiſpania libertatem Catholico Regi Ferdinando, Philippo Pio ſummam ſecuritatem: alter Mauros ſubegit; is proditionem molientes à totâ Hiſpaniâ eliminauit. Vicit, fugauit, & tranſuexit in Africam Maurorum pluſquam centena millia, anno Domini 1611. (vix credes) ſine armis, ſine ſanguine, ſine bello, ſolummodò Imperij poteſtate. Ipſius clementia ſumma, efficacior quàm Mars, protexit Hiſpanos, ne perderentur à Mauris, Africanorum reliquijs: imò Mauriſcos, quos iuſtè damnare potuit capite, clementer fudit, malens ſecuritatem candidam

*Mauri ſubacti;*

*à totâ Hiſpaniâ eiecti.*



# FERDINANDVS
## HISPANIÆ INFANS
## BELGII PROREX
### S. R. E. CARDINALIS.

NATVS Luſitanorum inuictiſſimo ſanguine, non Regni, ſed Victoriarum heres, maior triumphis quàm annis Belgij tenet habenas Ferdinandus. Ad Purpuræ eminentiam aſcendit adhuc puer, creatus Crati Prior, Alcobaciæ Abbas, Hiſpaniæ Primas, Archiepiſcopus Eccleſiæ Toletanæ: huius Frater Philippus, cognomento Magnus, non vt Atlas orbem, ſed orbes humero torquet indefeſſo. Conceditur ipſi diuinitus Herculea virtus Ferdinandi, in diſſitarum Prouinciarum regimine adiuturi.

Fuerat in periculo ſummo Germania, cùm nuperrimè graſſaretur hæreſis, &, maximis militum copijs, ſchiſmatici Cæſarem perfidè adorirentur: induit Afonſi Henriquez, primi Luſitanorum Regis, generoſam virtutem Ferdinandus; Nortlingam aduênit, vidit, vicit: triumpho donauit Aquilas, victoriâ Eccleſiam militantem. Peſſumdans ſupremos hæreticorum apices, omnibus inuitis ſchiſmaticis, expectatiſſimus in Belgium venit: in quo ætate maior, diebus ſingulis victor, factus eſt formidabilis omnibus inimicis. Triumphales huius Principis laureas ſedulus adnoto, Hiſtoriam mei temporis publicaturus; ſed modò ſufficiat meminiſſe.

*Ferdinandi victoria ad Nortlingam.*

Hoc tamen cur ipſe omitterem quod triumpho maius? Fortiſſimos in bello Principes non raro vidimus, ſæpè in Academijs ſuſpicimus Primores litterarum. Mirabilis Iuſtino Epaminondas, qui ſcientias profiteretur inter arma. Cur non ipſi Iuſtino mirabilior Ferdinandus Auſtriacus, in

Iuſtinus lib. 15.

in quo vnione hypoſtaticâ * coincidunt Ariſtoteles & Alexander? Quà doctus non tam ſibi amat litteras, quàm ſe litteris: quà ſtrenuus, laureas maritat nomini, ac triumpho famam.

** Eximius Dominus Ioannes Martinez, Magiſter huius Principis, & poſteà Compluti Primarius Cathedraticus, arguebat nos ignauiæ, aſſerens publicè, Sereniſſimum Infantem Cardinalem ita in Philoſôphiâ profeciſſe, vt hanc potuiſſet Compluti profiteri. Credet hoc eſſe verum, qui alterutrius ingenium noſcat; quia Princeps mente pollet, ille vberrimâ veracitate.*

Sæpiuſculè ſeruiui Patriæ, non tamen ſum Hiſpaniæ creditor: eſt Princeps is, cui debeor totus. Curioſo penicillo nuper deſcripſi Hiſpanum ſtemma, & in eo expoſui ſymbola Gentilitia Heſperiæ, ac breuiſſimis lineis comprehendi auguſtiſſimas noſtratum laudes: quid ego aliud inibi, quàm lauros diſtribui, quas admirabar, ſpeculabar in generoſitate Ferdinandi? Non potui triumphalem Hiſpaniam depingere, quin hunc: ipſe etenim in ſuæ virtutis eminentiâ ſimul prærogatiuas continet, quarum quæuis ſufficeret reddere felix vnum ſæculum, vnam prouinciam. Ipſi ſtemma Hiſpanum dicatum volui, vtpote Prototypo.

Difficillimo ſtudio, aſſiſtentiâ perenni, expenſis maximis inueni, analogiſmos demonſtraturus, à Catholico Rege, ab Hiſpanis, Luſitaniæ Prouincias legitimè recuperatas eſſe. Puſillanimis ſim, ſi credam Patriæ non ſeruiuiſſe. Profui, qui natus non mihi vni, ſed Patriæ. Mihi interim in hoc Hiſpania nihil debet: Principis Ferdinandi auſpicijs, commiſſione, ſcripſi bono publico. Hiſpania igitur gratetur illi, & ſibimet ipſi gratuletur. Maiora, ſi Deo placuerit, dabo, & Hiſpaniæ vtiliora: ſingulis enim diebus me Princeps ille Sereniſſimus excellentioribus beneficijs excitat, vt, contemptâ quiete, vacem litteris & iuri Hiſpaniæ. Definiam huius Coronæ illimitatos limites: non vt Galliam Arroyus; quia non dabo lineam, quam authenticè non demonſtrabo.

CORO-



# CORONIS.

VENI tandem Hiſtoricus ad Philippos, Catholicos Hiſpaniæ Reges: opus eſt, vt illa quæ recenſui Chronologus, demonſtrem Scholaſticus. His inſtructior notitijs, percurres ſubſequentia, & percallebis penitus à Coronæ primordijs illegitimas alternationes.

Maioris claritatis gratiâ diuerſos titulos, quibus diuerſi Principes ad Sceptrum adſpirarunt, diuerſis Libris explicabo. Competitorum prætenſum ius ad Capita quinque reduco: aliàs enim his agebatur titulo recuperandæ auctoritatis, aliàs recipiendi Prouinciam nondum exemptam. Nonnulli feudi iure, aliquis titulo electionis, plures hereditario, ad Regni coronam adſpirabant. Qui fuerint Sceptri candidati, & quo vnuſquiſque iure ſuam partem ſtabilire procurauerit, dabit Synopſis quæ ſubſequitur.

*Competitorum tituli varij: qui.*

Macte animo, ingredere, & meditare rationes ſubſequentes, demonſtraturas Regem Catholicum eſſe legitimum Portugalliæ, Indiæ, Braſiliæ, &c. Regem; vt innoteſcat vniuerſis, tandem, Deo auſpice, Auſtriaco Monarchæ conceſſum, quod multis titulis ei debebatur.

M

# SYNOPSIS TOTIVS DIFFICVLTATIS.

Adſpirauit anno 1580. defunɛto Hẽrico Rege, ad Sceptrũ inuictæ Luſitaniæ,

| | | |
|---|---|---|
| IVRE *Recuperandæ auctoritatis*, quam negauit Afonſus Henriquez, cùm defectionem faciens à debitâ obedientiâ Regi, Legionenſi à populo Primus Luſitaniæ Rex ſalutatur, & contra decreta Legionenſia coronatur; | PHILIPPVS II. Caſtellæ Rex, quà Legionis verus ac legitimus Rex. | Libro II. per totum difficilis hæc controuerſia examinatur. |
| IVRE *Recuperandæ Prouinciæ*, quam tyrannicè occupauerat Dionyſius I. Luſitaniæ Rex, à Roberto Bononiæ Comite, filio Afonſi III. & Mathildis Bononiæ Comitiſſæ; | CATHARINA DE MEDICIS, Regina Chriſtianiſſima, quà originem ducit à Mathilde Comitiſsâ Bononiæ, & Afonſo III. Luſitaniæ Regibus. | Libro V. Diſp. IV. cui adiunge vnam vel alteram quæſtionem, quæ expendũtur Libro I. cùm agitur de Afonſo III. |
| IVRE *Recuperandæ Prouinciæ*, quam iniuſtè detinuerat Ioannes I. Luſitaniæ Rex contra ſucceſſores Sereniſſimæ D. Agnetis de Caſtro, legitimæ Vxoris Petri I. Luſitaniæ Regis; | PHILIPPVS II. Caſtellæ Rex, quà oriundus ex Petro I. & Agnete de Caſtro, Luſitaniæ Regibus. | Liber III. totus conſumitur in examine iſtius quæſtionis. |
| itemque contra Succeſſores Reginæ Mariæ, filiæ Afonſi IV. quam duxerat Alphonſus Caſtellæ Rex; | PHILIPPVS II. Caſtellæ Rex, filius Caroli V. Imp. quà ortus à poſteris ipſius Mariæ. | Liber IV. optimè hanc quæſtionem reſoluit. |
| IVRE *Feudi*, aſſerens Luſitaniam ſibi tributariam, & ad ſe pertinere, inueſtire, eligere, & confirmare Succeſſores; | GREGORIVS XIII. Pont. Max. | Libro V. Diſputatione I. |
| | LVPINVS LE MIRE, Abbas Claræuallis Ordinis Ciſtertienſis. | Ibidem Diſputatione II. |
| IVRE *Electionis*, aſſerens auctoritatem Populi Portugallenſis eſſe abſolutiſſimam, ad ſe Comitia pertinere, creare ac deponere Reges; | ANTONIVS, Crati Prior, Sereniſſimi Infantis Ludouici filius, Emanoëlis pater. | Ibidem Diſputatione III. |
| IVRE *Hereditatis*, probans non eſſe locum electioni, ſed ſucceſſioni; Luſitaniam eſſe Matris dotem, ac propterea non niſi hereditatem; | PHILIPPVS II. Caſtellæ Rex. | Libro V. Diſp. VII. ad finem Operis. |
| | ANTONIVS, Crati Prior. | Ibidem Diſput. III. quæſt. II. ad numer. 152. |
| | PHILIBERTVS, Sabaudiæ Dux. | Ibidem Diſputatione VI. |
| | CATHARINA, Barganciæ Duciſſa. | Ibidem Diſputatione VII. |
| | RAINVTIVS, Parmæ Dux. | Ibidem Diſputatione V. |



# LIBER II.

## DEMONSTRAT ALFONSVM VI. THAREIÆ HENRICI COMITIS VXORIS PATREM, IPSIVSQ. POSTEROS LEGIONENSIVM REGES VSQVE AD AVSTRIACVM PHILIPPVM IV. HISPANIAE REGEM FVISSE LEGITIMOS MONARCHAS LVSITANIAE.

# DISPVTATIO.

## *Vtrùm Rex Catholicus, quà Alfonſi VI. Caſtellæ, atque Legionis Regis Succeſſor, Recuperationis titulo occupare potuerit Luſitaniam.*

RIGIDIORIS diſputationis gratiâ ſupponamus, Caſtellæ Regem Philippum Sapientem non fuiſſe Emanoëlis Luſitaniæ Regis Nepotem, non eſſe ex vllo capite de ſanguine inuictè-Luſitanico, non eſſe Henrici heredem, imò nec conſanguineum: non prouenire ex ſanguine Afonſi Henriquez, primi Luſitanorum Regis. Quæres, an aliquo titulo potuiſſet Philippus Caſtellæ Rex inuadere atque occupare Luſitaniam? Reſpondeo affirmatiuè: iuſtè enim occupare potuit Regnum Luſitaniæ titulo Recuperationis. I. *Neceſſaria hypotheſis.*

Chriſtianiſſima Regina Franciæ per procuratorem comparuit coram Henrico Portugallenſium Rege, probatura ipſum Henricum, eiuſque prædeceſſores aliquot intruſos eſſe, & ſine iure aut cauſsâ gubernaſſe Luſitaniam. Odioſa lis Henrico (quis dubitet?) ipſamet erat. Si in iudicio ſuccubuiſſet, fuiſſet depoſitus: nihilo ſeciùs auditur procurator, quia nemini licet aures obturare, cùm indicimus; nemini oculos claudere, cùm explicamus veritatem. Sunt qui hanc deſerunt, ne inuidi appareant: qui Luſitanos veneror; & eorum victorias illuſtriſſimas ſemper ſuſpexi, à maleuolentiæ notâ liber, potero mentem explicare. Inferam conſequentias à nemine præuiſas, ſed in formâ Dialecticâ, à præmiſſis clariſſimis, & per ſe notis. *Veritas ſemper audienda, quamuis futura ſit moleſta cognitio.*

## QVÆSTIO PRIMA.

### *Vtrùm Afonſus, Filius Henrici Comitis, fuerit legitimus Rex Luſitaniæ.*

POrtugalliam in dotem datam fuiſſe Henrico cum Comitatus titulo iam diximus: hodie Comites iſtos non cognoſcimus, quoniam iam audiunt Reges. An iuſtè? omnes & nomen & ius ab Afonſo Henriquez acceperunt: ſi is fuerit Rex legitimus, nullus eſt condemnandus; ſi illegitimus, fuerunt intruſi Succeſſores. Examinemus ergo, an Afonſus legitimè à Rege Legionenſi exemptus fuerit: & inde conſtabit liquidò, an etiam eiuſdem poſteri fuerint exempti.

## ARTICVLVS I.

### *Quibus conditionibus data fuerit Portugallia Comiti Henrico, Regum Progenitori.*

II. *Luſitanorum Comites Regibus Legionenſibus ſubditi.*

REſolutio eſt certiſſima optimorum Chronologorum, donationem Prouinciæ Luſitanicæ factam Henrico fuiſſe ſub hoc onere, vt cognoſceret Legionis Reges tamquam ſupremos Dominos, & teneretur ad Comitia venire, quamuis non vocaretur. Ita Sandoual in Chronic. Alfonſi I. Imperatoris, & Mariana lib.10. cap.1. Illeſcas tom.1. in fine. Ceterùm Henricus Comes non ſolùm erat ſubordinatus Alfonſo Legionenſium Regi, ſed & in actuali regimine ab eo praxis appendebat. Id demonſtrabo ex authographo quod perennat in archiuo Conimbricenſi, vbi reperies hanc Epiſtolam.

Reperitur in Brandaonis Monarchiæ Luſit. part.3. lib.8.c.9.

ALFONSVS *Dei gratiâ Imperator, vobis dilectiſſimo Filio meo Comiti Donno Henrico in Domino Salutem.*

*VEnit [1] ad me [2] querela de [3] ipſo Epiſcopo de Colimbriâ de Villâ Volpeliares, [4] quæ eſt ſub Teſtamento de ſuo Monaſterio de Vacariza, [5] quam habent minùs, [6] & dicunt Mihi, quia ego dedi illam ad Donnum Cyprianum, [7] ſed non venit Mihi in mente; [8] & quamuis ego eam dediſſem, [9] ſi in Teſtamento erat de illo Monaſterio [10] ego nec authorigo, nec authorigabo eam, [11] ſed vos quantum Mihi benè quæritis [12] cauſſam de illâ Sede, & de illos Monaſterios Enderezate illas. Valete.*



Oracula patrono non indigent, nec hæc Epiſtola aliquo Commentario, ſi ſemel percalleas dictionum energiam. Multæ ſunt quæ Ciceroni incognitæ, ſed temporibus Alfonſi in vſu, præcipuè in Luſitaniâ; quæ colligitur magis de re, quàm de vocum critico nitore, curaſſe.

Dabo poſtmodum Lamegenſes leges. Superaddam Commentarios Grammaticos, ſine quibus intelligi nequaquam poterunt. Incepi in hanc Epiſtolam & Commentarios texere, ſed eos moleſtiores mihi quàm tibi vtiliores diiudicans, malui eam à dialecto bellicè-barbarâ ad Latinam puritatem reducere, vt intelligatur etiam ab illis, qui linguam Luſitanicam non callent.

ALFONSVS *Dei gratiâ Imperator, vobis dilectiſſ. F. meo, Comiti D. Henrico in Domino S.*

*Alfonſi Hiſpaniarum Imperatoris Epiſtola clariore periphraſi explicata.*

*EXhibitus fuit [1] in curiâ meâ [2] libellus ſupplex, [3] ex nomine Colimbrienſis Epiſcopi. Queritur, [4] quòd alienata ſit Villa Velpeliares, [5] quæ ex legato cuiuſpiam teſtamenti ad ſuum Monaſterium pertinebat. [6] Vſurpatores aſſerunt me dediſſe illam D. Cypriano, [7] quod nec cogitaui quidem. [8] Ceterùm quamuis ego illi dederim, [9] ſiquidem iam conſtat eam ad illud Monaſterium ſpectare, [10] ego nec talem donationem ratam habeo, aut habebo; [11] vos autem propter amorem meum, [12] illius Sedis, & illorum Monaſteriorum cauſſam dirigitote. Valete.*

An non hæc Epiſtola demonſtrat, Imperatorem Hiſpaniarum Alfonſum retinuiſſe ſupremam in Luſitaniâ auctoritatem, & donaſſe ſolummodò Henricum titulo Comitis

mitis ſubordinati? Sanè non poſſet Imperator donationes rerum publicarum in Portugalliâ efficere, leges ſancire, in litibus diiudicare, Henrici acta, vt ipſe loquitur, *authorigare*, ſi haberet Comes inibi ſupremam ſereniſſimamque iuriſdictionem, & abſolutiſſimam auctoritatem.

Authorigo, *hoc eſt*, Authorizo.

Reperio prætereà in Diplomatibus, omnia firmari à Legionenſi Rege, confirmari ab Henrico: dabo exemplum. In priuilegio quod conceditur S. Seruandi Monaſterio, vt notat Antonius Brandaon in Monarchiæ Luſit. Part.3. libr.8. cap.11. §. vlt. lego. *Henricus gener Regis cum vxore Thareiâ, quod ſocer fecit, confirmo.* Nec proderit ſi dicas, ad confirmationem abſolutiorem auctoritatem requiri, quàm ad actionem; quia in foro Luſitanico *confirmare* idem eſt quod *atteſtari*: vnde in inſtrumentis publicis perſona principalis firmat, & teſtes & Conſiliarij confirmant. Vide Libro vltimo, Diſp.1.q.2. art.1. Diploma Afonſi Regis, vbi ipſe firmat, & Epiſcopi & Conſiliarij ipſius confirmant. Henricus igitur non erat in Luſitaniâ ſupremus Dominus, ſed nomine Regis Gubernator, & quaſi feudatarius, Regiæ voluntatis confirmator, vel potiùs exſecutor. Memoria offert leges Lamegenſes dandas num.10. vbi dicitur §.21. *Vultis quòd Dominus Rex vadat ad Cortes Regis de Leone?* Hinc videtur colligi anteà iuiſſe, quia aliàs tunc non dubitarent, nec inquirerent.

## ARTICVLVS II.

*Afonſus Henriquez coronatur Luſitanorum Rex inconſulto ſuo ſupremo Domino Legionis Rege: atque propterea inualidè.*

III. *Lucanus aptè:* Scelerique nefando Nomen erat virtus.

QVæ vocatur pietas, ſæpè eſt impietas, cùm mala non vitantur, quia non creduntur; non credimus, quia pietatis adulterinâ ſpecie decipimur; & hunc vel illum (licet probatio clara poſtulet) non audemus reum agere. Sedet in tribunali quiſpiam, actor accedis, accuſas de latrocinio ſontem; iudex, pietatis titulo, non credit illum eſſe direptorem: tu iniuſtè læſus remanes, & inde mendax. Qualis tibi videbitur iudex huiuſmodi? herculè iniquus. Ne igitur ego tibi talis videar, ſuppono me hîc non agere de Afonſi Regis ſanctitate, quem ſpero ad ſidera relatum eſſe; hanc non tueor, non impugno: ſit qualem Deus nouerit, nam fortè maxima. Ipſe etenim non fuit Iuris-conſultus, ſed Miles, ac ideò inuincibiliter errare potuit: ſed hoc Deus viderit. Mea intereſt impræſentiarum demonſtrare, obedientiam debitam illegitimè denegaſſe, ac perinde potuiſſe Legionenſium Regem, cum quâ rebellem & inobedientem ſubiugare.



Nondum erat Afonſus coronatus, & iam inceperat Regis Legionenſis auctoritatem faſtidire, & in aliquibus circumſtantijs negare; hac de cauſsâ (conſtat ex omnibus Hiſtorijs) *intentou el Rey de Leão & Caſtella de o fazer ſeu tributario.* verba ſunt Brandaonis Monarchiæ Luſit. Part.3. libr.8. cap.9. hoc eſt: *Decreuit Legionis atque Caſtellæ Rex efficere eum ſibi tributarium.*

*Regis Afonſi primi defectio.*

IV. Expendit hoc Tudenſis Epiſcopus D. Fr. Prudentius de Sandoual in Chronico Imperat. Alfonſi VII. cap.36. *E o Emperador*, ait, *con toda a cauallaria & gente do Reyno de Leão tomou o camino para Galiza con determinação de entrar por aquella parte em Portugal, & não leuantar a mão da guerra ate conquiſtar o Reyno.* Nota illud verbum *conquiſtar*, quod eſt Latinè *recuperare, ſubiugare, intercipere.* Epiſcopi verba Luſitanica Latinè ſic reddo: *Imperator cum omni equitatu & milite Legionenſis Regni cogitat in Galliziam, decernens illac in Luſitaniam ingredi, nec bello valedicere, quouſque hoc regnum recuperaſſet.* Hæc bella fuerunt antequam coronaretur Afonſus, Æra 1175. Dabo teſtimonium ex Zepes Tom.7. in Appendice, & Brandaone Monarch. Luſit. Part.3. libr.9. cap.26. Dederat priuilegium Alfonſus Imperator, quod his verbis finiebatur: *Facta charta donationis Zamoræ IV. Nonas Octobr. tempore quo Guido Romanæ*

Hæc verba referuntur bis à Brandao. in Mon. Luſ. Part. 3. libr.9. cap.26. & ibid. libr. 10. cap.8.

 *Eccleſiæ*

*Eccleſiæ Cardinalis Concilium in Valle Oleſi celebrauit, & ad colloquium Regis Portugalliæ cum Imperatore venit, Ærâ* 1575. ergo ante hunc annum fuerant Afonſi & Imperatoris controuerſiæ.

V. *Acclamatus Rex in campo Ouriquio.*

Afonſus pugnaturus cum quinque Mauris Regibus, acclamatur in caſtris Luſitanorum Rex, vt conſtat ex Gottorum Hiſtoriâ Ærâ 1577. menſe Iulio, die S. Iacobi Apoſtoli. Poſteà impetrat Bullam à Pontifice, & Lamegi in publicis Comitijs confirmatur, ſemper Romæ & vbique contradicente Legionis Rege, vt notauit Bernardus Brito in Ciſtertienſis Chronici libr.3. & Antonius Brandao in Monarchiæ Luſit. Part.3. lib.10. cap.12. ac perinde non poterit videri conſenſiſſe. Hinc dico,

VI. *Cenſuræ acclamationis.*

Primò: Populi tumultuantis acclamatio fuit iniuſta, & defectionis ac rebellionis potiùs ſpeciem præ ſe tulit, quàm electionis.

Secundò: Non eſt in populi auctoritate negare obedientiam ſupremo Principi, & ſubordinatum eximere, atque ſceptro donare: maximè in Luſitaniâ vbi populus non imperabat, ſed Regi Legionis quà ſupremo, Infanti Afonſo quà ſubordinato, ſubdebatur.

## ARTICVLVS III.

### *Coronatur Afonſus à ſummo Pontifice: & quis effectus iſtius coronationis.*

VII. *Britus in Chron. Ciſt. libr. 3. & Brandao Monarch. Luſ. libr. 10. c. 12.*

LEgat in Vrbem Pontificiam Oratores Afonſus, vt Coronam à Domino Papâ impetraret: legat ſuos Legionis potentiſſimus Rex, vt impediret. Tandem Pontifex ſummus noluit non fauere ſtrenuo Militi, ac ipſum honore Regio decorare, maximè cùm intercederet diuus Bernardus Claræ-uallis Abbas.

Controuerſia eſt inter Auctores celeberrima: Vtrùm Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, quà ſummus, poſſit Chriſtianos promouere ad Regiam dignitatem.

Vt



Vt huic difficultati ſatisfaciam, præmittam Protheoremata aliquot reſolutioni neceſſaria. VIII. *Suppoſitum primum.*

PROTHEOREMA I. Regnum eſt duplex: nempe temporale, & Eccleſiaſticum; hoc diuiditur in Pontificium & Monachale, tamquam in principalia membra.

II. Rex ſæcularis ille dicitur, qui in rebus politicis & ciuilibus habet integram ſupremamque iuriſdictionem. *Secundum.*

III. Pontificius, Rex eſt in ſpiritualibus; ille, inquam, cui conceduntur omnes indulgentiæ, priuilegia, gratiæ, atque indulta quæ Regibus concedi ſolent. *Tertium.*

IV. Rex Monaſticus ille, pro quo ſtatuunt in publico Capitulo Monachi tot Miſſas atque ſuffragia celebrare, tantum orationum ac Pſalmorum numerum Domino accinere; quot, quantum pro ciuili Rege celebrant, & canunt deuiuenti. *Quartum.*

V. Titulus Eccleſiaſticus, ac ſæcularis, ſunt ſeiuncti; poſſunt hypoſtaticè vniri, & poſſunt etiam ſeparari: ac ideò ex vno malè infertur atque elicitur alter: potuiſſet enim eſſe ciuilis Rex excommunicatus, cui nullis Indulgentijs via pateſceret; potuiſſet etiam ex cauſsâ vir pauper & ignobilis titulo Regis Eccleſiaſtici inſigniri, ac fieri particeps gratiarum Regiè-ſpiritualium. *Quintum.*

IX. *Illatio.* *Ex vi coronationis Pontificiæ nullus eximitur ab obedientiâ debitâ proprio Monarchæ.*

Ex dictis conſtat, Afonſum à Pontifice potuiſſe in Regem eligi, etiam renitente Legionenſi Monarchâ. Ratio eſt, quoniam hæc Regia coronatio non fit cum partis detrimento vel damno, quia per eam nihil Legionenſi Regi detrahitur auctoritatis; aliàs enim diuus Bernardus non fauiſſet Afonſo Luſitano.

*De diſtinctione regni ſpiritualis & temporalis vberiùs tracto inferiùs* Li. 5. Diſp. 1. art. 3. num. 5. & Diſp. 3. à num. 24.

Ceterùm, ex vi iſtius denominationis Pontificiæ, Afonſus ab obedientiâ Regi ſuo temporaneo debitâ non eximebatur; ratio eſt, quia poterat eſſe Rex Pontificius, atque Vaſſallus ſæcularis: ac propterea fallebantur quotquot ei perſuadebant, ex vi huius tituli, ab obedientiâ exemptum iri. Ratione huius tituli negat ſubmiſſionem debitam Legionenſi Regi, atque ſupremus audit: ergo iniuſtè defe-

 ctionem

ctionem fecit à legitimo Domino. ergo iuſtè poterat armis reduci; atque, ob defectionem, & proprietate territorij & Comitis titulo ſpoliari.

## ARTICVLVS IV.

*Vtrùm validè Regis titulum confirment Comitia Lamegenſia.*

X. Conuocantur Primores Regni, atque Comitia celebrant in ciuitate Lamegenſi: hæc fuit prima congregatio Afonſi Henriquez ac Primatum Luſitaniæ. Dabo textus ſpeciem, quem Antonius Brandao in Monarchiæ Luſit. Part.3. libr.2. cap.13. probabiliter iudicat eſſe authenticum, aſſerens eſſe plurimos, qui huic non ſolùm præberent tantam fidem quantam inſtrumentis authenticis, quæ in Archiuis publicis & Grapheothecis ciuilibus curioſè conſeruantur, ſed & quantam aſſertionibus infallibilibus, & teſſeris indubitatæ auctoritatis.

## DIPLOMA.

Datum in primâ congregatione Regis Afonſi, Henrici Comitis Filij, &c. in quo feruntur leges, & agitur de Regni negotijs, & multis alijs rebus magni ponderis & momenti.

*IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti; [a] Trinitas inſeparabilis, quæ numquam ſeparari poteſt. Ego Afonſus Comitis Henrici & Reginæ Tareiæ Filius, Magniq; Alphonſi Imperatoris Hiſpaniarum nepos, ac pietate diuinâ ad Regium ſolium nuper ſublimatus. Quoniam nos conceſſit Deus quietari, & dedit Victoriam de Mauris noſtris inimicis, & propterea habemus aliquantam reſpirationem; ne fortè nos tempus non habeamus poſteà conuocauimus omnes iſtos: Archiepiſcopum Bracharenſ. Epiſcopum Viſenſ. Epiſcopum Portuenſ. Epiſcopum Colimbrienſem, Epiſcopum Lamecenſ. Viros etiam noſtræ Curiæ infrà poſitos, & pro-*

Hæc verba explicâtur Lib. 2. Diſp.1. num.11. ad 14.



*& procurantes bonam prolem per ſuas ciuitates per Colimbriam, per Vimaranes, per Lamecum, per Viſeum, per Barcellos, per Portum, per Trancoſum, per Chaues, per Caſtrum Regis, per Bouzellas, per Parietes [β] Vetulas, per Senam, per Couilhanam, per Monte Magiore, per Iſgueiram, per Villa Regis, & per [x] parte Domini Regis Laurentius Venegas: & multitudo ibi erat de Monachis & de Clericis, & congregati ſumus Lamegum in Eccleſiâ Sanctæ Mariæ Almacaue, ſeditq; Rex in ſolio Regio ſine inſignijs Regijs, & ſurrexit Laurentius Venegas Procurator Regis, & dixit.*

Hiſpanicè, *Paredes Viejas*, Luſitanicè *Paredes Velhas*.

II. *Congregauit vos Rex Afonſus, quem vos feciſtis in Campo Auriquio, vt videatis bonas litteras Domini Papæ, & dicatis ſi vultis quòd ſit ille Rex. Dixerunt omnes: Nos volumus quòd ſit Rex. Et dixit Procurator: Quomodo erit Rex, ipſe aut filij eius, aut ipſe ſolus Rex? E ʒ dixerunt omnes: Ipſe inquantum viuet, & filij eius poſteaquam non vixerit. Et dixit Procurator: Si ita vultis, date illi inſigne. E ʒ dixerunt omnes: Demus in Dei nomine. Et ſurrexit Archiepiſcopus Bracharenſis, & tulit de manibus Abbatis de Laurbano coronam auream magnam cum multis margaritis, quæ fuerat [δ] de Regibus Gottorum, & dederant Monaſterio, & poſuerunt illam Regi. Et Dominus Rex cum [A] Spatâ nudâ in manu ſuâ, cum quâ iuit in bello dixit: Benedictus Deus qui me [e] adiuuauit. Cum iſtâ [A] ſpatâ liberaui vos, & vici hoſtes noſtros, & vos me feciſtis Regem, & ſocium veſtrum. Siquidem me feciſtis, conſtituamus leges; per quas terra noſtra ſit in pace. Dixerunt omnes: Volumus Domine Rex, & placet nobis conſtituere leges, quas vobis benè viſum fuerit, & nos ſumus omnes cum filijs, filiabus, neptibus, & nepotibus ad veſtrum mandare. Vocauit citiùs Dominus Rex Epiſcopos, viros nobiles, & Procuratores, & dixerunt inter ſe: Faciamus in principio leges de hereditate Regni. & fecerunt iſtas ſequentes.*

Vide Lib. 2. Diſp.1. num.4.

Coronatur Afonſus coronâ veterum Regum Gottorum.

Rex, qui ſocius, bonus. Hinc admonendi, qui fugiunt ſubditos titulo auctoritatis conſeruandæ.

III. *Viuat Dominus Rex Afonſus, & habeat Regnum. Si habuerit filios [ſ] Varones, viuant & habeant Regnum, ita vt non ſit neceſſe facere illos de nouo Reges. Ibunt de iſto modo.*

Ex hac lege conſtat non eſſe locum electionis iuri in hoc



*Pater*

Regno, ſi non deficiat heres. Vid. Li. 5. Diſput. 1. quæſt. 1.

** Pater [B] ſi habuerit Regnum, cùm fuerit mortuus, filius habeat, poſteà nepos, poſteà filius nepotis, & poſteà filios „ filiorum in ſæcula ſæculorum per ſemper.*

* Ergo ſi Pater non habuerit Regnum cùm fuerit mortuus, filius non erit Rex. Ergo non datur beneficium repræſentationis.

IV. *Si fuerit mortuus primus filius viuente Rege Patre, ſecundus erit Rex; ſi ſecundus, tertius; ſi tertius, quartus; & deinde omnes per iſtum modum.*

V. *Si mortuus fuerit Rex ſine filijs, ſi habeat fratrem ſit Rex in vitâ eius: & cùm fuerit mortuus, non erit Rex filius eius, ſi non fecerint eum Epiſcopi, & Procurantes, & Nobiles Curiæ Regis; ſi fecerint Regem, erit Rex; ſi non fecerint, non erit Rex.*

Lege me Li. 5. Diſp 7. præcipuè nu. 8.

VI. *Dixit poſteà Laurentius Venegas Procurator Domini Regis ad Procurantes. Dicit Rex: Si vultis quòd intrent filias eius in hereditatibus regnandi, & ſi vultis facere leges [C] de illas? Et poſteaquam [D] altercauerunt per multas horas, dixerunt: Etiam filiæ Domini Regis ſunt de lumbis eius, & volumus eas [E] intrare in Regno, & quòd fiant leges ſuper iſtud. Et Epiſcopi & nobiles fecerunt leges de iſto modo.*

Filiæ poſſunt regnare. Regnum hoc defertur iure hereditario.

* Iſta lex expenditur Lib. 5. Diſput. 7. quæſt. 4. art. 1. n. 45.

VII. ** Si Rex Portugalliæ non habuerit maſculum, & habuerit filiam, iſta erit Regina, poſtquam Rex fuerit mortuus de iſto modo. Non accipiet virum niſi de Portugal: [θ] nobilis, & talis non vocabitur Rex niſi poſtquam habuerit de Reginâ filium [ʒ] Varonem; & quando fuerit in congregatione maritus Reginæ, ibit in manu [F] mancâ, & maritus non ponet in capite [G] corona Regni.*

VIII. *Sit iſta lex in ſempiternum, quòd prima filia Regis accipiat maritum de Portugalle, vt non veniat Regnum ad [H] eſtraneos: & [I] ſi caſauerit cum Principe [H] eſtraneo, non ſit Regina, quia numquam volumus noſtrum Regnum ire for [I] de Portugalenſibus, qui nos ſuâ fortitudine Reges fecerunt, ſine adiutorio alieno per ſuam fortitudinem, & cum ſanguine ſuo.*

Admittuntur leges.

IX. *Iſtæ ſunt leges de hereditate Regni noſtri. & legit eas Albertus Cancellarius Domini Regis ad omnes, & dixerunt: Bonæ ſunt, iuſtæ ſunt, volumus eas per nos, & per ſemen noſtrum poſt nos.*

X. Et



X. *Et dixit Procurator Domini Regis. Dicit Dominus Rex: Vultis facere leges de nobilitate, & iuſtitiâ? & reſponderunt omnes: Placet nobis, ſit ita in Dei nomine. & fecerunt iſtas.*

Leges de nobilitate.

XI. *Omnes de ſemine Regis, & de generationibus filiorum & nepotum, ſint nobiliſſimi viri. Qui non ſunt de Mauris, & de infidelibus Iudæis, ſed Portugalenſes, qui liberauerint perſonam Regis, aut eius [K] pendonem, aut eius filium, vel generum, in bello ſint nobiles. Si aliquis comprehenſus de infidelibus mortuus erit propter quod non vult eſſe infidelis, ſed ſtat per legem Chriſti, filij eius ſint nobiles. Qui in bello [L] matauerit Regem inimicum vel eius filium, & [M] gancauerit eius [K] pendonem, ſit nobilis. Omnes qui ſunt de noſtrâ Curiâ, & fuerunt de antiquo nobiles, ſint per ſemper nobiles. Omnes illi qui fuerunt [N] in Lide magnâ de Campo d'Auriquio, ſint tamquam nobiles, & nominentur mei Vaſſali per totas generationes.*

Martyres fiunt in cælo, atque in hac terrâ nobiles.

Nobilitas perditur: quâ cauſsâ?

XII. *Nobiles ſi fugerint de [N] Lide, ſi percuſſerint cum [A] ſpatâ [K] ou lanceâ mulierem, ſi non liberauerint Regem aut filium eius, [K] aut pendonem pro ſuo poſſe in [N] Lide, ſi iurauerint falſum teſtimonium, ſi non dixerint veritatem Regibus, ſi malè [O] falauerint de Reginâ, & filiabus eius, [P] ſi fuerint ad Mauros, [A] ſi furtauerint de alienis, ſi blasfemauerint ad* IESVM CHRISTVM, *ſi voluerint [L] matare Regem, non ſint nobiles neque illi, neque filios " eorum per ſemper.*

Leges hæ admittuntur.

XIII. *Iſtæ ſunt leges de nobilitate: & legit eas Cancellarius Regis Albertus, & dixerunt: Bonæ ſunt, iuſtæ ſunt, volumus eas per nos, & per ſemen noſtrum poſt nos.*

XIV. *Omnes de Regno Portugalle obediant Regi, & [Q] Aluazilibus locorum qui fuerint ibi [X] per nomine Regum, & iſti iudicabunt per iſtas leges iuſtitiæ.*

De latrocinijs.

XV. *Homo [A] ſi furtauerit, [X] per primâ vice, & ſecundâ ponant eum medium veſtitum in loco per vbi omnes vadunt; ſi magis [A] furtauerit, ponant in teſtâ latronis ſignum cum [Y] ferro caldo; ſi magis [A] furtauerit, moriatur; & non [L] matabunt eum ſine iuſſu Domini Regis.*

XVI. Mu-

Lex de adulterio.

XVI. *Mulier ſi fecerit [z] malfairo viro ſuo cum homine altero, & vir eius accuſauerit eam ad [q] Aluäzil, & ſi ſunt boni teſtes, crêmetur cum igne, cùm dixerint totum ad Dominum Regem, & cremetur vir de [z] malfairo cum illâ. Si maritus non vult quòd cremetur mulier de [z] malfairo, non cremetur vir qui fecit [z] malfairo, ſed vadat liber; quia non eſt lex viuere illam, & [M] matare illum.*

Lex de homicidio.

XVII. *Si aliquis occiderit hominem, ſit quis eſt, moriatur pro illo. Si quis * ſforciauerit virginem nobilem, moriatur, & totum ſuum [u] auere ſit de Virgine * ſforciatâ. Si non eſt nobilis, maritentur ambo; ſiue homo nobilis ſit ſiue non ſit.*

XVIII. *Quando aliquis per vim [M] gancauerit [u] auere alienum, vadat querelosus ad [q] Aluaz.ir, & ponat querelam, [q] & Aluaz.ir reſtituat illi ſuum [u] auere.*

XIX. *Homo ſi fecerit [R] roxum cum ferro [S] moludo, vel ſine illo, vel dederit cum lapide vel ligno [T] troncudo faciat illum [q] Aluaz.ir componere damnum; & [v] pechare decem [V] morabitinos.*

Contra eos, qui reſtiterint miniſtris Regis.

XX. *Homo qui fecerit iniuriam [q] Aluaz.ile, [*] Alcaide, homini miſſo à Domino Rege, vel [ε] etiam ſaione, ſi percuſſerit aſſignetur cum ferro [Y] caldo: ſi non [v] peche 50. [v] morabitinos, & componat damnum.*

Admittuntur hæ leges à populo.

XXI. *Hæc ſunt leges iuſtitiæ: & legit eas Cancellarius Regis Albertus ad omnes; & dixerunt: Bonæ ſunt, iuſtæ ſunt, volumus eas per nos; & per ſemen noſtrum poſt nos.*

Comites Portugalliæ tenebantur ire ad Comitia Legionenſia, quia non habebant ſupremam auctoritatem. Vide Li. 2. Diſput. 1. quæſt. 1. num. 15.

XXII. *Et dixit Procurator Regis Laurentius Venegas: Vultis quòd Dominus Rex vadat [r] ad Cortes Regis [δ] de Leone, [T] vel det tributum illi, aut alicui perſonæ for [I] Domini Papæ, qui illum Regem creauit? & omnes ſurrexerunt, [A] & ſpatis nudis in altum dixerunt: Nos liberi ſumus; Rex noſter liber eſt, manus noſtræ nos liberauerunt, & Dominus Rex qui talia conſenſerit moriatur, & ſi Rex fuerit non regnet ſuper nos. Et Dominus Rex cum coronâ iterum ſurrexit, & ſimiliter cum [A] ſpatâ nudâ dixit ad omnes: Vos ſcitis [N] quantas lides fecerim per [v] veſtram libertatem; teſtes eſtis, teſtis brachium meum,*



*meum, & iſta* [A] *ſpata, ſi quis talia conſenſerit, moriatur; & ſi filius aut nepos meus fuerit, non regnet; & dixerunt omnes: Bonum verbum. Morientur: & Rex ſi fuerit talis, quòd conſentiat Dominium [ω] alienum, non regnet. Et iterum Rex: Ita fiat.*

## Vocum aliquot, quæ minùs Latinæ ſunt, declaratio.

ADmiraris vocum ſæpiuſculè inſolentiam, atque abuſum non raro: exponam illas in quibus aduerto maiorem à Latiniſmo exorbitantiam.

A. *Spata* ab Hiſpanâ ad Latinam linguam traducta vox eſt. Enſis enim *Eſpada* apud nos dicitur: imò & ad Græcam, σπάθη; vel fortè ἀπὸ τοῦ σπάζειν, quod eſt *ſcindere*.

C. Legis. *Vultis quòd intrent filias eius in hereditatibus regnandi, & ſi vultis facere leges de illas?* An non aptiùs diceretur: *Vultis quòd intrent filiæ eius in hereditatem regnandi, & ſi vultis facere leges de illis?* In nominandi ponit *filias*, quia in eodem caſu diceret Luſitanicè *filhas*, non ſecùs *de illas*. Præpoſitio *de*, more Luſitanico, non petit ablatiuum.

D. *Alterco, as*, apud Terent. in And. *Scio, cum Patre tuo altercaſti dudum.*

E. *Volumus eas intrare in regno:* corrige *in regnum.*

F. Manus manca illa dicitur quæ Latinè ſiniſtra.

G. *Maritus non ponet in capite corona Regni*: cur non, *coronam Regni?*

H. *Eſtraneus, a, um*: Hiſpanè *Eſtraño*, atque Latinè *Extraneus*.

I. *For* Hiſpanè *Fuera*, Luſitanicè *Fora*, Latinè *Præter*, *Foràs*.

K. *Pendo, onis:* Hiſpanicè *el Pendon*, Luſitanicè *o Pendao*: eſt vexillum regiè-militare, quod bellicæ rei eruditi *Labarum*, Hiſpanè *el Eſtandarte* nominant.

L. *Mato, as, are*, idem quod *occido:* verbum eſt Luſitanicū, aſſonat verbo *Macto, as*.

M. *Ganco, as, are*, Luſitanicè *Gancâr*, Hiſpanicè *Ganâr*, Latinè *adipiſci*.

N. *Lis* habet in genitiuo *litis*, ſed hîc variat inflexionem, atque ſignificantiam. habet in caſu patrio *lidis*, & ſic in reliquis conſeruat d. & ſignificat bellum, atque conflictum militarem. Harum Legum Tranſlator Luſitanus vbique pro *Lide* poſuit *à Batalha*, hoc eſt *Bellum*.

O. *Falo, as, are*, idem quod *For, aris*. Fortè vocis etymon à fallendo eſt; quia qui politicè falant, ſæpiùs fallunt. Luſitanicè *Falâr* eſt *Loqui*.

P. *Si fueren*, Hiſpanicè & Luſitanicè *ſi ſe foren*, æquiuocum eſt, ſonat *ſi fuerint*, aut *ſi iuerint*; inde fuit quod vox *fuerint* ſit idem ac *tranſierint*.

Q. *Alüazil*, vel *Alüaz.ir*, iam *Alguazil*, eſt vox Arabica, ſignificat *Prætorem*, *Apparitorem, aut aliquem miniſtrum iuſtitiæ*.

R. *Roxum*, vulnus eſt in quo extrahitur ſanguis; quia Luſitani colorem ſanguineum *Roxo* nominant.

S. *Ferrum moludum*, Luſitanicè *Ferro amolado*, hoc eſt *acutum*.

T. *Lignum troncudum*, hoc eſt *truncatum*: ſic dicitur quod extrahitur à trunco.

V. *Morabitinus*, fortè antiquitùs maioris pretij, hodie eſt argentei pars trigeſima quarta.

X. *Per* ponitur pro *Pro*; ideò dicendum reor *Pro nomine*, & *pro primâ vice*, &c.

Y. *Ferrum caldum*, hoc eſt, *calidum, candens, candidum*. Mart.

*Frigidâ non deſit, non deerit calda petenti.*

Z. *Malfairo*, idem quod *adulterium*: fortè etymon *à maleficio*.

* *Sforciare* Hiſpanè & Luſitanicè *Forçar*, Latinè *Violare*, vel potiùs *abuti aliquâ feminâ per vim*.

α *Trinitas* ponitur abſolutè, nec cohærere poteſt cum prædictis.

β *Parietes vetulas*, Hiſpanè *Paredes viejas*, Luſitanicè *Paredes velhas*. Nomen *Pared* Hiſpanè & Luſitanè eſt femininum; hinc ineptæ connexioni occaſio.

γ *E* coniunctio eſt Luſitanica, ſignificat *Et*.

δ Præpoſitio *De* more Luſitano ſignificat poſſeſſorem, ideò *quæ fuerat de Regibus*, idem eſt ac ſi diceretur, *quæ fuerat Regum*.

ε *Adiuuo, as, are*, habet præteritum *Adiuui*, non verò *Adiuuaui*: fortè legen-

 dum

dum eſt, *Benedictus Deus qui me adiutauit.* Ceterùm *adiutare* eſt *ſæpiùs adiuuare*. Hoc verbum *Adiuto* reperitur in verſu Ennij apud Cic. de Senect. *O Tite, ſi quid ego adiuto.*

ζ *Varo, onis* idem quod *Vir.* Hiſpanè *Varon*, Luſitanicè *Varao.*

η *Filios* in nominandi caſu more Hiſpanico *Hijos*, Luſitanico *Filhos.*

θ *Nobilis*, ſi coniungas ſequentibus retine; aptiùs autem antecedentibus coniuncturus legerem *nobilem*.

ι *Caſare*, Luſitanicè *caſar*, eſt *nubere.*

κ *Ou* diſiunctio, Latinè *aut.*

λ *Furto, as*, frequentatiuum à *furor, aris*: fortè vix apud alium Auctorem reperiendum.

μ *Totum ſuum auere*, id eſt *totum quod habuerit.* Ponitur *Auere* pro *Habere.*

ν *Pechare*, Hiſpanè *pechar*. *Pagar pecho*, hoc eſt *tributum pendere*, eſt proprium ruſticorum & ignobilium. *Los nobles pagan, no pechan.*

ξ Hæc eſt differentia inter has duas voces Arabicas, *Alcaide* & *Alcalde*, quòd *Alcalde* ſit ſenator ciuitatis in pace, & *Alcaide* Gubernator Arcis pro bello: alius eſt Miniſter politicus, & alter militaris.

σ *Cortes* vox Hiſpanica, ſignificat *Comitia*, ad quæ vocantur Vicarij & Procuratores ciuitatum, vt nomine vniuerſorum ciuium tractent negotia Regni. Ex hac lege videtur conſtare iterùm, quòd Comes Henricus nomine omnium Portugallenſium tenebatur venire ad Comitia Regis Legionenſis.

τ Quæ hodie vocatur *Legio* Prouincia celeberrima Hiſpaniæ, olim audiebat *Leo.* Sanè *Legio* vocis corruptio eſt, non correctio. Hiſpanè nominatur *Leon*, Luſitanicè *Leao.* habetque in gentilitio ſtemmate Leonem, vt explicui in meo Hiſpano ſtemmate: id dedi Hiſpanicè, dabo Latinè.

υ *Per.* melius, *pro veſtrâ libertate.*

ω *Quod conſentiat dominium alienum*, Hiſp. *que conſienta dominio axeno*, hoc eſt, *qui conſentiat, quod dominetur alienigena*, &c.

Hæc placuit pro peregrinis adnotaſſe, ne hæreat in Diplomatis iſtius lectione, qui non callet linguam Luſitanicam.

## ARTICVLVS V.

### *Comitiorum Lamegenſium Leges: Cenſor rélego, Iudex relêgo.*

XI. *Legiſlator de Latinitate malè meritus.* CAſtiget incongruitatem idiomatis, qui has Leges examinat Grammaticus; illud ſæculum ſubſtantiam potiùs rerum quærebat, quàm ornatum. Plurima ſunt minùs Latinè dicta; ceterùm benè indicta, ſi ſolùm peccent contra Latinitatem.

Legis in §. 1. *Ego Afonſus ..... pietate diuinâ ad Regium ſolium nuper ſublimatus.* Dubito quid intelligat per pietatem diuinam: nam vel intelligit illam, quæ in viſione ipſum Regem creauerat; vel illam, quæ prædeterminauit populos, vt ipſum in caſtris proclamarent.

Si primo modo intelligat, dico illam reuelationem (licèt aliàs veram, de quo non curo) eſſe improbabilem, ac perinde non ſufficere, vt ad Regium ſolium politicè ſublimaretur. *Actio publica qualis.* Actio enim politica, debet eſſe & notoria & publica; fiat ergo & notoria & publica, reuelatio huiuſmodi, & ſub-



ſcribemus (etiam in iudicio) affirmanti. Sed de hoc acriùs art. VII. huius Quæſt. diſputabimus.

Si ſecundo intelligat modo, loquitur communiſſimâ phraſi: ſimili etenim vtimur, cùm dicimus: *Philippus Dei Gratiâ Hiſpaniarum atque Indiarum Rex.* Ceterùm Diuinâ pietate ſublimatur, ſi iuſtè; ſi illegitimè, non niſi Diuinâ permiſſione: iniurias equidem permittit, non tamen efficit Pietas illa diuinitùs tranſnaturalis. Sed hoc reſtat penitiùs explicandum. XII.

Lego in §. altero, *Congregauit vos Rex Afonſus, quem vos feciſtis in campo Ouriquio, vt videatis bonas litteras Domini Papæ, & dicatis ſi vultis, quòd ſit ille Rex.* Dicitur Populus feciſſe Regem, ſed tumultuans & deficiens ab Legionenſium Rege, atque propterea inualidè. Vide huius Quæſt. art. II. per totum.

Interim litteras Domini Papæ, in his Comitijs datas examinemus. An populis præcipit, vt velint Afonſum eſſe Regem Eccleſiaſticè-Spiritualem? Minimè: Pontifex etenim inuito Populo habet auctoritatem, vt quemcumque creet & donet titulo Regni incorporei: Deo etenim ſeruire, regnare eſt; non tamen regnare ciuiliter, ſed ſpiritualiter. Ideò ſicut famuli Dei ſunt Reges cæleſtes, ſic Pontifex poteſt creare ſuos Reges, quos participes faciat gratiarum, quas reliquis Monarchis conceſſerit. Epiſcopus, Abbas ſimiliter poteſt concedere, vt quiſpiam Monaſticè ſit Rex; hoc eſt, fruatur tot orationum ac Miſſarum ſuffragijs, quot in illo Monaſterio (Epiſcopatu, Eccleſiâ analogicè) ſolent frui Reges legitimi: ſed hoc non habet cum titulo politici Regni aliquam connexionem. *Litteræ Pontificis quæ?*

An Pontifex populis præcipit, vt Afonſum eligant in Luſitaniæ politicum atque ciuilem Regem? Minimè. Ratio eſt: quia politicos Reges & temporales Principes non poteſt creare ſummus Pontifex in Luſitaniâ, nec indicere Portugallenſibus ſibi eligant, vel non eligant: hæc enim ſunt merè ciuilia, ac perinde extra Pontificis iuriſdictionem. XIII. *Romanus Pontifex an præcipit?*

O 2 An

*An conſulit?*

An conſulit Romanus Pontifex? Eſto. Quid inde? an ex hoc conſilio immutatur populi auctoritas, vel iuriſdictio? Minimè: quia ſi populus non poterat negare obedientiam Monarchæ Legionenſi, non negaret licitè, nec validè, quamlibet ex conſilio Pontificis Romanè-Summi. Ceterùm, crediderim eas litteras Domini Papæ, quarum fit hîc mentio, eſſe feudi ſpiritualis admiſſionem, de quâ ſuo loco diſputo; & denominationem illam, quâ Afonſus exponitur Rex ſpiritualiter & Pontificiè. Has litteras inferiùs recenſebo.

XIV. *Hæc Comitia fuerunt illegitima.*

Nihilominùs, vt rem fatear, Comitia hæc illegitimè fuêre congregata, ac propterea nulla. Aſſumptum probo. Quia Comitia coniunguntur, & indicuntur ab habente ſereniſſimam auctoritatem, ſupremamque iuriſdictionem: atque hæc ab Afonſo, vt conſtat ex illis verbis: *Congregauit vos Rex Afonſus*: iſte autem nondum erat Rex, aut ſupremus Luſitanorum Dominus, quia aliàs, non adderetur, *Vt dicatis, ſi vultis, quòd ſit ille Rex*. Ergo iſta Comitia ſunt inualida. Nec valet dicere, Afonſum ante iſta Comitia fuiſſe Regem. Ratio eſt, quia is talis audierat, non ex eo quòd iuridicè fuiſſet promotus, ſed ex eo quòd à tumultuante atque graſſante milite talis in bello fuiſſet acclamatus. Vnde §.2. dicitur: *Rex Afonſus, quem vos feciſtis in campo Ouriquio.*

XV. *Sine licentiâ Legionenſis Regis non potuit Afonſus diademate Regio donari.*

Præterea quamlibet Infans Afonſus potuiſſet congregare Primores ad Comitia, non potuit in illis ſublimari ad ſolium Regium ſine licentiâ Regis Legionenſis. Ratio eſt, quia ſublimari ad Coronam politicam, eſt eximi ab obedientiâ: atqui nullus ſeipſum poteſt à debitâ obedientiâ eximere propriâ auctoritate ſine licentiâ ſuperioris: ergo Afonſus ad Regni faſtigium ſine Legionenſis Monarchæ auctoritate non potuit promoueri.

*Decreta hæc non ſolùm irrita, ſed ſæpè iniqua.*

Hinc colligo, non ſolùm decreta Comitiorum huiuſmodi eſſe inualida, ſed alicubi iniqua. Paragrapho enim vltimo, *Et dixit Proc. Reg.* condemnantur fideles & obedientes proprio Domino, nempe Legionis Regi; commendantur rebelles, & inobedientes. Ibi, aut nullibi verificari video illud Poëtæ,

*—— Culpa ſceleriq; nefando*
*Nomen erat virtus.* ——

Volunt rebellionem & defectionem peſſimam latâ lege indicere, ne appareat illegitima, quæ non poteſt non eſſe iniquiſſima.



## ARTICVLVS VI.

*Nihil referre, licet vnus vel alter Pontifex titulum Regium confirmarit.*

XVI. *Quæ confirmationis Pontificiæ vtilitas.*

INNocentius II. Afonſum Henrici Comitis filium creauit Luſitanorum Regem, vt iam vidimus: huncque titulum Pontifices aliquot confirmaſſe, ſuo loco videbimus. Qualis confirmationis fructus? certè qui ciuiles titulos in Luſitaniâ dare nequit Romanus Pontifex cuipiam licet digniſſimo, tales neque poterit vſpiam confirmare. Dedit ſolummodò Innocentius Regis ſpiritualem & incorporeum titulum: quem confirmant, & iterùm concedunt ſucceſſores.

*Ciuilia & temporalia directè non ſubſiſtunt Pontifici.*

Certè Summus Pontifex ciuiles titulos in Luſitaniâ nequit dare: quia ſicut non poteſt creare Comites, Marchiones, Duces ciuiles, ſic nec Reges. Conſultò in Luſitaniâ dixero; quia in Pontifice duas qualitates conſidero, mundanam, & ſpiritualem. Hæc omnes Eccleſiaſticas tranſſcendit circumſtantias: illa cingitur limitibus illius territorij, quod dicitur Eccleſiæ Romanæ patrimonium. In hoc, ciuiles Comites ac Duces eligere poteſt, imò & Regem eligere, ſi ſuo iuri cederet, & alius ſæcularis Eccleſiaſticúſve illi ſufficeretur.

## ARTICVLVS VII.

*Vtrùm Afonſus Henriquez fuerit creatus Rex immediatè à Deo Optimo Maximo?*

XVII. *Deus Regum Dominus.* DEus vniuerſorum Dominus non indiget populorum Comitijs, nec gentium vocibus, aut aliorum ſuffragijs vt Reges creet: ipſe eſt Rex regum & Dominus omnium dominantium. Communis Luſitanorum ſententia eſt, Regem Afonſum, Filium Henrici Comitis, ad dignitatem Regiam diuinitus promotum eſſe. Fuiſſe exemptum ab obedientiâ Regis Legionenſis decreto Dei ipſius, ipſi in ecſtaſi concedentis ſereniſſimam atque ſupremam poteſtatem. Hæc Regis creatio diuinitus miraculoſa probatur ex iuramento Afonſi Regis, cuius Protocolon continet hæc formalia verba.

## AFONSI LVSITANIÆ REGVM PRIMI SACRAMENTVM REGIE-MILITARE.

Rex iure-iurando exponit cælitus habitam Apocalypſin. Chriſtum audit, auditur. Prædicit translationem Luſitanici Regni ad Caſtellanos. Quinque clypei quinis Chriſti vulneribus illuſtres, ſunt Luſitaniæ arma, atque vocantur *Quinæ*. *Quinas* Gentilitia Luſitaniæ inſtituens, ipſarum ſymbola declarat.

XVIII. *Boni Homines* olim qui hodie *Magnates.* *EGo Afonſus Portugalliæ Rex, Filius illuſtris Comitis Henrici, Nepos Magni Regis Alfonſi coram vobis bonis viris Epiſcopo Bracharenſi, & Epiſcopo Colimbrienſi, & Theotonio, reliquiſq́; Magnatibus, Officialibus, Vaſallis Regni mei, in hac Cruce ӕreâ, & in hoc libro Sanctiſſimorum Euangeliorum iuro cum tactu manuum mearum, quod ego miſer peccator vidi hiſce oculis indignis verum Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM *in Cruce extenſum in hac formâ.*

* *Hueſte* eſt exercitus.

II. *Ego eram cum meâ * hueſte in terris vltra Tagum in agro*



*agro Ouriquio, vt pugnarem cum Iſmaele, & alijs quatuor Regibus Maurorum habentibus ſecum infinita millia Et gens mea timorata propter multitudinem, erat fatigata, & multùm triſtis, in tantum vt multi dicerent eſſe temeritatem inire bellum. Et ego triſtis de eo quòd audiebam, cœpi mecum cogitare quid agerem; & habebam vnum * Librum in meo papillione, in quo erat ſcriptum teſtamentum antiquum, & teſtamentum* IESV CHRISTI. *Aperui illum, & legi Victoriam Gedeonis, & dixi intra me:*

* *Biblia*

III. *Tu ſcis Domine* IESV CHRISTE, *quia pro tuo amore ſuſcepi * bellum iſtum contra tuos inimicos, & in manu tuâ eſt dare mihi & meis fortitudinem, vt vincamus illos blaſphemantes tuum nomen.*

* *bellum iſtud*

IV. *Et ſic dicens obdormiui ſupra Librum; & videbam virum ſenem ad me venientem, dicentemq́; Afonſe confide, vinces enim debellabiſq́; Reges iſtos infideles, conteres potentiam illorum, & Dominus noſter oſtendet ſe tibi.*

V. *Dum hæc video, accedit Ioannes Ferrandus de Souſa vaſallus de meo cubiculo, dixitq́; Surge Domine mi; adeſt homo ſenex, vultq́; te alloqui. Ingrediatur, dixi, ſi fidelis eſt. Ingreſſus ad me. Agnoui eſſe illum, quem in viſione videram, qui dixit mihi:* *Vaſallus de cubiculo*; nunc *camerarius.*

VI. *Domine bono animo eſto: vinces, & non vincêris. Dilectus es Domino; poſuit enim ſuper te, & ſuper ſemen tuum poſt te, oculos miſericordiæ ſuæ vſque in ſextam decimam generationem, in quâ attenuabitur proles, ſed in ipſâ attenuatâ ipſe reſpiciet, & videbit. Ipſe me iubet indicare tibi, quòd dum audieris ſequenti nocte tintinnabulum * dormitorij mei, in quo vixi ſexaginta ſex annis inter infideles ſeruatus fauore Altiſſimi, egrediaris extra caſtra ſolus, ſine arbitris, oſtendere tibi pietatem ſuam multam.*

* *Remiſſorij* legit Brandao, ſed Marez *dormitorij.*

VII. *Pariui, & reuerenter in terrâ poſitus, & nuntium, & mittentem veneratus ſum. Et dum in oratione poſitus ſonitum exſpectarem, ſecundâ noctis vigiliâ tintinnabulum audiui; & enſe & ſcuto armatus egreſſus ſum extra caſtra, vidiq́; ſubitò*

*ſubitò à parte dextrâ Orientem verſus micantem radium; & paulatim ſplendor creſcebat in maius: & dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipſo radio* * *clarior ſole ſignum Crucis aſpicio, &* IESVM CHRISTVM *in eo crucifixum, & ex vnâ & alterâ parte multitudinem iuuenum candidiſſimorum, quos ſanctos Angelos fuiſſe credo.*

* An *clarius?* an ſole clarior qui Crucem reſpicit? locus in Hiſpano ſtemmate expendendus.

VIII. *Quam viſionem dum video, depoſito enſe, & ſcuto, relictiſq; veſtibus, & calceamentis, pronus in terram me proijcio, lachrymiſq; abundè miſſis, cœpi rogare pro confortatione Vaſallorum meorum, dixiq; nihil turbatus:*

IX. *Quid tu ad me Domine? Credenti enim fidem vis augere? Melius eſt vt te videant infideles, & credant, quàm ego qui à fonte baptiſmatis te Deum, verum Filium Virginis & Patris æterni agnoui, & agnoſco.*

X. *Erat autem Crux miræ magnitudinis, & eleuata à terrâ quaſi decem cubitos. Dominus ſuaui vocis ſono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi:*

XI. *Non vt tuam fidem augerem hoc modo apparui tibi, ſed vt corroborem cor tuum in hoc conflictu, & initia Regni tui ſupra firmam petram ſtabilirem. Confide Afonſe; non ſolùm enim hoc certamen vinces, ſed omnes alios in quibus contra inimicos Crucis pugnaueris. Gentem tuam inuenies alacrem ad bellum, & fortem, petentemq; vt ſub Regis nomine in hac pugnâ ingrediaris, nec dubites, ſed quidquid petierint, liberè concede. Ego enim ædificator & diſſipator Imperiorum & Regnorum ſum: volo enim in te & in ſemine tuo Imperium mihi ſtabilire, vt deferatur nomen meum in* * *exteras gentes, & vt agnoſcant ſucceſſores tui datorem Regni.* * *Inſigne tuum ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo quo ego à Iudæis emptus ſum, compones: & erit mihi regnum ſanctificatum, fide purum, & pietate dilectum.*

* Oraculum de Indijs.
* Inſigne Luſitaniæ myſticum.

Character boni Principis.

XII. *Ego vt hæc audiui, humi proſtratus adoraui, dicens: Quibus meritis Domine tantam mihi annuntias pietatem? quidquid iubes faciam, & tu in meâ prole, quam promittis, oculos benignos pone, gentemq; Portugallenſem ſaluam cuſtodi, & ſi*



*& ſi contra eos aliquod paraueris malum, verte* * *illum potiùs in me, & in ſucceſſores meos; & populum, quem tamquam vnicum filium diligo, abſolue.*

* *illud*

XIII. *Annuens Dominus inquit: Non recedet ab eis neque à te vmquam miſericordia mea: per illos enim paraui mihi meſſem multam,* [d] *& elegi eos in meſſores meos in terris longinquis.*

XIV. *Hæc dicens diſparuit: & ego fiduciâ plenus & dulcedine redij in caſtra; & quod taliter fuerit iuro ego Afonſus Rex per Sanctiſſima* IESV CHRISTI *Euangelia hiſce manibus tacta.*

XV. *Idcircò præcipio ſucceſſoribus meis in perpetuum futuris, vt ſcuta quinque in Crucem partita, propter Crucem & quinque vulnera Chriſti, in inſigne ferant, & in vnoquoque triginta argenteos, & ſuper ſerpentem Moyſis ob Chriſti figuram. Et hoc ſit memoriale noſtrum in generatione noſtrâ. Et ſi quis aliud attentauerit, à Domino ſit maledictus, & cum Iudâ traditore in inferno maceratus. Facta charta Colimbr. III. Kalend. Nouembris, Æra* M. C. LII.

Ego Afonſus Portugalliæ Rex.

I. Colimb. Epiſcopus. Gondiſaluus de Souſa Procurator Vimaracenſis.
I. Bracharenſis Metropolitanus. Pelagius Meneñ. Proc. Brac.
T. Prior. Suer Martini Proc. Colimbr.
Ferrandus Petri Curiæ Dapifer.
Petrus Pelayi Curiæ ſignifer.
Velaſcus Sancij.
Afonſus Meneñ. Præf. Vlixb.
Menendus Petri pro Magiſtro Alberto Regis.

Pendebant ex eâdem membranâ quinque ſigilla; materies, cera ſubpallida. Medium exhibebat Quinas, & circumſcriptionem veterum characterum exeſam inclementiâ temporis. Ex bombycinis ligulis pendebant alia quatuor ſigilla. Ita Marizius Dialog. 1. c. 5. ſed Brandao in Monarchiæ Luſit. libr. 10. c. 5. videtur non nouem, ſed quatuor tantummodò ſigilla admittere.

*Sigilla huius inſtrumenti.*

# QVÆSTIO INCIDENS.

## *Sitne hæc Scriptura authentica, vel non?*

*Hoc Protocolon reperitur vbi? quando? quomodo?*

XIX. ANno 1596. in Bibliothecâ Chirographicâ Monaſterij Alcobaciæ, cuius hodie Abbas Sereniſſimus Infans Ferdinandus Auſtriacus, Philippi III. Filius, & S.R.E. Cardinalis, Doctor D. Bernardus de Brito, Hiſtoriographus Generalis Regni Portugalliæ, examinans Hiſtoriæ ornandæ gratiâ antiquiora inſtrumenta, inuenit hoc Regis Afonſi iuſiurandum ſcriptum in membranâ ſubapparenti charactere, cum ſigillis, vt expendimus, nouem: medium erat illuſtre Luſitanorum Quinis, alia ſemidiruta imagines non ſuggerebant; ſed erant fortaſſe illorum, coram quibus hoc celebre iuramentum præſtitum.

*Obiectio prima.*

Fidem ex eo negandam huic Protocolo dicis, quòd is Auctor ſæpè à communi deuiet, & videatur dictare ſæpiùs Authographa, potiùs quàm antiqua decerpere: & hæc vt ſua ſenſa, aliàs vix credibilia, euidentiora faciat. Ita de Brito aliqui. Reliquum, quantum coniectari ſufficio, Auctor eſt ſummè-diligens, cui debet antiquitas rerum plurium notitiam, quæ Lethæis ſubmerſæ aquis, fugiebant vniuerſorum oculos. Eſt herculè de re Chronicâ optimè meritus: cuius perenne ſtudium atque felicem diligentiam vulgata opera teſtatam faciunt.

XX. D. Laurentius de S. Spiritu, tunc temporis Alcobaciæ Abbas (habet hæc domus duos Antiſtites, nempe Commendatarium, & Regularem) magni iudicij vir, expoſuit non ſine voluntate Numinis hoc Protocolon fuiſſe inuentum, & ideò debuiſſe publicari. Nomine ſuo auctorauit tranſſcripta mittenda Portugalliæ Primoribus; & tandem veniens Madritum, Philippo II. cognomento Sapienti, obtulit: à quo honorificè ſuſceptus eſt.

Aliqui



*Obiectio ſecunda.*

Aliqui putarunt non eſſe Protocolon; eò quòd & litterarum tenor & omnes ſubſcriptiones fuerint eiuſdem characteris: ſed ijs abundè ſatisfacit citatus Brandao; quia plurima antiqua inſtrumenta indubitatæ fidei perſtant hodie in Eccleſiarum Bibliothecis, in quibus teſtium nomina manu Graphiarij delineantur.

Ceterùm Hiſtoriæ veritas aliunde copioſiſſimè liquet, & XXI. ideò ſupereſt dubitationi nullus locus. In regis Afonſi I. antiquo Chronico narratur hæc Apocalypſis, & exprimuntur ferè omnes circumſtantiæ; inter quas Chriſti Domini apparitio his verbis: *Et o Principe ſalbioſe fora de ſua tenda: & ſegundo elle meſmo deu teſtemunho em ſua Hiſtoria, vio noſſo Señor em a Cruz, na meſma maneira que dice o Hermitao, & adorou, &c.* Hoc eſt: *Exiuit Princeps ex tabernaculo, & vt ipſe teſtimonio firmat in ſuâ Hiſtoriâ, vidit Dominum noſtrum crucifixum, vt Heremita dixerat, & ipſum adorauit, &c.*

Singula verba habent particularem vim, vt huius inſtrumenti fidem auctoritatemque propugnent. Primò, illa, quæ à Chronographo aſſeruntur, conſonant verbis ſacramenti, videlicet §. *Parui & reuerenter*. Præterea quæ illa hiſtoria teſtimonio eiuſdem Afonſi Regis firma? an alia quàm hæc Apocalypſeos ſincera deſcriptio iureiurando roborata? Maneat igitur integrum, Afonſum hanc viſionem teſtimonio publico manifeſtaſſe, cuius Hiſtoriographus in dicto capite quinto decimo meminit; quod quinque ſæculis conſeruauit Alcobaciæ fidelitas, quod iam publici iuris factum debemus Briti diligentiæ, & munificentiæ Domini Domini Laurentij Abbatis.

Hæc Hiſtoria ab octoginta annis ex Annalibus quibuſ- XXII. dam antiquiſſimis colligebatur ab Eduardo Galuao, Regni iſtius Chronographo primario; qui ſe totum hoc ſacramentum legiſſe inſinuat inferiùs, dum ait: *E por ſuas couſas andarem por culpa dos tempos em muy falecida lembrança de eſcritura,*



*tura,*

*tura, quis Deos ſegundo parece, que ficaſen alguas en confirmada fama.* Condolet quòd exciderit penitior notitia huius reuelationis, ideò ait: *Quia res hæ temporum iniuriâ memoriâ exciderant, quà fragili; videtur voluiſſe Deus, perennarent in firmiſsimâ famâ, atque maiorum traditione.* Poſteà expendit promiſſos fauores vniuerſos, ſed attenuandæ prolis poſt ſextam decimam generationem non meminit; quia cùm ſub Emanoële ſcriberet, & duæ ſolummodò generationes ſupereſſent, noluit turbare populos, prædicens Glorioſiſſimi Emanoëlis nepotem ſine poſteris auferendum eſſe.

XXIII. *Obiectio tertia.* Aliquibus eſt ſuſpecta Latinitas: videtur enim ſtilus floridior illo qui tunc erat in vſu. Sapit potiùs Romanæ phraſis ſplendorem, quàm militaris idiomatis auſteritatem. Attamen non eſt cur ſtilus laudetur, cùm ſit ſæpiùs aridus, atque minùs cohærens. *Ego eram cum meâ hueſte*, dicitur num.2. Brandao legit *oſte*, Mariz *meâ hoſte:* quomodocumque efferas, vox eſt barbarè-Luſitana, quam Latinus non viderit. Num.5. *Ingreſſus ad me agnoui.* An non Latinus diceret, *ingreſſum ad me agnoui eſſe illum, &c.* Num.6. *Egrediaris * * oſtendere tibi.* Phraſis barbara. Magis Latinè diceret: *Egrediaris vt oſtendat tibi, &c.* Num.7. *Ecce in ipſo radio clarior ſole ſignum Crucis aſpicio.* Quis ſenſus? an non aptiùs *clariore?* Num.15. *In infernum maceratus*, habebat Brandao: ſed quo ſenſu? Poſui ex Marizio, *In inferno.* Non eſt igitur cur ipſe Marizius ſtili excuſet ſplendorem, cùm ſtilus hoc careat, & redoleat potiùs aſperitatem armiſonam, quàm eloquentiam.

*Obiectio quarta.* Inuehuntur alij, vt fidem huius Protocoli minuerent ex datâ. Hæc Æram indigitat 1152. ergo annum Chriſti 1114. ergo hoc anno feciſſe iurat Afonſus quæ nondum fecerat. Victoriâ etenim potitus eſt in campo Ouriquio Ærâ 1177. vt conſtat ex Reſendio citato, & ex Brandao. lib.10. c.3. Æra autem hæc reſpondet anno Domini 1139. longè poſt annum 1114.

Reſpon-



Reſpondeo, apud Hiſpanos fuiſſe in vſu tunc temporis duas Æras, videlicet Cæſaream, & Chriſtianam; & ſæpiùs vtra eſſet, non exponebatur. Notauerat ante me Ambroſius de Morales in diſcurſu de ſupputandis annis, & in ſuæ Hiſtoriæ libr. 7. cap.51. D.Garcia Loyaiſa Archiepiſcopus Toletanus in Annotat. ad Conc. Iliberitanum, & Mariz Dial.2. cap.5. vbi probat, aliquot ex illis qui hoc ſacramentum ſubſcriptione corroborant, non fuiſſe in notatis officijs in Ærâ Cæſaris, ſed Chriſti.

Tandem ſi quæ ſint obiectiones, quibus non ſatisfecerim, enodabuntur, perenni traditione confirmante, Afonſum ecſtaſim victoriæ prænuntiam iureiurando confirmaſſe.

## RESOLVTIO

### *huius difficultatis Art.* VII. *propoſita.*

PRobaui hoc inſtrumentum eſſe authenticum, hoc eſt, eſſe indubitatæ auctoritatis. Dico igitur, Deum eſſe, vt aſſerit in iuramento Afonſus, datorem Imperiorum; concedo Regem hoc ipſum iuramentum coram Primoribus præſtitiſſe ſolemniter. In eo Afonſus aſſerit ſe recepiſſe coronam immediatè à Deo: probet hoc, & ſtatim à me, & ab vniuerſis Caſtellanis acclamabitur Rex Portugalliæ. Ceterùm in re politicâ non ſufficiebat priuata reuelatio ad hoc vt Rex Legionis legitimâ iuriſdictione auctoritateque priuaretur, & introduceretur extraneus. An non, te Iudice, ſunt ignorantes omnes auctores Gallici qui apocalypſibus & prophetijs vtuntur, hiſque merè priuatis, vt Regis Chriſtianiſſimi iura defendant? Ergo idem dicito de Luſitanis. Vt teneamur obedire alicui, non ſufficit aſſerere illum habere conceſſam cælitus auctoritatem, ſed opus eſt à poſteriori demonſtrare. Deus ſuauiter gubernat omnia. Si voluit creare Afonſum Portugallenſium Regem, cur non effecit, vt Legionenſium Rex, vtpote qui impedire poterat, creationi

XXIIII. *Reuelatio priuata in tribunalibus nuſquam eſt admittenda, ſed iudicandum iuxta allegata & probata.* Vide art. 5. num. 11.



tioni

tioni acquieſceret, & ratificaret? Si tamen vti voluit abſolutâ potentiâ, cur non prouidit Afonſi auctoritati, publicans eum non ex ambitione adſpirauiſſe ad ſceptrum, ſed diuinitus conceſsâ auctoritate? Luſitanorum non eſt probare, hoc iuramentum fuiſſe præſtitum; hoc enim iam ſuperiùs admiſi: ſed conuincere veram fuiſſe iſtam apocalypſin; & quouſque hoc probent, ne dicant à Deo immediatè eſſe electos Monarchas Luſitaniæ.

## CONCLVSIO.

XXV. *Prima.* SIt ergo notum omnibus: Primò, Comitia hæc illegitimè fuiſſe congregata.

*Secunda.* Secundò, Afonſum non fuiſſe ciuilem Luſitanorum Regem, ſed merè Pontificium; hoc eſt quoad ſpirituales gratias, & indulgentias.

*Tertia.* Tertiò, non fuiſſe à Deo cælitus & immediatè creatum, electum, coronatum.

*Quarta.* Quartò, teneri ire ad Comitia Legionenſia: ac perinde illam vltimam legem eſſe ſchiſmaticam, præcipitem, & temerariam.

Hæc Luſitanis dura veritas: ſed veritas. Hinc bella & *Afonſus capitur.* ſeditiones; hinc diſſidia perennia. Ob hanc cauſſam cœpit de libertate imò de vitâ dubitare Afonſus, cùm apud Badaxos aduerſo Marte pugnans interciperetur à Legionis Monarchâ. Ideò *grauis diſcriminis attendens ſtatum* (do verba expreſſa Roderici Archiepiſcopi) *confeſſus eſt, ſe Regem Fernandum indebitè offendiſſe; & pro ſatisfactione Regnum obtulit, & perſonam. Sed Rex Fernandus pietate ſolitâ manſuetus, ſuis contentus, Regi Portugalliæ ſua remiſit. Tunc reſtituit Rex Afonſus Regi Fernando Limiam, & Turonium, & cetera quæ fuerant ſuæ ditionis; & dimiſſus, ad propria eſt reuerſus.* Clariùs generale Chronicon, ſed linguâ Hiſpanicâ. Conſentiunt alij Auctores; inter quos celeber eſt Rogerius Houedenus ipſis contemporaneus, his verbis: *Dedit ei* (nempe



(nempe Legionis Regi) *pro redemptione 25. oppida, quæ ipſe ſuper eum acquiſierat, & 15. ſummarios oneratos auro, & 20. dextrarios; & alijs Regi aſſiſtentibus, vt citiùs liberaretur, dedit multa.*

Auctores aliquot, quos ſuppreſſo nomine citat Anto- XXVI. *Afonſi compromiſsio.* nius Brandao in Monarch. Luſit. Part.3. libr.11. cap.14. aſſerunt, promiſiſſe Regem Afonſum ſe eſſe venturum ad Legionis Comitia. Hoc videtur minùs certum ipſi Brandao, ſed fallitur; quia, vt ex citato Roderico colligitur, *Rex Fernandus pietate ſolitâ manſuetus, ſuis contentus Regi Portugalliæ ſua remiſit.* Ergo ſi ſua retinere ſibi Fernandus voluit, retinuit in Luſitaniam iuriſdictionem ſereniſſimam, auctoritatemque conuocandi ad Comitia Luſitanorum Comites, cùm expediret. Imò ex eodem Brandao. Mon. Luſ. libr.8. c.9. §. *Entrou.* conſtat ambire Legionenſem, vt penderet annua tributa Luſitanus.

Dimittitur captiuus Rex; ſed cùm à vinculis, puta- *Dimiſſio.* uit ſe liberum à qualibet obligatione. Non dimiſſus, aliquot Vrbes reſtituerat Regi proprio: ſi quas nondum, nec poſt. Succeſſores in eâdem ſententiâ perſeuerant, & contra eos Legionenſes Monarchæ continuò militarunt.

Fernandus huius nominis Quintus, cognomento Ca- XXVII. *Fernandus V. Legionenſium atque Portugallenſium Rex.* tholicus, conſideratâ violentâ illâ Luſitanorum exemptione, voluit eos, qui armis ab obedientiâ fugerant, armis reducere; atque ideò Luſitanorum ſeipſum Regem inſcripſit. Item declarauit, Afonſum V. non eſſe Portugalliæ Regem, ſed tyrannicè intruſum quempiam populi Gubernatorem. Ita Brandao in Monarch. Luſit. libr.10. cap.14. Vnde colliges, Legionenſium Monarchas crediſſe ad ſe ſpectare Luſitaniam, non ad Comitis Henrici ſucceſſores.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm Afonſi primi Luſitaniæ Regis poſteri præſcripſerint in Regno Portugalliæ.*

*Præſcriptionis vis quanta.*

XXVIII PRæſcriptionis allegatio, exceptio peremptoria eſt. Ita communiter Doctores; ſed aptiùs atque ſolidiùs Couarruuias *in Relect. c. Poſſeſſor malæ fidei, Part.*1. *in init. ſub num.*2. *de Reg. iur. in* 6. *vbi num.*3. *cum ſeqq. & num.*5. *verſ.*6. *(colligitur) & deinceps. & verſ. vltim. (an ſit diſcrimen) per totum.* Item Oldendorp. *de Vſucap. & præſcript. c. de Signific. vſucap. & præſcript. poſt princip. verſ. Præſcript. apud I.C.* Eius ingenium in iudicio eſt efficaciſſimum: non minùs elîdit ac perimit libellos, petitiones ac actiones reliquas, quàm iudicatæ rei exceptio; ac proinde præſcriptio æterna eſt, atque in perpetuum valida. *§. Perpetuæ, inſtit. de Except. leg. Tertia. ff. eodem titul. de Exceptionibus.* Vide Ferrarienſem *in Praxi in form. reſponſ. rei conuent. ad verb. Præſcriptionis, num.*1. *Dixi cap. præc.*136. *num.*5. *ad verb. præſcript.*

Hac de cauſsâ, poſteaquam demonſtraui Afonſum ad Coronam Regiam auctoritatiſque faſtigium illegitimè promotum eſſe, ſupereſt percallere, vtrùm præſcripſerit ipſe, aut ipſius poſteri, vel non. Si præſcripſerint contra Regem Legionis, iuſtè Coronam retinent poſt præſcriptionem; qui ante hanc, iniuſtè. Si non præſcripſerint, poterunt à Monarchâ Legionenſi intercipi tamquam vaſalli, condemnarique; eò quòd defectionem ab obedientiâ fecerint, & armato milite ſæpiùs hanc rebellionem propugnarint.





## ARTICVLVS I.

### *Rationibus & teſtimonijs ſtabilitur præſcriptio in Regno Luſitaniæ.*

### RATIO PRIMA.

PRobaturus Reges Portugallenſes contra Legionis Monarchas præſcripſiſſe, argumentaris primò ſic: Contra Principem præſcribitur quadraginta annis. Ita Iodocus Damhouderius *in Prax. rerum ciuil. cap.* 137. *§.* 9. *In hac enim.* Nicolaus Tuldenus *ibidem.* Guid. *dec.*416.*n.*1. Boër. *dec.*264. *num.*18. *& deinceps.* Couarruuias *in Relect. c. Poſſeſſor malæ fidei. Part.*2.*§.*2.*n.*7. *& pòſt; præſertim num.*9. *de Reg. iur. in* 6. Decian. *conſ.*124. *num.*44. *& deinde.* Fachina *Controuerſ. iur. libr.*13. *cap.*81. Menoch. *conſ.*201. *num.*127. *& pòſt: nec non conſ.*962. *num.*1. *cum ſequentibus.* Atqui anno Domini 1143. iam in Comitijs Lamegenſibus auctoritate publicâ coronabatur; ergo poſt annos quadraginta, nempe anno 1184. iam præſcripſerat contra Monarchas Legionenſes. Obijt anno 1185. ergo antequam eſſet mortuus iam is præſcripſerat. Minorem (hæc continebat annum mortis Afonſi) demonſtrat Epitaphium quod ſequitur: XXIX.

*Contra Principem præſcribitur 40 annis.*

AFONSO HENRICI, PRIMO PORTVGALLIAE REGI,
REGIO SANGVINE, RELIGIONE, ET ARMIS CLARISSIMO.

* * * * * * * * *

DE FIDE, DE PATRIA, DE REGNO, DE SVIS BENEMERENTI, PIENTISSIMI * HAEREDES HOC SEPVLCHRVM POSVERE. OBIIT ANNO DOMINI M. C. LXXX. V. REGNI SVI LXXIII. ET ÆTATIS XCI. 6 DIE DECEMBRIS.

** Ecce Regnum Luſitaniæ (ſi præſcripſerint) deferri debet ad poſteros non niſi iure hereditario.*

Exſtat hoc Epitaphium in marmore Conimbricæ in templo S. Crucis erectum & deſcriptum à Rege Emanoële: & exſtat apud Antonium Brandao in Monarch. Luſit. Part.3. libr.11. cap.38.

## RATIO ALTERA.

XXX. *Contra ſupremos Principes præſcribitur, ſed quanto tempore?*

SI objiciam ex Nicolao Tuldeno *in Annotat. ad Damhouderium cap.* 137. *litt. H.* hanc præſcriptionem annorum quadraginta militare contra ſubordinatos Principes, non verò contra ſupremos rerum Dominos, puta Imperatores, Reges; dices: Contra Reges ſufficit centum annorum continuata præſcriptio. Ita Alexander *conſ.*84. *num.* 2. *cum apoſtill. libr.* 1. *&* *conſ.*24. *num.*14. *ad finem libr.*5. Oſaſc. *deciſ.*69. *num.*13. Crauett. *de Antiquitat. temp. Part.*4. *cap. Abſolut. different. quæſt.*6. *num.*22. *&* *q.*9. *præſertim num.*36. *&* *pòſt*. Decian. *d. conſ.* 124. *num.* 44. *lib.*3. Fachina *Controuerſ. iurid. lib.* 8. *c.*3. *verſ. Quod attinet.* Eadem eſt reſolutio ac de Republicâ non agnoſcente ſuperiorem. Socin. *conſ.*86. *num.*12. *in fin. cum ſeq. libr.*1. Menoch. *conſ.*1101. *num.*44. Surd. *dec.*1. *præſertim ſub num.*2. *ſub num.*7. *&* *num.*8. *&* *n.*9. *(ex leg. vlt. C. de ſacroſ. Eccleſ.)* VVeſembec. *conſ.*5. *in init.* Ergo contra Legionis Reges etiam ſufficeret annorum centum continua nullibique interrupta poſſeſſio. Atqui ab anno 1144. in quo auctoritate publicâ fuit Afonſus promotus ad Regiam dignitatem vſque ad annum 1579. in quo hæc excitabatur controuerſia, non iam 100. anni, ſed 436. anni completi numerantur: ergo non ſolùm ſemel, ſed quater potuiſſent præſcripſiſſe.

## RATIO TERTIA.

XXXI. *Præſcriptio immemorialis.*

IMmemorialis præſcriptionis iure omnes res acquiruntur, etiam ſceptra & abſolutæ dignitates; hæcque præſcriptio poſtulat centum annos. Ita plurimi, quos refert & ſequitur Antonius Gabriel *in libr.*5. *Comm. tit. de Præſcript. concl.*1. *num.*71. Palaez *vbi ſuprà* 4. *Part.q.*10. *num.*41. *col.*2. Fauet Gloſſa *in c.*1. *verb. Memoria. de Præſcript. in* 6. Ita Molina *libr.*2. *cap.*9. *num.*31. Approbat lex 41. Tauri. Adſonat regula *ex cap. Super quibuſdam. §. Prætereà. de verborum ſignif.*



*gnif. l. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aq. quot. &* *æſt. c.*1. *de Præſcript. in* 6. Hanc eſſe communem Iuriſ-conſultiſſimorum opinionem decernunt Antonius Gabriel *dict. concl.*1. *à num.*1. & Burſatus *conſ.*41. *num.*7. Rolandus *conſ.*100. *num.*104. *libr.*4. *&* *conſ.*66. *num.*40. *&* *num.*44. *libr.*2. Burgos *conſ.*15. *num.*12. Ioannes Garcia *libr. de Expenſis cap.*9. *num.*17. Atqui Luſitanorum iſti Reges quadringentis triginta & ſex annis vſi ſunt auctoritate Regiâ, ſupremâque iuriſdictione: ergo iam præſcripſerunt.

## RATIO QVARTA.

OMnes maioratus, & illa quæuis bona quæ nominantur vinculata, ex eo quòd non poſſint egredi ex tali generationis ſerie, firmantur immemoriali præſcriptione; ita vt nuſquam priores Domini, contra quos fit præſcriptio, poſſint ad illa legitimè adſpirare. Hæc eſt reſolutio Rod. Soarij, Gregorij Lopez, Antonij Gomez: quos citat & ſequitur Molina *libr.*4. *cap.*10. *n.* 10. item Palaez 4. *Part. quæſt.*21. *num.*6. Menchaca *de Succeſſ. creat. §.*26. *num.*125. Antonius à Gamâ *deciſ.*344. *num.*2. *&* 3. Sed de Regno agitur eodem iure atque de maioratibus; ergo in Regno centum annis præſcribitur. Ceterùm Reges Luſitani fuerunt in poſſeſſione dignitatis annis 436. ergo iam præſcripſerunt. XXXII. *Ius Regni, eſt ius Maioratus.*

## ARTICVLVS II.

*Nulla præſcriptio in iure naturali; in poſitiuo multiplex.*

BAldus nemine inferior *libr.*1. *col.*3. *circ. med. Cod. de Emancip. liberorum*, hanc materiam examinans, ſcripſit periodum notatu digniſſimam. *Si Ius ciuile non eſſet*, ait, *neque præſcriptiones omnino eſſent*. Per hoc innuit (teſte Damhauderio *in Praxi rerum ciuil. cap.*137. *§.*75.) quòd præſcriptiones omnes à Ciuili Iure ſuam originem neceſſariò trahant. Conſonat Rebuff. *Conſtit. regul. reg. Tom.*2. *tract. de* XXXIII. *Nulla præſcriptio in iure natura.*

 *Reſtitut.*

*Reſtitut. art. 1. gloſſ. 4. in princi.* Pinellus *ex Comm. copioſè, in authent. Niſi tricennale. n. 39. C. de Bonis maternis.* Vberrimè Vaſquez *ex Comm. ill. cont. libr. 2. cap. 51. num. 23. cum ſequentibus.*

*Introducitur à Iure poſitiuo: cur?*

Ceterùm cur introducta Præſcriptio? vt tandem conſtitueretur litibus determinatus finis, *l. final. ff. Pro ſocio.* Etiam ne rerum dominia incerta atque ambigua manerent, *§. 1. inſtit. de Vſucap. & long. temp. præſcript. & l. 1. ff. de Vſucap. & cap. Vigilanti. extrau. de Præſcript.*

XXXIV. *an iuſtè?*

Introductáne iuſtè? Reſpondeo affirmatiuè. Sed objicis: Lex ciuilis non poteſt mutare id quod eſt de iure naturali: atqui præſcriptionis lex Ciuilis eſt; rerum verò dominium eſt verè de iure naturali, *l. Ex hoc iure.* cum ibi plenè notatis. *ff. de Inſtit. & iure. iuncto §. Sed naturaliter. inſtit. de Iur. nat. gent. & ciuili.* *Obiectio.*

*Inutilis Damhouderij reſponſio.*

Satisfacit huic difficultati Damhouderius *in dictâ rerum ciuilium Praxi cap. 137. §. 76.* aſſerens, poſſe Ciuilem legem ex cauſsâ recedere à iure naturali, atque illi derogare in aliquo caſu, licet non in totum. Citat textum notabilem *in l. Ius ciuile. ff. de Inſtit. & iure.* Nihilominùs hæc ſatisfactio diſplicet, & in meâ ſententiâ eſt error craſſiſſimus, aſſerere, Ius ciuile aliquando præponi poſſe Naturali, cùm ab hoc recipiat quidquid habeat auctoritatis. Hinc eſt quòd aſſeram non ſubſcribendum Damhouderio, ſed aliter obiectioni ſatisfaciendum eſſe.

XXXV. *Germana ſatisfactio.*

Dico igitur eſſe de iure naturæ, quòd res ſeruiant homini; ad hoc enim à Domino fuerunt productæ. Reliquum, quòd ad Petrum potiùs pertineant quàm ad Paulum, vix de lege naturæ eſt: hoc enim potiùs pendet à iure poſitiuo: ideò leges decretis præſcriptionibus decernunt ad quos res incertæ & ambiguæ pertineant.

*Ius publicum priuato anteponitur.*

Prætereà, eſto, quòd de iure naturæ ſit dominium huius rei in ſingulari: etiam de iure naturæ eſt, quòd præponatur publica vtilitas priuatæ. Ergo ſi ad publicum bonum conducat, quòd particularium poſſeſſiones atque dominia mutentur atque alternentur, poterunt hæc edicto publico mutari, *l. Item ſi verberatum. ff. de Rei vendic. & leg. Lucius. ff. de Euictionibus.* Conſonat Gloſſa, atque iſti Bartolus *in l. Omnes populi. 1. q. 4. quæſt. principalis. ff. de Iuſtit. & iure. & in leg. finali. C. Si contra vel vtil. publ. & leg. Si priuatus. ff. Qui & à quibus manumiſſ. lib. non fiunt. & l. Antiochenſium. ff. de Priuat. credit.* Alexander *in l. 1. column. antep. ff. Solus matri. & plenè Feli. in c. Quæ in Eccleſiarum. column. 8. & conſ. 190. incip. Æterni Numinis. 2. & 3. column. 2. vol.* poſt Panormitanum, & alios Iuriſ-peritos, *de Conſtitut.* idem confirmat Iaſonius *in l. Barbarius. column. 7. cum duabus ſequent. ff. de Offic. prætor.*



| | | | |
|---|---|---|---|
| Præſcriptio eſt, vel annorum | trium, | & locum habet in | Vtenſilibus & Rebus mobilibus. |
| | decem ....<br>viginti<br>triginta<br>quadraginta<br>centum .... | & locum habet in | Feudis,<br>Maioratibus,<br>Rebus incorporalibus. |

De his omnibus copioſiſſimè Baldus *tract. de Præſcript.* ex quo contractiùs recentiores: nam ille 1156. maximas columnas implet, antè quàm enodet omnes difficultates, quas excitat circa materiam præſcriptionis.

## ARTICVLVS III.

*Reſolutionem iſtius difficultatis non à Pontificio iure, aut Cæſareo, ſed à Naturali ſolummodò petendam eſſe.*

IVs Pontificium ſæpè decernit res politicas, & in aliquibus regionibus obligat: ſed cur? An quia à Pontifice latum? minimè. Pontifex enim in Hiſpaniâ, verbi gratiâ, non poteſt gubernare politica, neque condere Ciuiles leges. An quia admiſſum à Comitijs & Regibus Hiſpanis? neutiquam: quia in obligatione legali requiruntur auctoritas & acceptatio. Vtraque eſt neceſſaria, quoniam alterutra non ſufficit. Idcircò ſi in Hiſpaniâ acceptetur ius Pontificium, quà de Ciuilibus tractat, ex vi acceptationis non XXXVI.

*Ius ciuile & Pontificium quî obligent? cur? quando?*



poteſt

poteſt obligare; quia deficit conditoris auctoritas, ſine quâ lex quæcumque eſt nulla. Ago de iure Pontificio, quà Ciuilia dirigit, quia in Eccleſiaſticis magis abſolutam habet auctoritatem, de quâ non curo; quia Regia dignitas non eſt Eccleſiaſtica, ſed Ciuilis, & merè temporanea. Nihiloſeciùs ius Pontificium, quà Politica dirigit, obligat in Hiſpaniâ, quando, & in quibus confirmatum eſt à noſtris Regibus; atque ideò tota obligatio naſcitur ex confirmatione (quæ eſt quaſi legis latio) & ex acceptatione.

*Ius Cæſareum.*

XXXVII. De iure Cæſareo ſeu Ciuili pariformiter liceat philoſophari. Non enim Cæſar habet auctoritatem, vt gubernet politica in Hiſpaniâ; atque ideò leges Cæſareæ, confirmatæ à Monarchis Hiſpanis, in hac peninſulâ obligabunt; ſed tamen non quà Cæſareæ, ſed quà Regiæ: nempe Regum edicto confirmatæ, hoc eſt, conditæ.

*Præſcriptio merè poſitiua.*

Hinc conſtat, leges de Ciuilium rerum præſcriptionibus eſſe merè ſæculares; ac proinde obligare in Hiſpaniâ non quà conditæ à Pontifice, aut Cæſare, ſed quà confirmatæ ab Hiſpanis.

*Achilles demonſtrans non præſcripſiſſe Reges Luſitaniæ, æquè poteſt contra Hollandos aut alias Prouincias rebelles militare.*

XXXVIII Hîc attentione ſummâ indigeo. Confirmantur in Luſitaniâ à Legionis Regibus ante Henricum Comitem. Confirmantur pòſt à Luſitaniæ Regibus. Interrogo. Quænam lex præſcriptiua fauet Regum Luſitanorum exemptioni? Sanè vel condita à Legionenſibus Regibus, vel condita à Luſitanis (verbo *condere* conſultò vtor; quia in præſenti, vt conſtat ex prælibatis, verè leges condit, qui Cæſareas confirmat.) Atqui leges de præſcriptionibus conditæ à Luſitanis Regibus ipſis proficere non poſſunt, quia antè præſcriptionem non potuerunt validè leges condere; nondum enim ante præſcriptionem habuerant ſereniſſimam auctoritatem: ergo recurrendum eſt ad leges à Legionenſibus Monarchis latas. Hîc ego: Ergo ex vi iſtarum legum dicuntur præſcripſiſſe: ergo erant ſubditi iſtis legibus. Leges enim non ſubditis nec prodeſſe nec nocere poſſunt. Hinc iterùm:



iterùm: erant ſubditi Legionenſibus legibus; igitur nec bonâ nec malâ fide excuſſerant obedientiæ iugum: ergo per centum aut tot annos non habuerunt poſſeſſionem liberæ & non ſubordinatæ auctoritatis; in auctoritate igitur, quam ſupponuntur non habere, præſcribere nequaquam poſſunt. Hæc ratio mihi Achilles eſt: ſi tibi nondum; relege, vt penitiùs percalleas.

*Obiectio.*

Dixi, antequam præſcripſiſſent non potuiſſe leges condi à Luſitanis Regibus defectu auctoritatis, vt eſt euidens: dicis eos non potuiſſe habere poſſeſſionem exemptionis & libertatis, quamdiu ſubeſſent legibus Monarchæ Legionenſis: atque ideò, ſi ego iure optimo Luſitanas hîc leges excluſero, vtpote inualidas; tu explodis Legionenſes, vtpote leges, contra quas fit præſcriptio. Eſto: non admiſerimus leges Legionenſium aliàs obligatorias. Igitur ad quam legem recurſus? ad peregrinam? minimè. Ad quam igitur? ad aliquam, quæ Luſitanis Legionenſibuſque ſit communis. Quæ hæc? non reperies aliam quàm legem naturalem. Si huic committas reſolutionem nuperrimæ difficultatis, gaudeo: habebimus enim eam Iudicem integerrimam. Iſtius ratiocinij efficaciam virtutemque conſiderato.

*Satisfactio.*

*Reſolutio.*

Per te ex iure naturali dependet huius quæſtionis reſolutio: atqui in naturæ iure contra neminem præſcribitur: ergo Luſitani Reges (de quorum auctoritate diſputo) non potuerunt præſcribere contra Legionis Reges. Conſequentia eſt legitima; maior ſupponitur ex dictis: minorem præcedenti Articulo penitiùs demonſtraui.

*Illatio.*

Hinc colliges, Ferdinandum V. cognomento Catholicum, Caſtellæ Regem, legitimè vocatum fuiſſe Legionis & Portugalliæ Regem: erat enim reuerà Monarcha vtriuſque Regni; & Afonſus V. qui tunc temporis habenas habebat Portugalliæ, erat non niſi quiſpiam intruſus Prouinciæ gubernator.

CON-

## CONCLVSIO.

XXXIX. SIt ergo notum omnibus, Luſitanorum Reges nuſpiam contra Legionenſes præſcripſiſſe, etiamſi fuiſſent bonæ fidei (vt dici ſolet) poſſeſſores.

Hîc ego grator calamo, quòd potuerit hanc quæſtionem decidere, ſeruato honore & integritate Regum Luſitanorum. Non aſſero eos bonâ fide habenas Regni retinuiſſe, quia hîc ago Scholaſticum, & aſſerere non licet quæ credo; ſed illa ſolummodò quæ vel ſcio vel opinor: de bonâ Regum Luſitanorum fide, vt plurimùm humanam fidem habeo; quam confirmare nequeo probabili vel demonſtratiuo ratiocinio.

*Confœderationes & contractus inter Reges fiunt ſæpiùs non liberè; ac idcircò ſæpè non validè.*

Nec dicas: Sufficit fœdera, contractus atque concordias ſæpè factas inter Luſitanos ac Legionenſes Reges; quia hinc non ſequitur hos ceſſiſſe ſuo iuri, ſed ſtuduiſſe publicæ vtilitati: quia, vt dicitur in communi axiomate,

——— *vana eſt ſine viribus ira*;

nec vſpiam Caſtellanæ aut Legionenſes tantæ, vt poſſent ſuperare violentias Luſitanicas.

## DISPVTATIONIS RESOLVTIO.

XL. *Prima.* HIs igitur omnibus demonſtratis concluditur primò, Legionis Reges habuiſſe ius legitimum perenneque, vt Monarchas Portugallenſes Regno excluderent, ſi per vires licuiſſet.

*Secunda.* Concluditur ſecundò, Imperatorem Hiſpaniarum Alfonſum VII. ex iuſtiſſimâ cauſsâ feciſſe expeditionem in Portugalliam, vt ſubiugaret Regnum, ſicut notauimus in hac Diſp. Quæſt.1.Art.1.

*Tertia.* Concluditur tertiò, omnia bella à Legionenſibus contra Portugallenſes facta, fuiſſe iuſta titulo Recuperationis.

Conclu-



*Quarta.* Concluditur quartò, Ferdinandum Catholicum iſtius nominis V. iure optimo dictum fuiſſe Legionis ac Portugalliæ Regem.

*Quinta.* Tandem quintò concluditur, Catholicum Regem Philippum eodem Recuperationis titulo, etiamſi non eſſet conſanguineus Cardinalis Henrici vltimi Coronæ poſſeſſoris, potuiſſe inuadere, intercipere, ſubiugare & retinere Luſitaniam, non ſolùm poſt Henrici obitum, ſed etiam ipſiſſimo Rege ſuperſtite:

Ac perinde hodie noſtrum Regem Philippum, cognomento Magnum, iuſtiſſimè retinere hoc Regnum.

## DVBIVM INCIDENS.

*Vtrùm Recuperationis titulo non Luſitania ſolùm, ſed etiam Algarbia, Braſilia & India ad Catholicos pertineant Reges.*

## RESOLVTIO.

DEfectionem fecit à Legionenſi Rege Afonſus Filius Henrici Comitis, vt ſæpè vidimus; ideò Legionis Rex poterit ſibi recuperare ſupremam in Portugalliâ auctoritatem, quam iniuſtè perdiderat, & ſine cauſsâ. Hæc ratio non vrget quò minùs poſſit Algarbiam vltramarinaſque regiones inuadere, quia Braſilia & India nuſquam Catholico Regi ſubfuerunt; & Algarbia, quæ ſubfuit, data fuit ab Alfonſo Rege Sapiente in filiæ dotem. XLI.

Primò dicendum eſt, Recuperationis titulo potuiſſe Legionenſes Reges reſumere ſibi vnam & ſolam Portugalliam.

*Expenſarum & redituum titulus.*

Præterea debet Luſitania Legionenſium Regi vectigalia 436. annorum. Certè bella ſine expenſis maximis non fiunt: illa & has potuiſſet Legionenſis Rex ex Regno Algarbiæ ac Indijs ſumere. Quantæ autem in

R bellis

bellis expenſæ fuerint factæ , nec liquidò conſtare poteſt: nec dubitemus licet , Indias & Algarbiam pro pignore ſumi debere , quouſque illi reſtituerent expenſas omnes.

Sed hæc ſufficiant in præſenti; non enim eſt animus relegere ſupputatorios codices , ſed expendere doctrinam generalem. Pro expenſarum pignore, Algarbia, India atque Braſilia ſub Legionenſi ſunt , quouſque ſumptus militares ſoluantur : quamdiu ſint ſubſfuturæ, pertinet ad Arithmeticos, non verò ad Scholaſticos.





# LIBER III.

SVPPONIT

AFONSVM HENRIQVEZ

ET IPSIVS SVCCESSORES

VSQVE AD FERRANDVM I. INCLVSIVE,

FVISSE VEROS LVSITANORVM REGES.

ITEM

AGNETEM DE CASTRO

LEGITIME NVPSISSE PETRO I.

PORTVGALLIÆ REGI:

INDE DEMONSTRAT

AD

AGNETIS REGINÆ

POSTEROS, CASTELLÆ REGES,

PERTINERE

CORONAM LVSITANIÆ.

# DISPVTATIO.

## *Vtrùm Filij Agnetis de Caſtro iure an iniuriâ fuerint excluſi à Regno.*

ANNO milleſimo trecenteſimo vigeſimo, XIII. Kalendas Maias, lucem Conimbricæ hauſit Petrus, futurus Luſitaniæ Rex: cui anno ætatis ſuæ 37. Afonſi Patris obitu, ſceptri & regni obtigit adminiſtratio. Nondum promotus ad Regiam dignitatem duxerat Conſtantiam Sereniſſimam Principem, Ioannis Emanuelis Filiam, ex quâ ſuſcepit. I. *Regis Petri natiuitas.* *Vxor.*

Dionyſium, qui paucis à natiuitate diebus hanc pertæſus vitam, ad empyream feliciter tranſlatus eſt. *Filij.*

Ferrandum, qui Patri in regno ſuffectus, obijt ſine liberis.

Mariam, quæ nupſit Aragoniæ Principi Petro, Alfonſi Quarti filio. In huius Mariæ partu, non ſine Luſitanorum lacrymis, adhuc iuuenis tollitur Conſtantia Petri Vxor: quæ ob virtutes candidiſſimas, atque animi prærogatiuas, omnibus chariſſima erat.

Præter illos, habuit Petrus ex Agnete de Caſtro alios adhuc filios. Itemque Ioannem nothum, qui poſt Ferrandi obitum creatur Rex Portugalliæ. An electioni locus, cùm ſupereſſent Agnetis liberi? Controuerſia eſt difficilis, hoc loco examinanda. *Ioannes nothus, qui poſteà Rex.*

## QVÆSTIO PRIMA.

### *Vtrùm Agnes de Caſtro fuerit Vxor legitima Principis Petri.*

II. *Agnetis tragœdia.*

INcipit calamus non litteras formare, ſed lituras: quid mirum ſi lacrymabundus? Non ſine dolore ſcripſerit, quæ nec perleges ſine dolore: nempe Sereniſſimæ Viraginis Agnetis de Caſtro verè Agnæ, verè innocuæ tragœdiam. Igitur examinaturus vtrùm hæc fuerit Petro, nondum Regi, legitimo thoro coniuncta, ſequentia Lectori propono.

### ARTICVLVS I.

*Quæ & qualis fuerit D. Agnes de Caſtro, ex decreto Regis Afonſi IV. iniuſtè occiſa: qui eiuſdem occiſores; & quas dederint pœnas.*

III. *Omnes Hiſtorici Caſtilliani & Luſitani in hoc conueniunt, teſte Mariz Dialog. 3. c. 4. mihi pagina 109.*

ERat D. Agnes à Caſtro filia Petri Fernandez à Caſtro: qui è præcipuis Galleciæ Dynaſtis, Caſtellæ & Portugalliæ Regibus ſanguine admodum propinquus erat, prout ex ſubiuncto ſchemate patebit.

Sancius IV. Caſtilliæ Rex.
- Beatrix Vxor Afonſi IV. Luſitanorum Regis.
  - Petrus Infans, qui poſteà Luſitaniæ Rex.
- Violanta filia illegitima.
  - Petrus Fernandez de Caſtro.
    - Domina Agnes de Caſtro notha.
    - Aluarus Perez de Caſtro, Portugalliæ ſtabuli-Comes, Prætor Maximus in Vlyſippone; primus Comes de Arrayolis, & Illuſtriſſimus Progenitor Ducum Bargançæ.

Horum filij (Petri Infantis & Dominæ Agnetis): Afonſus. Ioannes. Dionyſius. Beatrix.

*Mariz loco citato.*

Sanè Agnes propter animi dotes verè Agna, propter corporis pulchritudinem *Collo de Garza* Luſitanicè nominabatur. Ita hanc amauit Infans Petrus, vt non dubitarit



tarit contemnere (quas ſors obtulerat) vxores aliquot ſanguine regali ac rerum opulentiâ illuſtriſſimas.

IIII. *Intentum Afonſi Regis.*

Ægrè ferebat Afonſus Rex Infantis Petri Pater, ea quæ de neceſſitudine (imò & de clandeſtino matrimonio) Petri & Agnetis hac illac circumferebantur; vnde omnimodè ſollicitat vt eam reijciat, ſed fruſtrà: quia eò magis ardebat Petrus, quò magis flammas Rex extinguere deſiderabat. Deſperat Rex ſe poſſe ſeparare duos, qui in vno corde, in eâdem erant voluntate: ideò vt populi ſeu ſcandalo ſeu murmurationi ſatisfaceret, decernit occidendam quamlibet innocentem. Verè Agneti nec morum integritas, nec animi candor, nec corporis decor, nec vultus pulchritudo profuit: contra eam materia ſtatus militabat; cui iratæ, necdum quiſpiam reſtitit.

*Agnes occiditur.*

V.

Studens quieti publicæ Afonſus, ſeſe dedit ſummæ crudelitati. Ceterùm hanc exſecutus eſt, ſed illam non obtinuit. Petrus Luſitanorum Princeps, perculſus pulcherrimæ iuuenis morte, totus accenditur, accingitur ad iram, ad vindictam. Præficit deſcribendo militi Agnetis fratres; qui coniunxerunt tantum, vt liberrimè regionem deuaſtarent. Hîc Afonſus cogitur cognoſcere Dei iuſtitiam diuinitus æqualem eſſe. Dionyſium ſuum Patrem turbauerat illato bello; & ideò iuſtè à Petro ſuo filio perturbatur. Optat fœdera, & admittit conditiones, nihiloſeciùs oneroſas. Compoſitum eſt hoc diſſidium Regis Infantiſque anno à Virginis partu 1355.

*Miles legitur in vindictam.*

*Patris & Filij concordia.*

Nec potuit frui diu Afonſus Rex concordiâ ſeueriſſimo de bello partâ: nam valedicens mundo terram cum cælo commutauit anno 1357. ætatis ſexageſimo ſeptimo, regiminis primo & trigeſimo. Sepultus in Cathedrali Vlyſiponenſi, in ſarcophago quem ipſe ædificauerat.

*Afonſus moritur.*

*Succedit Petrus.*

Igitur numerans trigeſimum-ſeptimum ætatis annum, Regi Afonſo defuncto ſufficitur Petrus cognomento Seuerus: is memor violentiæ, quæ Agnetem ſurripuerat pulcherrimam adoleſcentem, decernit pœnas in eos qui eius

vitam

vitam abſtulerant, quæ digna erat æternitate. Erant hi Petrus Coello & Aluarus Gonzaluez, qui exules partim timore partim verecundiâ agebantur: & non audentes ne cogitare in Luſitaniam quidem, ſe commiſerant Petri Caſtellæ Regis protectioni. Fit inter duos Reges ignobilis & crudelis conuentio, quæ reddidit vtrumque proditorem. Luſitanus tradit Hiſpano profugos, qui ad eum confugerant; & is rependit viciſſim fugaces Luſitano, qui ſe crediderant ipſius auctoritati: interque alios, duo ſupradicti Luſitano reſtituuntur. Sæuitum contra iſtos viuos, qui ſæuierant contra innocuam Viraginem. Alter aperto pectore, alter aperto tergo dedit cor vindici, daturo id flammis. Hinc cœpit Monarcha recens malè audire, & vocari crudelis; qui nuper ſeuerus nobiliore vocabulo nuncupabatur.

## ARTICVLVS II.

*Declarat Petrus Rex, Agnetem ſibi non pellicem, ſed legitimam vxorem fuiſſe.*

VI. OLympica periodus tranſierat ab inauguratione noui Regis, ſed tota lugubris; quia quam ſemel intenſiſſimè amauerat, conſeruabat in memoriâ diligens, & ſedulus in voluntate. Anno Domini 1361. decreto publico omnibus voluit notum eſſe, ſe duxiſſe Agnetem clandeſtinè in Vxorem legitimam; exponitque filios, quos ex illâ ſuſceperat, non eſſe nothos.

VII. *Agnetis oſſa pompâ funereè opulentiſſimâ tranſlata.* Indicitur pijs Agnetis manibus publicè regia veneratio. Eius oſſa ſub leui lapide quieſcebant Conimbricæ in Monaſterio S.Claræ, transferuntur ad celeberrimum cœnobium Alcobaciæ: adſiſtunt Epiſcopi, Prælati, Nobiles, Clerus, & promiſcui populi numeroſè-feſtiua multitudo. Dolori data fœdera, & cineribus Adoleſcentis huius honos debitus. Eſt funeris pompa in lacrymis ſolamen generoſum. In ſummi Altaris læuo latere ſepulchrum conſtruitur manu cultâ dexteri artificis. Marmor materiam operi præbet, non pretium; nam



nam id ab arte. Mauſoleo ſuperponitur imago Agnetis rediuiuæ, ſed non ipsâ candidior; quâ cum collatum ebur, nigrum fuit atque puniceum alabaſtrum. Regio diademate coronatur poſtuma, vt noſceretur talis fuiſſe nuperrimè dum ſupereſſet.

Sexaginta & octo paſſuum millibus, ſeptemdecim ſcilicet leucis, diſtabat Conimbrica, vbi corpus quieſcebat, ab Alcobaciâ, quò erat transferendum: per totum illud iter, hinc inde plura hominum millia diſpoſita accenſas faces deferentium. Per medios luciferos tranſibat lectica immenſis ſumptibus elaborata, inſigni Luſitanico ac diademate regio nobiliſſima, ſubuehens expectatiſſimæ adoleſcentis cineres. Deuenitur ad Alcobaciæ Monaſterium; vbi illa creditur marmori Viragine tantâ ſuperbienti. VIII. *Transductionis apparatus pulcherrimus.*

## CONCLVSIO.

EX his clariſſimè patet, Sereniſſimam Agnetem de Caſtro fuiſſe Vxorem legitimam Infantis Petri. Ita aſſerit Vaſconcellius in Hiſtoriæ Luſit. Anaceph. 10. §.2. Mariz in Dial.3. c.4. & 5. & alij. IX.

Colligo ſecundò, filios Petri ex Agnete fuiſſe legitimos, ac cuiuſque dignitatis publicæ verè capaces.

# QVÆSTIO II.

*Vtrùm Ioannes Primus fuerit legitimus Rex Luſitaniæ.*

DEmonſtraui, Petrum Afonſi Quarti filium duxiſſe Sereniſſimam iuuenem Agnetem de Caſtro ſub nexu veri matrimonij: quî ergo ipſius Filij, ſiquidem legitimi, à Regno excluſi? Quî declaratus aut creatus Ioannes huius nominis Primus? An electio excludere ſufficit legitimos ex aſſe heredes? Hoc me examinantem attentè legas. X. *Agnes Petri Vxor.*

# ARTICVLVS I.

## *Regis Petri ex Agnete de Caſtro liberi, & eorum ſucceſſio copioſiſſima.*

XI. *Petrus aliàs* Seuerus, *aliàs* Crudelis, *dicebatur.*

PEtrus ob dictaminis ſeueritatem amicis Iudex, crudelis audiuit inimicis: vtriſque rigidus, nulli non efferus. Legitimo fœdere habuit Conſtantiam, & poſt hanc Agnetem; præter has, pellicem Thareiam Laurentiam nomine, natalibus ingenuis ortam.

*Petri ex Conſtantiâ liberi:*

Ex Conſtantiâ habuit filium & filiam. Ille Ferrandus nomine duxit D.Leonoram Tellez, quæ nupſerat Ioanni Laurentio de Acuña conſanguineo ſuo ſine Pontificis diſpenſatione: ideò matrimonium hoc nullum declarabatur; ac perinde etiam ſuperſtite Ioanne Laurentio, adhuc libera, innupta, capaxque vt nuberet Ferrando Regi. Maria ducitur à Fernando Aragoniæ Infante, atque Marchione de Tortoſâ. Obijt ſine liberis.

XII. *ex Agnete:*

Ex pulcherrimâ Agnete ſuſcepit Afonſum, qui puer obijt; Ioannem de Portugal, qui duxit D.Mariam Tellez, Reginæ Leonoræ ſororem: huius Reginæ conſilio Ioannes occidit Mariam, & ducit Conſtantiam filiam illegitimam Regis Henrici, Duciſſam Valenciæ. Tertiò Dionyſium de Portugal: huic nupſit Ioanna filia illegitima Henrici Caſtellæ Regis; cuius dos Alba de Tormes, Eſcalona, & Cifuentes. Quartò Beatricem. Nupſit hæc Sancio Comiti de Alburquerque, notho Alfonſi Regis Caſtellæ.

*ex pellice:*

Ex pellice Thareiâ Laurentiâ habuit Ioannem, Magiſtrum Auiſenſium.

Horum poſteros dabit ſtemma quod ſequitur.

PETRVS



PETRVS I. Luſitanorum Rex, duxit Conſtantiam primam Vxorem, & Agnetem ſecundam: & præter has, habuit Thareiam pellicem.

- *Ex Conſtantiâ,* Ferrandus Luſitanorum Rex: duxit Leonorā Telles. Ipſe obijt an. 1383.
  - Afonſus. Obijt puer.
  - Beatrix, nupſit Ioanni I. Caſtellæ Regi. Obijt Rex 9. Octob. 1390. Hæc erat vera ac legitima Regina Portugalliæ poſt Ferrandi obitum: exheres tamen in odium Caſtellanorum facta. Obijt ſine liberis.
- Maria, nupſit Aragoniæ Infanti Ferdinando, Tortoſæ Comiti: non habuit ſucceſſionem.
- *Ex Agnete,* Afonſus. Obijt puer.
- Ioannes de Portugal: duxit D.Mariā Tellez; & poſtiſtius vel obitum vel cædē D.Conſtantiam Valenciæ Ducem, notham Henrici Caſtellanorum Regis.
  - *Ex primâ Vxore,* D. Ferrandus de Portugal: duxit D. Iſabellam D'aualos, & ante hāc alias duas Vxores.
    - N.
  - *Ex ſecundâ,* D. Maria de Portugal: nupſit Martino Vaſquez de Acuña: fuit Valenciæ Comitiſſa.
    - D. Petrus de Acuña & Portugal Valenciæ Comes, duxit D. Leonoram de Quiñones.
      - D. Ioannes de Acuña & Portugal, Valenciæ Dux, duxit D. Thareiam Henriquez.
        - D. Henricus de Acuña & Portugal, Comes Valenciæ Giſon, & Prabię: duxit D. Mētiam Giron, & pòſt Aldonſam Emanuelis filiam D. Ioannis.
          - *Ex ſecundâ Vxore,* D. Luiſia de Acuña & Portugal, Valenciæ Comitiſſa, ducitur à D. Ioanne Steuannez Manriq, Duce Naxaræ.
            - Hinc Naxaræ moderni Duces.
        - D. Martinus de Acuña Henriquez, Dominus Matadionis.
          - N.
        - D. Afonſus de Acuña Henriquez.
          - N.
        - D. Ioanna de Acuña: ducitur à Petro Velez de Gueuara, Domino Salmillæ.
      - Ferrandus de Acuña.
        - N.
    - D. Leonor de Acuña & Portugal: ducitur à D. Petro de Quiñones, Lunæ Domino.
      - N.
  - D. Beatrix de Portugal: ducitur à Petro Niño Comite de Huelua.
    - D. Ioannes. Obijt antequam Pater . . . . .
      - D. Triſtan.
    - D. Henriquus. Obijt etiam antequam Pater.
    - D. Petrus.
    - D. Agnes Abbatiſſa.
    - D. Maria Niño & Portugal: ducitur à Garciâ Gonçalez de Herrerâ, Pedraçæ Domino.
- Dionyſius de Portugal: duxit D. Ioannam notham eiuſdem Henrici Regis, ac donatur titulo Domini in Albâ de Tormes, Eſcalonâ, & Cifuentes.
  - D. Ferrandus de Portugal, nothus.
    - Ab hoc deſcendunt Comites de Villar do Pardo.
  - D. Petrus, nothus, Colmenarez Dominus.
  - D. Beatrix notha.
- D. Beatrix, nupſit Sancio Comiti de Alburquerque, notho Alfonſi; qui & Rex Caſtellæ. Obijt Sancius 19. Martij 1370.
  - D. Vrraca, cognomēto *La rica hembra*: nupſit Ferdinando Duci de Peñafiel: qui poſteà Aragoniorum Rex. Obijt Ferdinandus anno 1416.
    - D. Alfonſus Aragoniæ Rex. Obijt 27. Iun. 1458.
    - D. Ioannes Aragoniæ atque Nauarræ Rex: duxit D. Blancam Nauarræ Reginam; poſt hāc D. Ioannā Henriq.
      - *Ex primâ Vxore,* Carolus Nauarræ Princeps. Obijt 1461.
      - Blanca.
      - Leonora Regina Aragoniæ: nupſit Gaſtoni Comiti de Foix & Bearnæ.
      - *Ex ſecundâ,* D. Fernādus Catholicus Rex Aragoniæ: duxit Iſabellam Reginam Caſtellæ. Obijt ipſa 26. Nouemb. 1504. ipſe verò 1516. 23. Ian.
        - D. Ioanna Caſtellæ & Aragoniæ Regina: nupſit Philippo Auſtriaco Archiduci.
          - Carolus huius nominis V. Hiſpaniarum Rex, ac Germanorum Imperator.
            - Philippus II. Hiſpaniarum Rex.
    - Hēricus Comes de Alburquerque, occiſus in prælio 1445.
    - Sancius.
    - Petrus.
    - Maria.
    - Leonora.
- *Ex pellice,* Ioannes nothus, Magiſter Auiſenſium, & poſteà Luſitanorum Rex.

## ARTICVLVS II.

*Petri ſucceſſor Ferrandus, Ferrandi Beatrix. Creando Ioanni Auiſenſium Magiſtro nullus locus.*

XIII. *Petrus moritur.*

AD ſeptimum & trigeſimum ætatis annum cœpit Petrus huius nominis Primus habenas Regni moderari. Sceptrum obtinuit decem annos, menſes ſeptem, atque octo dies. Deuixit Eſtremocij VI. Idus Ianuarij anni 1377. ætatis ſuæ quadrageſimo octauo.

*Ferrandus ſufficitur.*

Regi Petro oppreſſo fati neceſſitate ſucceſſit Ferrandus, ipſius ex Dominâ Conſtantiâ filius, ſanè dignus Imperio. Is Conimbricæ natus anno à partu Virgineo 1340. Regni gubernaculo adſcribitur milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, V. Kalendas Februarias, ætatis florentiſſimæ anno 27. *Ducit Vxorem.* Duxit Leonoram Tellez. Erat hæc Ioannis Laurentij de Acuña conſanguinea: & ſine Pontificis diſpenſatione Coniux; ac ideò contractus matrimonialis nullus exponitur: *Habet filiam.* & Leonora nubit Ferrando Regi. Huic dedit Beatricem expectatiſſimam Infantem. Ferrandus Leonoræ vitâ functæ honores Regios ſoluit: & familiæ prouidens, Beatricem dedit Ioanni Regi Caſtellæ nuper viduo. Matrimonium Hueluijs celebratur varijs vtrimque conditionibus: quas Rex vterque iureiurando ſtabiliuit, & ſacramento firmauit.

Actum fuerat antè de Coniugio Beatricis cum Infante Fadrico Filio Henrici Caſtellæ Regis. Hypotheſis rata iuramento, atque in Comitijs diffinita, vt ipſa in Regno Luſitanico Patri ſuccederet, ſi deuiueret is ſine filijs: vnde in ipſis Comitijs acclamatur Regni heres, in Regno Ferrando ſucceſſura.

XIIII. *Contractus.*

Effectum non habuit is contractus; ac ideò nulla fuit ſuppoſita conditio. Nupſit (vt aſſerebam) Ioanni Caſtellæ Regi: & decernitur, vt Ferrando (ſi contingeret excedere ſine prole maſculâ) ſufficeretur in Regno Luſitanico Beatrix. Conſtat id ex Luſitano Chronico cap.146. iuratam



iuratam & acclamatam Regni heredem conſtat ex eodem cap.159.

*Ferrandus obijt.*

His contractibus factis, fato conceſſit Ferrandus Vlyſipone II. Kalendas Nouembres à Virginis partu milleſimo trecenteſimo octogeſimo tertio, ætatis anno XLIII. menſe X. Regni anno XVII. menſe IX. & ſepelitur Scalabi prope Conſtantiam matrem ſumptuoſiſſimo tumulo.

*Coronæ heres quis?*

Mortuo Ferrando ad Beatricem Luſitania ſpectabat hereditario iure, & hoc ſolemni firmoque iuramento. Ita Vaſconcellius Anacephalæoſi XII. §.3.

XV. *Ioannes nothus non erat heres.*

Habuerat Petrus ex pellice Thareja filium nomine Ioannem, Magiſtrum Auiſenſium, quem defenſorem Patriæ acclamant, ne Beatrix in Regno admitteretur. Quare? verè quia nupta Caſtellano. Maluerunt Luſitani & ciuili ſacramento deficere, quàm peregrino ſubijci; quamuis Regi legitimo.

*Caſtellani Monarchæ armata conteſtatio.*

Irritatus publicâ defectione Caſtellæ Rex, ſeſe Monarcham Luſitaniæ facere ſtatuit; ſed fruſtrà: non enim in Regionem admiſſus cogitur regredi re infectâ. Leonora inſtigat, & cum exercitu numeroſè-fortiſſimo Vlyſſiponem adit, & maritimis copijs & terreis aggeribus obſidet; ſuperaturus, ni peſtifera lues, cui reſiſtere miles non potuit, ſuppetias tuliſſet Luſitanis. Regreditur inde in Caſtellam; redintegrato exercitu, ſequenti vere Vlyſſiponem inſtructior & fortior aduenturus, & obſeſſurus.

*Ioannes eligitur Rex.*

Excedunt è Regno inimici. Comitia celebrantur Conimbricæ; vbi Ioannem, quem antè Patriæ propugnatorem acclamarant, Regem creant.

Decernit Caſtellanus diadema illegitimè notho conceſſum, legitimo iure deijcere. Congregat fortiſſimum militem, & rurſus traijcit in Portugalliam. In Algibarrotâ bellum initur; vbi Caſtellani aduerſo Marte conſerentes, vincuntur.

## CONCLVSIO.

XVI. *Ioannis creatio inualida.* EX his, quæ apud omnes Hiſtoriographos certa, colligo, Luſitanos, excluſâ propriâ ac legitimâ herede, Regno Magiſtrum Auiſenſium præfeciſſe: ac perinde hanc electionem fuiſſe inualidam; & electum non fuiſſe Regem, ſed intruſum deficientis populi gubernatorem.

*Legitimus Rex Portugalliæ quis?* Colligo ſecundò, Ioannem Caſtellæ Regem ratione Vxoris fuiſſe legitimum Monarcham Portugalliæ.

*Hypocriſis ſub pietatis habitu.* Addo tertiò, me, dum hæc ſcriberem, legiſſe apud Vaſconcellium Anacephalæoſi XII. §.6. hæc verba: *Intellexit nec vanè Ioannes, potiſſimum ſibi eſſe præſidium in diuinis: toto Regno ad Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ, & Beatæ Virginis, aliorumq; Diuorum puluinaria indictæ ſupplicationes. Vlyſſipone aduerſus publica peccata ſeueræ leges publicatæ. Feminæ militarium flagitiorum illices, & virium corruptrices, Magiſtri Equitum conſilio à caſtris ablegatæ ***. Milites ante cetera Sacri auditione, peccatorum ad Confeſſarij aures delatione, & intemeratâ Synaxi plurimis Sacerdotibus ad Regium conopeum, quaſi ad templum auguſtiſſimum Euchariſtiam partientibus, roborati obuiàm Caſtellano proceſſêre.*

XVII. *Nota.* Laudarem pietatem noui Regis in bello, ſi iuſto. Ceterùm nec templorum inuiſio, nec peccatorum iterata confeſſio, nec ſanctiſſimæ Synaxeos receptio licitam vſurpationem Regni facit; ſed hæc illas illicitas. Oportet accedentem ad Dominum iniuſtè-læſis ſatisfacere: nec congruum indicere ſupplicationes, & auxilia à Deo petere, vt malè parta ſufficiat retinere. Prima pœnitentis eſt virtus, aliena reſtituere. Sed hæc ſufficiant, vt ſciant Hiſtoriographi, non ſemper eſſe laudabilem frequentationem Euchariſtiæ, ſi qui dicuntur pœnitentes, ſint hypocritæ, & pertinaci animo malè parta retineant. Potuit Ioannes, vtpote non Theologus, falli à ſuis, & perinde erraſſe tantùm materialiter: ſed hoc Deus viderit.

QVÆ-



## QVÆSTIO III.

*Vtrùm Magiſter Auiſenſium Ioannes, aut ipſius Succeſſores, in Luſitaniæ Regno contra Caſtellanos præſcripſerint.*

BEatrix, Ferrandi Luſitanorum Regis filia, ac Ioannis Caſtellæ Regis Vxor deuixit, neminem relinquens ſucceſſorem. Hinc potuiſſes aſſerere, Ioannem nothum; qui illegitimè creatus fuerat, & eius filium, licet ſuperſtite Beatrice poſtumâ intruſi atque Tyranni eſſent, legitimè regnum tenuiſſe. XVIII. *Obiectio.*

Reſpondeo: Etiam poſt D. Beatricis obitum non erat locus electioni; erant etenim plures legitimi in regno heredes, cognati ac agnati Beatricis. *Satisfactio.*

Dominus Ioannes de Portugal Beatricis Reginæ fuerat Patruus. Duxit D. Mariam Tellez Reginæ Leonoræ ſororem, ex quâ ſuſcepit D. Ferrandum de Portugal, Dominum Decæ: qui habuit tres Vxores, & ex ijs ſucceſſionem copioſiſſimam. Conſilio Leonoræ occiditur D. Maria. Ioanni ſecunda nupſit vxor D. Conſtantia filia notha Regis Henrici Valenciæ Duciſſa. Ex hac habuit D. Mariam de Portugal, quæ nupſit Martino Vaſquez de Acuña, Valenciæ Comiti, quæ peperit Petrum & Leonoram. Ex eâdem Conſtantiâ habuit Beatricem de Portugal, Vxorem Petri Niño Hueluæ Comitis, Matrem Ioannis, Henrici, Petri, Agnetis, Mariæ. XIX. *D. Ioannes de Portugal.*

Dominus Dionyſius de Portugal Ioanne fratre natu minor, Reginæque Beatricis Patruus, Caſtellæ regem adiens, donatur dominio in Albâ de Tormes, Eſcalona, & Cifuentes. Duxit D. Ioannam Henrici Regis illegitimam Filiam, ex quâ nulla proles: ex pellice tamen anonymâ habuit Ferrandum, Petrum & Beatricem. *D. Dionyſius.*

Petri I. Luſitanorum Regis filia minima Beatrix de Portugal, Reginæ Beatricis Patruëlis, nupſit Sancio Comiti Alburquerquio, Filio illegitimo Alfonſi Caſtellæ Regis.

Regis. Horum Filia fuit D. Vrraca, cognomento Diues, nupta Ferdinando Duci de Peñafiel, poſteà Aragoniæ Regi: à quo Reges Catholici.

Hinc conſtat, vigere controuerſiam ex parte Ioannis I. Auiſenſium Magiſtri, decimi Luſitanorum Regis, & ſuorum, contra poſteros Ioannis de Portugal, atque Beatricis; vtrùm tandem contra illos præſcripſerit. Omiſi D. Dionyſij de Portugal Filios; quia cùm ſint illegitimi, non poterunt adſpirare ad Regnum.

## ARTICVLVS I.

*Ioannem I. Luſitanorum Regem poſſeſſorem fuiſſe malæ fidei, ac perinde non potuiſſe contra Regni heredes præſcribere.*

XXI. *Agnes Vxor Petri legitima.*

SVppono, matrimonium Principis Petri, poſteà Portugallenſium Regis, & D. Agnetis de Caſtro, fuiſſe legitimum, ac perinde ipſius filios certiſſimos in Regno heredes. Demonſtraui ſuperiùs in huius Diſputationis q.1. Ex hac hypotheſi aſſero, Ioannem Magiſtrum Auiſenſium fuiſſe malæ fidei poſſeſſorem. Ratio eſt; quia Regnum Luſitanicum defertur ad poſteros titulo hereditario, vt demonſtrabo inferiùs latiſſimè Libr. v. Diſp. 3. per totam: ergo ſuperſtitibus Regni viris heredibus non poterat Ioannes præſcribere.

*Ratio pro intento.*

*Confirmatio.*

Confirmatur: Eſt communis Iureconſultorum ſententia, decimas non eſſe per laicos præſcriptibiles, *c. Cauſam, quæ. & ibi Doctor. & Hoſtienſ. Extrau. de Præſcript. Io. And.* Baldus *in c. primo de Cenſibus.* Fredericus de Senis *in conſilio, quod incipit, Laicus de prædio. & cap. Prohibemus. Extrau. de Decimis.* Ferrarienſis *in Form. reſponſionis rei conuentæ ad d. verb. Præſcript. n.*20. *ad* 25. vbi aſſerit, hanc eſſe communiſſimam omnium ſententiam. Et VVurmſer. *tit.*43. *Obſeru.*17. *in princ.* Cardinalis Pariſienſis *conſ.*101. *num.*107. *lib.*1. Chaſenna latè *ad conſuetud. Burgund. tit.*1. *de Iuſt.* §.2. *ad verb. Et la prueue. n.*12. *ad finem, cum ſeqq. & conſil.*24. *n.*4. *& deinceps. rurſus n.*21. Couarruuias *Variarum reſolutionum lib.*1. *c.*17. *n.*6. *v.*4.

Menoch.



Menoch. *conſil.*291. *n.*41. *& de Præſumpt. lib.*6. *c.*86. *n.*2. *cum ſeqq.* Damhouderius *in Praxi rerum ciuilium cap.*137. *num.*21. & Nicolaus Thuldenus *ibidem.* Cur autem Laicus in decimis nequit præſcribere? quia eſt poſſeſſor malæ fidei. Cur talis? quia retinet decimas, quarum cognoſcitur Dominus. Ita Menoch. *conſil.*291. *num.*35. Baldus *de Præſcript. partic.*4. *part.*4. *princ. quæſt.*11. *num.*3. & poſt Doctores *in l. Malè agitur; & l. Competit. C. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.*

Hinc in ſimili formâ: Non eſt poſſeſſor bonæ fidei qui rem poſſidet, cuius legitimum cognoſcit Dominum: atqui Ioannes Magiſter Auiſenſium Coronam poſſidebat alienam, verumque Dominum eſſe Ioannem Caſtellæ Regem ratione Vxoris Beatricis ignorare non poterat, acclamantibus Comitijs, bellis proteſtantibus, ſemel ac iterùm Rege Caſtellæ in Luſitaniam irruente: ergo fuit poſſeſſor malæ fidei. Atqui talis præſcribere non poteſt: ergo nec Ioannes decimus Luſitanorum Rex, nec eius poſteri præſcribere potuerunt contra Ferrandi Primi legitimos in Regno heredes. Demonſtro minorem ex vulgatâ Iuris Canonici regulâ, Dec. *conſ.*144. *n.*4. Gall. ex communi atque in camerâ Imperatoris approbatâ ſæpiùs ſententiâ, *lib.*2. *Obſ.*18. *num.*7. Cephalus *conſ.*455. *n.*85. & copioſiùs *conſ.*161. *n.*32. Kirchouius *verb. Præſcriptio nulla.* Leoninus *conſ.*50. *n.*1. *verſ. Præter dict.* Menoch. *conſ.*1096. *n.*6. *& conſ.*1050. *num.*3. Fachina *Controuerſ. l.*1. *c.*66. *& l.*8. *c.*24. Couarruuias *c. Poſſeſſor. part.*2. §.9. *Præſertim. n.*4. vbi aſſerit, hanc eſſe omnium Doctorum opinionem. Capyc. *dec.*4. *n.*12. *& poſt, & dec.*86. *n.*7. Villal. *in Com. opin. litt. P. n.*208. Minſing. *cent.*4. *Obſeru.*6. *n.*7. Decian. *ex communiori, conſil.*73. *n.*53. *l.*2. Gabriel *d. titulo de Præſcript. l.*5. *concl.*5. Meichſnerus *dec.*1. *num.*30. *&* 32. *tom.*3. Damhouderius, & Thuldenus *in rerum ciuilium Praxi cap.*137. *num.*14.

XXII. *Confirmatio altera.*

Contra Regis Ioannis Filios eadem ratio militat quæ contra Patrem: quia ſi Ioannes Magiſter Auiſenſium non potuit recipere Coronam excludendo heredes legitimos; propter eamdem cauſam nec Ioannis filij potuerunt bonâ fide Regnum Portugallenſe retinere.

*De Ioannis poſteris.*

## ARTICVLVS II.

*Supponendo diſputationis gratiâ Ioannem I. fuiſſe poſſeſſorem bonæ fidei, oſtendo nihilominus non præſcripſiſſe contra Caſtellanos.*

XXIII. MAlæ fidei notâ peſſimâ quiſquis Regem inuſſerit calamus, luat pœnas, contemnatur quà audax; vtamurque in poſterum dulciore. Eſto; bonâ fide, ex Iuriſconſultorum conſilio receperit habenas Regni Ioannes Auiſenſium ille Magiſter, de quo iam antè: an ideò præſcripſerit? nullatenus. Requiruntur ad præſcriptionem plurima quæ in huius Regni poſſeſſione defuerunt.

Egimus de præſcriptione in Libro antecedenti, ſed ex lege naturæ: non enim erant leges humanæ quæ prodeſſent Regibus Luſitaniæ. Ago de præſcriptione Ioannis decimi Portugallenſium Regis; & ideò oportet ſupponere, leges à nouem Regibus prioribus vel confirmatas vel ſancitas.

XXIIII. Contra legitimum Principem, ille qui bonâ fide Regni habenas ſuſcipit, præſcribere poteſt centum annis, ſi non ſit quæſtio de Coronâ: in hac enim (vt ſuprà Lib.2.q.2.n.28. demonſtraui) nulla præſcriptio eſt. Supponamus tamen, diſputationis gratiâ, in Regnis præſcriptionem eſſe: ergo hæc exigeret centum continuos annos; quia Luſitania regio eſt ſereniſſima, nullum agnoſcens ſuperiorem. Alexander *conſ.*84. *n.*2. *& conſ.*24. *n.*14. *ad finem l.*5. Oſaſc. *deciſ.*69. *n.*13. Crauet. *de Antiq. temp. part.*4. *cap. Abſolutis. de differentijs. q.*6. *n.*22. *& q.*9. *n.*36. Decianus *conſ.*124. *num.*44. *l.*3. Fachina *Controuerſ. Iur. lib.*8. *c.*3. *verſ. Quod attinet.* & alij plures. In præſcriptione requiritur tempus continuum. Ita omnes Doctores.

*Conditiones in præſcriptione requiſitæ.*

Præſcriptio apud homines cognoſcentes ſuperiorem interrumpitur per proteſtationem, aut libellum ſupplicem datum Principi. Ita Damhouderius *in rerum ciuilium Praxi cap.*137. *num.*57. & Thuldenus *ibidem annotatione M. & N.* Bellum autem inter Reges iuſtitiæ conteſtatio eſt; ideóque interrumpit præſcriptionem.

*Interruptio præſcriptionis, qualis?*

XXV. Ex his colligo, ſuperſtite Beatrice Caſtellæ Reginâ, ac Coronæ Luſitaniæ Herede, non potuiſſe incipere præſcriptionem Regis Portugalliæ: quia nomine Vxoris Ioannes Caſtellæ Rex varijs Oratoribus & expeditionibus in pace, in bello vſurpationem conteſtatus, aſſerüit, ad Reginam Beatricem Vxorem ſpectare Coronam Portugalliæ. Vnde apud Caſtellanos, etiam poſt Ioannis I. Caſtellanorum Regis obitum, Ioannes nothus non audijt Luſitanorum Rex, ſed ſolùm Magiſter Auiſenſium, vt notat Garibayus in Compendij Hiſt. lib.15. c.36. mihi pag.1014. lin.34. Nec iuuat Bonifacij IX. * diploma Ioannem in Regno confirmantis; quia Pontifex in Luſitaniâ non poteſt largiri ciuiles dignitates, ſed gratias vt plurimùm ſpirituales: ſed de hoc vberrimè Libro 3. per totum; & ideò Romanus Pontifex ſolùm intelligendus eſt dediſſe Coronam non ciuilem, ſed merè Eccleſiaſticam, iuxta ea quæ ſuprà expendi.

*Illatio.*

**

** Huius diplomatis meminit Vaſconcellius Anacephal. 12. num. 7.*

Moritur interim anno Domini 1434. Portugalliæ Rex Ioannes I. Vlyſipone 14. Auguſti, eodem quo natus erat die. Ita Marizius Dialog.4. cap.3. Anno verò 1474. contra Afonſum V. Portugalliæ Regem, præfati Ioannis ex Filio Eduardo Rege Nepotem, Catholicus Ferdinandus Caſtellæ Rex bella mouet, vt ait Mariz. Dialog.4. c.9. & Rex Luſitaniæ nominatur, teſte Brandaone in Monarch. Luſit. l.10. c.14. Ab anno igitur 1434. vſque ad annum 1474. rectè interſunt anni 40. ergo tempore Catholici Regis Fernandi interrupta fuit præſcriptionis optata continuatio. Ferdinandus ſemper audijt Luſitanorum Rex; ergo & ſemper contra Afonſum V. de Regno Luſitaniæ proteſtabatur.

*Ioannis Portugalliæ Regis mors.*

Anno à Virgineo partu 1481. moritur Afonſus V. Monarcha Luſitaniæ; & Fernandus V. Caſtellæ Rex, cognomento Catholicus, deuiuit anno 1516. deinde anno 1579. ad Regnum adſpirans Catholicus Monarcha Philippus cognomento Sapiens, Caroli V. Filius, conteſtatur ſæpiſſimè ſe eſſe legitimum heredem Portugalliæ: ergo nuſquam tranſierunt centum anni, in quibus Ioannis Succeſſores potuiſſent contra D. Agnetis de Caſtro Succeſſores præſcribere. XXVI.

*Afonſi V. mors. Fernandi V. mors.*

Egi de bellis Hiſpani contra Luſitanum, quibus proteſtabatur XXVII.

*Bella interrumpunt præſcriptionem: an peregrina?*

ſtabatur ſe ius legitimum habere ad Regnum: & his ſolummodò annotatis comperi, nec Ioannem I. nec eius Succeſſores contra Sereniſſimæ Principis Agnetis poſteros & Succeſſores præſcripſiſſe. Quid ſi alia bella recenſuero? vix reperiretur annus integer, in quo à Marte vacauerit Hiſpanus Luſitanúſve. Vterque contra Mauros & alios inimicos exercitio perenni milites & ſigna conſeruit. Tempore autem belli non præſcribitur: imò illud tempus non eſt tempus ciuile, ac ideò de præſcriptione ſubducitur, vt conſtat *ex c. Primâ actione.16.q.3. l. Poſtliminium. ff. de Capti. & poſtlimi. reuerſ. & l. Ab hoſtib. C. Quibus non obijc. long. temp. præſcriptio.* Ita decernunt Damhouder. *in Praxi rer. ciuil. c.*137.*n.*41. Alexander *conſ.*81. *n.*7. Pariſienſis *conſ.*104.*n* 147.*l.*1. *& in cap. Ex tranſmiſſo n.6. &* 7. Gramm. *dec.*58.*n.6.* Gall. *verb. Pœna ex cõtract. verſ. Sed nec illud.* Reb. *in tract. de Sent. exec. art.*1.*gloſſ.*18.*n.*5. *Conſt. reg. to.*1. Roland. *conſ.*79.*n.*19.*l.*1. Oſaſc. *lect.*177.*n.*10. Vbi obiter notanda eſt huius doctrina, cùm dicit tempus illud belli non eſſe ciuile; ac perinde in præſcriptionibus eſſe quaſi non fuiſſet: præſertim ſi propter illud bellum litigantes litigare non poſſent. Atqui Hiſpanorum Reges, qui adſpirabant ad Coronam inuictæ Portugalliæ, ni bellis internis & ciuilibus impedirentur, de Regno Luſitanico in foro Martis litigarent, vt fecerunt Ioannes I. Caſtellæ & Fernandus V. Aragoniæ Reges, cùm primùm potuêre ſe ab alijs bellis expedire. Ergo etiam bella alia, quæ non fuerunt directè contra Portugallenſes, ſunt in cauſâ legitimâ, vt nuſquam Luſitani haberent præſcriptionem ſolummodò quatuor annorum. Ergo nuſquam hucuſque præſcripſerunt.

*Tempus belli non eſt tempus politicum.*

## DISPVTATIONIS RESOLVTIO.

XXVIII. Conſtat igitur ex his quæ diximus, nec Ioannem I. nec eius poſteros contra Succeſſores Sereniſſimæ & Expectatiſſimæ Principis Agnetis de Caſtro in Regno Portugallenſium præſcripſiſſe.

Conſtat etiam, dictæ D. Agnetis Succeſſores eſſe legitimos heredes Coronæ Luſitanicæ.





## DVBIVM INCIDENS.

*Quiſnam ex poſteris D. Agnetis de Caſtro ſit verus heres vltimi poſſeſſoris.*

Reſolutio Diſputationis præcedentis in cauſâ eſt, vt excitemus nouam difficultatem.

Dico primò, vltimum poſſeſſorem Regni fuiſſe Ferrandum I. Petri ex Conſtantiâ filium; quia ipſius Succeſſor Magiſter Auiſenſium in Comitijs illegitimis contra ius fuit creatus: cui heredum ſummâ iniuriâ moderniores Monarchæ ſucceſſerunt. *Aſſertum primum.*

Dico ſecundò, non habere ius ad Luſitaniæ Regni Coronam D. Dionyſium Regis Petri ex Agnete filium, nec ipſius Succeſſores. Non ipſum, quia Ioanne minorem; non eius poſteros, quos nullos præter nothos habuit. *Alterum.*

Dico tertiò, recurrendum eſſe ad poſteros D. Ioannis, qui Agnetis de Caſtro fuit ſecundus filius: & ad poſteros D. Beatricis, quæ ipſius expectatiſſimæ Viraginis fuit filia vnica. *Tertium.*

Dico quartò, ex alterutrius poſteris declarandum eſſe heredem Portugalliæ poſt Beatricis mortem illum vnicè, qui ipſi poſtumæ proximior eſſet. Erat ea D. Vrraca, cognomento *la rica hembra*; hæc igitur debuit ſuccedere. Hæc nupſit Ferdinando Duci de Peñafiel, qui poſteà Rex Aragoniæ. Obijt ipſe anno à Virginis partu 1416. *Quartum.* *Vrraca.*

Habuit D. Vrraca ſeptem liberos. Primogenitus fuit Alfonſus Aragoniorum Rex, qui obijt ſine liberis anno 1458. Alfonſo ſuccedit D. Ioannes alter Vrracæ filius, qui duxit D. Blancam Nauarræ Reginam, & poſt hanc D. Ioannam Henriquez. *Alfonſus Rex.* *Ioannes Rex.*

Ioannis Aragoniæ atque Nauarræ Regis Succeſſor in primâ Coronâ fuit filius Ferdinandus, qui duxit Iſabellam Caſtellæ Reginam. Obijt ipſe 23. Ian. ann. 1516. ipſa verò 26. Nouembr. 1504. Hi ſunt qui communiter Catholici Monarchæ nominantur. Eorum filia & heres fuit Ioanna Caſtellæ & Aragoniæ Regina, Vxor Philippi Auſtriaci Archiducis, primi iſtius nominis in Regno Caſtellæ: qui ex *Fernandus Catholicus.* *Ioanna Regina.*

*Carolus Imperator Rex, pater Philippi.* eâ genuit Carolum Imp. & Caſtellæ Regem, Patrem Philippi II. Luſitaniæ verò Primi.

ERGO

*Concluſio.* CAtholicus Rex Philippus eſt legitimus Beatricis heres, ac perinde verus ac proprius Imperator Indiarum, atque Monarcha Portugalliæ.

REGNVM ALGARBIÆ.

XXIX. ANte* Ferrandum iam Algarbiæ Regnum ad Luſitanos ſpectabat. Alfonſus enim Caſtellæ Rex, qui propter ſublimium rerum notitiam nominabatur Sapiens, dedit hoc Regnum ſuæ filiæ Beatrici in dotem, & hanc in Vxorem Afonſo III. Luſitanorum Regi. Sunt multi qui aſſerant, etiam ante hunc Alfonſum Algarbiam ad Reges Portugallenſes pertinuiſſe. Ceterùm quoſcumque Auctores ſequi decreueris, ſemper inuenies vtramque Algarbiam vnitam Luſitaniæ ante Ferrandum Regem. Ferrandus igitur Primus fuit Portugalliæ atque Algarbiarum Rex. Ergo & Philippus II. Caſtellæ Rex, qui eſt legitimus Regis Ferrandi I. ex aſſe heres, habuit ius legitimum non ſolùm ad Luſitaniæ Regnum, ſed etiam ad vtriuſque Algarbiæ.

** Imò ante Afonſum Sapientem Algarbiam ad Luſitanos pertinuiſſe, aſſerit Antonius Brãdao in Monarchiæ Luſitan. Part. 4.*

INDIA, BRASILIA.

XXX. *De iure Indiarum.* ORientales Regiones nondum fuerant detectæ Ferrandi I. tempore; ſed & hæ debentur Catholico Regi Philippo iure pignoris, vt recuperet inde prouentus annuos & eorum reditus, quos Ioannes I. Magiſter Auiſenſium & eorum poſteri iniuſtè vſurparunt. Quantum pecuniæ tot annorum prouentui ſatisfaciat, examinent curioſi Arithmetici: ceterùm facilè crediderim, Indiam & Braſiliam non ſufficere vt ex iuſtitiæ rigore obligationi ſatisfaciant.

CONCLVSIO.

NOtum ergo ſit omnibus, optimo iure Catholicum Regem ſubiugaſſe Luſitaniam, & omnes regiones illi ſubditas.

LIBER



# LIBER IV.

## EX HYPOTHESI QVOD D. AGNES DE CASTRO FVERIT INFANTIS PETRI PELLEX, NON VXOR, DEMONSTRAT, NEC IOANNEM I. MAGISTRVM AVISENSIVM, NEC IPSIVS POSTEROS FVISSE LEGITIMOS MONARCHAS PORTVGALLIAE: ILLVDQVE REGNVM RECVPERATIONIS IVRE AD REGES CASTELLAE PERTINERE.

# DISPVTATIO VNICA.

*Vtrùm ex ſuppoſitione quòd Filij Petri Principis, & poſteà Luſitaniæ Regis, & Agnetis de Caſtro, fuerint nothi, potuerit populus donare Ioannem I. Coronâ Luſitanicâ.*

DEMONSTRAVI Diſputatione antecedente, ſpecioſiſſimam illam Viraginem Agnetem de Caſtro non fuiſſe Petri I. pellicem, ſed verè vxorem; nulluſque erit, credidero, qui vires iſtius demonſtrationis non percalleat. Verùm enimuerò cùm tot titulis Catholicus Rex Philippus ſit legitimus heres Portugalliæ, condonemus Sereniſſimæ D. Agnetis æmulis quidquid ſomniauerint: ſpolietur iniuſtè honore, quæ iniquè vitâ: ſit hæc pulcherrima adoleſcens, pellex, non vxor; ſint ipſius filij nothi: non inde ſequetur, Philippum Hiſpaniæ Regem non habere adhuc ius ad Regnum Luſitaniæ. I.

*Eſto, Agnes fuerit pellex Petri non vxor: alijs tamen titulis Rex Philippus heres Portugalliæ.*

## ARTICVLVS I.

### *Succeſſio Afonſi Luſitanorum Regis.*

FVit Afonſus IV. Monarcha ſeptimus Portugalliæ, adeò in rebus gerendis generoſus, vt *Brauo* à Luſitanis proprio idiomate (Latinè *ſtrenuum* dicimus) nominaretur. Regni habenas obtinuit annis XXXI. Genuit filios, Afonſum & Ioannem, qui Infantes obiêre; Petrum I. in regno ſucceſſorem; Mariam Alfonſi Caſtellæ & Lianoram Petri II. Aragoniæ Regum Vxores. II.

*Dom Afonſo o Brauo.*

Horum genealogias attentâ meditatione contempleris neceſſe eſt.

V AFON-

- VII. AFONSVS IV. Portugalliæ & Algarbiæ Rex.
  - VIII. PETRVS I. RexPortugalliæ & Algarbiæ.
    - *Ex Vxore Conſtantiâ,*
      - IX. FERRANDVS I. Luſitaniæ & Algarbiæ Rex.
        - Afonſus Princeps. Obijt puer.
        - Beatrix. Ducitur à Ioanne I. Caſtellæ Rege. Obijt ipſe 9. Octobr. 1390. Hæc erat ex iure & ex Comitiorum decreto vera ac legitima heres Portugalliæ & Algarbiæ: iniuriâ excluditur, & non reliquit ſucceſſionem.
      - Maria.
    - *Ex pellice Agnete de Caſtro, vt ſupponimus,*
      - Afonſus, Ioannes, Dionyſius, Beatrix — de Portugal y Caſtro.
    - *Ex pellice Thareiâ Laurentiâ,*
      - X. IOANNES I. Magiſter Auiſenſium, nothus, ſed poſteà ex populi creatione Monarcha Algarbiæ & Luſitaniæ.
        - Ab hoc reliqui Reges Portugalliæ.
  - Maria. Nupſit Alfonſo V. Caſtellæ Regi. Obijt ipſe 26. Martij 1350.
    - Petrus Rex Caſtellæ & Legionis. Duxit D. Mariam de Padilla. A fratre occiditur 23. Mart. 1369.
      - Conſtantia, nupta Ioanni Duci de Lancaſtre, filio Eduardi III. Regis Angliæ, inſcripto Regi Caſtellæ. Obijt ipſe 1399.
        - Catharina de Lancaſtre, nupta Henrico Regi Caſtellæ. Obijt ipſe die Natalis Dñi 1407. ipſa 2. Iunij 1418.
          - Ioannes II. Caſtellæ Rex. Duxit Mariâ de Aragon, & poſteà Iſabellam de Portugal.
            - *Ex Mariâ primâ Vxore,*
              - Henricus IV. Rex Caſtellæ: habuit duas vxores, nullum filium.
              - Catharina. Obijt ætatis ſuæ anno ſecundo.
              - Leonora. Obijt in pueritiâ.
            - *Ex Iſabellâ, alterâ Vxore,*
              - Alfonſus. Obijt ætatis ſuæ anno XV. hic eſt 1468.
              - Iſabella. Nupſit Ferdinando Catholico Aragoniorum Regi.
                - Ioanna Regina Caſtellæ & Aragoniæ. Nupſit Philippo Auſtriæ Archiduci.
                  - Carolus V. Romanorum Imperator, ac Hiſpaniæ Rex.
                    - XVIII. Philippus cognomento Prudens, huius nominis ſecundus in Hiſpaniâ, & primus in Luſitaniâ Rex: à quo omnes alij Hiſpaniæ & Luſitaniæ Reges, vſque ad Philippum Regem modernum.
          - Maria. Nupſit Alfonſô Aragoniorum Regi.
          - Catherina, nupta Hêrico Infanti Aragoniæ.
  - Lianora. Nupſit Petro IV. Aragoniæ Regi. Obijt ſine liberis.

AR-



## ARTICVLVS II.

*Quis poſt Beatricem, Ioannis Caſtellæ Regis Vxorem, demortui Ferrandi Primi Regis fuerit verus heres Luſitaniæ.*

PORtugalliæ habenas poſt Petri I. mortem ſuſcipit ipſius ex Conſtantiâ filius Ferrandus. Huic iure hereditario Beatrix ipſius filia debuiſſet ſuccedere, ni violentia præualuiſſet iuri. Obijt Beatrix ſine liberis; ac perinde nulli remanſerunt Succeſſores legitimi Regis Petri. Recurrendum ergo eſt ad conſanguineos: qui ſi nulli dentur, electioni locus eſt. Habuerat Petrus duas ſorores, Mariam & Lianoram: hæc non habuerat ſucceſſionem, illa autem copioſiſſimam; ergo dabantur, & dantur vltimi Regis (nempe Ferrandi) conſanguinei, ex quibus aſſumendus erat qui gradu proximior & natu maior. III. *Petri Succeſſor quis?*

Tunc temporis, hoc eſt ante annum 1418. Corona Portugalliæ debebatur Catharinæ de Lancaſtre, quæ nupſerat Henrico Caſtellæ Regi, & ſuperuixerat poſt Beatricis obitum. Ab hac autem Catharinâ (vt in Genealogico ſtemmate videre licet) Carolus V. prouenit; ac perinde Catholicus noſter Philippus. Fuit hæc Catharina de Lancaſtre neptis Petri Regis Caſtellæ, Filij Mariæ, ſororis Petri I. Luſitanorum Regis, prout optimè aduertit D. Chriſtophorus Butkens, Cœnobij S. Saluatoris Ordinis Ciſtertienſis Antuerpiæ Prælatus, vir in materiâ Genealogicâ, ſi quis alius, verſatiſſimus.

### DISPVTATIONIS RESOLVTIO.

NOtum ſit igitur vniuerſis, Philippum II. qui ex Mariâ filiâ Afonſi IV. Luſitanorum Regis prouenit, eſſe verum heredem ſceptri Portugallenſis; quod demonſtro hoc modo: IV. *Philippus Luſitaniæ heres.*

Heres Regni debet deſumi ex poſteris Afonſi IV. vel, quod idem eſt, ex poſteris filiorum eius: atqui iam eſt fi- *Demonſtratio.*

V 2 nita

nita Petri I. poſteritas, vt demonſtrauimus, ergo recurrendum eſt ad poſteros Mariæ aut Lianoræ eius ſororum; atqui Rex Catholicus procedit à Mariâ, Lianora autem non habuit ſucceſſionem: ergo ille, qui vtriuſque fuit heres, vtriuſque ius coniunxit; ac perinde eſt verus ac legitimus heres Ferrandi I. vltimi Coronæ poſſeſſoris.

*Obiectioni ſatisfit.* Nec obijcere ſufficit, Ioannem I. Magiſtrum Auiſenſium in Comitijs publicis electum eſſe; quia, vt diximus, & adhuc demonſtrabimus ſequentis Libri Diſp. 3. q. 1. Regnum hoc non defertur iure electiuo, ſed hereditario; ac ideò non licuit populo ſibi Regem eligere, excluſâ Beatrice Ferrandi Regis Filiâ, atque iuratâ herede.

*Alteri reſpondetur.* Nec proderit ſi inſtes, Succeſſores Ioannis I. iam contra Caſtellæ & Aragoniæ Reges præſcripſiſſe: quia iam demonſtrauimus in Libro antecedenti, nullum fuiſſe præſcriptioni locum, contra quam erant tot proteſtationes militares ex parte Regum Aragoniæ: ſed & nunc Præſcriptionis beneficium dirimunt proteſtationes militares nomine Regum Caſtellanorum factæ. Nec dici poterit, Ioannem I. aliquando à Caſtellanis vocatum eſſe Regem Portugalliæ; quia notante diligentiſſimo Garibayo in Compendij ſuæ Hiſt. libr. xv. c. 36. etiam poſt mortem Ioannis I. Caſtellæ Regis dicebatur à Caſtellanis Magiſter Auiſenſium, non tamen Monarcha Luſitaniæ.

ERGO

Quibuſcumque non obſtantibus remanet Philippus Rex Catholicus legitimus Portugalliæ Rex demonſtratus.

*De Indiâ & Braſiliâ.* De Indiâ & Braſiliâ nihil noui occurrit; ac propterea eodem modo atque in Diſputatione antecedenti de Regionibus huiuſcemodi philoſophandum eſt.

LIBER



# LIBER V.

## SVPPONIT,

OMNES LVSITANIÆ REGES AB

AFONSO HENRIQVEZ VSQVE AD

HENRICVM I.

FVISSE LEGITIMOS AC VEROS PORTVGALLENSIVM REGES:

DEMONSTRAT

NIHILOMINVS,

HOC REGNVM, AD CATHOLICVM HISPANIARVM MONARCHAM HEREDITARIO IVRE PERTINERE.

V 3

# PROOEMIVM.

DIFFICILES quæſtiones expoſuimus; & in auitis tenebris debes meo ſtudio, quòd latentem videris veritatem. Rara res! multis titulis Luſitaniæ Monarcha demonſtratur, qui ab æmulis & inuidis, vt omnium impos, ſeueriſſimè condemnabatur. Dedi tres, dabo quartum; quorum quilibet ſufficeret Coronæ recipiendæ, atque receptæ conſeruandæ. Iam facilioris & penitioris diſputationis gratiâ ſuppono, omnes Luſitanorum Principes ab Afonſo, Henrici Comitis Filio, vſque ad Henricum Cardinalem fuiſſe legitimos ac veros Portugallenſium Reges, vel quia illa electio fuerit valida; vel, ſi malis, quia iam præſcripſerant: nihilominùs demonſtrabo, Philippum Catholicum, Hiſpaniarum Monarcham, eſſe Regni heredem legitimum, ac vltimi Regis ſucceſſorem. I. *Philippus quatuor titulis Rex Luſitaniæ.*

## §. I.

### *Emanoëlis Luſitanorum Regis numeroſa poſteritas.*

LVſitaniæ Rex Emanoël duxit Iſabellam Principem, Vxorem primam. Hæc Catholicis Regibus Fernando & Iſabellæ Primogenita; & Afonſo olim nupta: qui ab equo generosè-indocili proiectus, fractus corpore (nuſpiam animo) obijt Sanctaremi ante annum 1497. Obijt Salmanticæ Sereniſſimus Princeps Ioannes; ac perinde Iſabella Regum Catholicorum heres Coronis Caſtellanâ, Legionenſi, Aragoniâ, & Siculâ donanda declaratur. In Cæſaris-Auguſtâ Michaëlem peperit, vtriuſque Hiſpaniæ (nempe Ibericæ & Luſitanicæ) potentiſſimæ heredem. Primam is lucem vidit, cùm ipſa vltimam: ſiquidem horâ II. *Regis Emanoëlis Vxor prima.*

eâdem,

eâdem, & ad ortum Infans, & Regina ad occaſum. Præripitur à Parcâ Michaël, ſuperſtitibus Auis Catholicis; & ideò ijs vitâ functis ſuccedit Ioanna, quæ nupſerat Auſtriaco Archiduci, Maximiliani Imperatoris, Margaretæ Burgundiæ Ducis Filio, nempe Philippo I.

III. Soluit honores debitos mœrens Emanoël dulcibus manibus ſuæ deſideratiſſimæ Iſabellæ; & dolorem leniturus, ipſius duxit ſororem nomine Mariam, tertiam Regum Catholicorum Filiam, anno 1500. Hæc ditauit Luſitaniæ Monarchiam ampliſſimâ prole. Dedit Regno Ioannem huius nominis Tertium, Auum ex filio Ioanne Bellicoſiſſimi Regis Sebaſtiani; Imperio Iſabellam, ducendam Carolo Quinto Primi Philippi Filiò, Hiſpaniarum Regi, Romano-Germano Imperatori: ex hac Philippus II. Hiſpaniarum atque Indiarum Rex: Ioanna, quæ nupſit Ioanni Luſitanorum Principi: Maria Maximiliani II. Vxor, Vngariæ & Bohemiæ Regis atque Germaniæ Imperatoris; Mater Annæ Hiſpaniarum Reginæ, Vxoris Secundi, Matris Philippi Tertij: Iſabellæ, Rodolphi Imperatoris, Erneſti, Matthiæ, Maximiliani, Alberti Archiducis, Venceſlai, & Margaretæ Monialis; quæ obijt nuperrimè Madriti in S.Claræ Cœnobio cum opinione ſanctitatis. Præterea Carolo Sabaudiæ Duci dedit Beatricem, ex quâ Dux Emanuël Philibertus: hic ex Margaretâ, Filiâ Franciſci Regis Galliæ, habuit Ducem Carolum Emanuëlem, qui Catharinam duxit, ſororem Philippi Tertij Hiſpaniarum Monarchæ. Tandem ex eâdem Mariâ habuit Rex Emanoël Infantem Ludouicum: cuius laudes glorioſè-perilluſtres non ignobili calamo proſequitur Petrus Marizius Dial. 4. c. 20. Ioann. Fernandus in Orat. & alij plures. Remanſit huius Filius Antonius: qui poſt varias peregrinationes moritur Pariſijs, & ſepelitur in templo S. Franciſci: nempe Pater Emanoëlis (qui duxit Æmiliam de Naſſau, Sororem Mauritij Auriaci Principis, ex quâ habuit Emanuëlem, Ludouicum, atque ſex Filias; & poſt Æmiliæ mortem,

*Secunda Emanoëlis Vxor.*

*Principis Ludouici laudes.*



tem, Luiſiam Oſſoriam ex Principum Aſtricenſium familiâ nobiliſſimâ) Chriſtophori, qui obijt in Gallijs; & Dionyſij Ciſtertienſis Monachi, qui huic Ordini illuſtriſſimo eſt ornamento; & aliarum duarum Heroidum, quæ poſteà Moniales. Præterea idem Rex Emanoël habuit Infantem Ferrandum; cui nupta fuit Guiomara Coutinho, vnigenita D. Franciſci & Beatricis, Comitum Marialuæ, & Louleæ. Obijt Ferrandus ſine liberis anno 1534. Fuit litterarum Mæcenas optimus: præcipuè ſtuduit Chronologiæ: edidit ſuam genealogiam deductam ab Adamo; ad cuius delineationem ſecuriorem, coniunxit ex diuerſis Prouincijs doctiſſimos Hiſtoricos atque veterum libros: hoc etenim ſtudij genere ſummoperè delectabatur. Deinceps habuit Emanoël Infantem Afonſum S. E. R. Cardinalem, olim Viſeenſem Epiſcopum, pòſt Archiepiſcopum Vlyſſiponenſem, Epiſcopatus Eborenſis & Abbatiæ Alcobaciæ Adminiſtratorem, vel, vt dicimus, Commendatarium. Hic primus introduxit Officium Romanum in ſuas ditiones, quæ præhabuerant Sariſberium, quod ex Angliâ inuexerat Ferrandus Infans, Ioannis Primi Filius, recordationis optimæ. Habuit etiam Emanoël Infantem Henricum Ciſtertienſem Monachum, S. R. E. Cardinalem; & poſt Sebaſtiani cladem, Luſitanorum Regem. Poſt hunc genuit Duartem (Eduardum, ſi malis, hunc nomines) cui nupſit Iſabella Theodoſij Ducis Bargançæ Filia: vixit in matrimonio quatuor annos, ſuſcepitque duas Filias, & Filium. Illarum alteram Mariam duxit Alexander Farneſius, Parmæ Princeps atque Placentiæ Dux; alteram Catherinam Ioannes Bargançæ Dux: quam manet copioſè-illuſtris generatio. Filius fuit poſtumus, nomine Duarte, ingenio felix, conditione illuſtris, in Guimarães Dux, & Stabilis-Comes in Regno, digniſſimus longiori vitâ. Fuit ipſius Filia Maria, quæ ante diem moriens, omittitur ab Hiſtoriographis. Ex eâdem Mariâ ſuſcepit Antonium Filium vltimum; cuius geneſin illacrymantur Luſita-

*Officium Romanum introducitur.*

*Partus Rachelis Luſitana.*

Luſitani, quoniam bifariàm-Tragica: ipſius fuerunt pediſequæ duæ mortes, videlicet & Filij & Matris, anno Dominicæ Natiuitatis 1517.

*Tertia Emanoëlis Vxor.* Exitum infelicem exſpectatiſſimæ Reginæ Mariæ mœſtus coluit Emanoël debito honore; & vndequinquageſimo ætatis anno, videlicet 1518. duxit Leonoram Quinti Caroli Sororem Sereniſſimam; & eâdem die donatus aureo vellere, curauit acu pingi in Flandriâ ditiſſima ornamenta, Romano Petri Apoſtoli templo dicanda. Naſcitur ex Leonorâ Princeps Carolus, & moritur puer; & Maria, quâ ditior vix Regina in Europâ: eius opes in cauſsâ, vt non permitteretur nubere, ne illas extrahi liceret extra Regnum. Innupta obijt; & heredem inſtituit Sebaſtianum, tunc temporis Luſitanorum Regem.

## §. II.

### *Inſtituitur Lis de Regno Luſitaniæ.*

IV. SVperſtite Monacho Rege, nempe Henrico, Luſitania, quia ſucceſſionis exſpes, perennibus clamabat votis: *Domine mi Rex, in Te oculi totius reſpiciunt populi, vt indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo Domine mi Rex poſt Te.* (3. Reg. c. 1.) Acquieſcit votis populi Henricus, & legat Grammatophoros, videlicet admonituros Caſtellæ Regem Catholicum Philippum huius nominis Secundum, quà Filium Iſabellæ olim Imperatricis, Emanoëlem Philibertum, quà Infantis Beatricis Filium, Antonium, quà Filium Infantis Ludouici, Catherinam, quà Duartis; omnes Nepotes Regis Inuictiſſimi Emanoëlis. Nec præteriri voluit Rainutium primogenitum Mariæ Parmenſis Principis, Neptis eiuſdem Regis.

*Per litteras aduocantur, qui ad Luſitaniæ ſceptrum adſpirant.*

*Filij Emanoëlis ætatis ordine recenſiti.* Hi erant ſolùm qui in tam copioſâ genealogiâ ad ſceptrum Luſitanorum aſpirabant. Filij Emanoëlis Reges nati fuerunt hoc ordine: primogenita fuit Iſabella, quæ & Imperatrix; poſt hanc naſcitur Beatrix, quam ſequitur Lu-



douicus, & hunc Duarte. Vide Hieronymum Oſorium de rebus Emanoëlis Regis l. 3. 4. & 10. Mariz Dial. 4. c. 20. Goëſium 4. part. c. 68. Brandaonem, & quotquot Emanoëlis Hiſtoriam publicarunt.

*Competitorum iuxta ætatem præceſſio.* Dignitatis Regiæ candidatos, ſi ætatem reſpicere debeam, hoc ordine nequeo non recenſere. Sunt D. Philippus II. Caſtellæ Rex, D. Philibertus Sabaudiæ Dux, D. Antonius, D. Catherina; quâ annoſior erat D. Maria Rainuti Mater.

Hæc omnia, vt ediſſero, expoſuit in Libello ſupplice Doctor Fernamus de Pina-Marecos Regni Promotor: ita in Interlocutorio ſuo Sereniſſimus Rex Cardinalis declarauit: hoc facti denegauerit nemo; atque ideò temerarium te iudicem dicerem, ſi de ijs circumſtantijs, quæ apud vniuerſos in confeſſo, ſeuerior dubitares.

Vberioris claritatis gratiâ ex Sereniſſimâ Regis Emanoëlis poſteritate eas vnicè libuit excerpere perſonas, quæ ad Quæſtionis attinent dilucidationem. Ex radice Luſitanè-Regia ſurculos ſpeculare ſubſequentes: V.

EMANOEL, Magnus Luſitaniæ, Algarbiæ, Indiæ & Braſiliæ Rex.
- Iſabella Imperatrix.
  - * PHILIPPVS Rex Hiſpaniarum.
- Beatrix Infans.
  - EMANOEL Philibertus Sabaudiæ Dux.
- Ludouicus Infans.
  - D. ANTONIVS Crati Prior.
- Henricus, Ciſtertienſis, S. R. E. Cardinalis, ac demum Luſitanorum Rex.
- Eduardus Infans.
  - D. Maria Parmenſis Princeps atque Placentiæ Duciſſa Sereniſſima.
    - D. RAINVTIVS Parmæ Princeps.
  - D. CATHERINA Barganciæ Duciſſa.

** Diſtinguuntur capitalibus litteris competitores.*

## §. III.

### *De Chriſtianiſſimâ Galliæ Reginâ.*

VI. CAuſa fuerat incepta, & non ſine nouis difficultatibus & controuerſijs alebatur. Inopinatò difficilior efficitur, quia Chriſtianiſſima Regina Catharina non exſpectantibus adnumeratur Candidatis, quà originem trahit, vt dicitur, per lineam rectam ab Afonſo Tertio Luſitanorum Rege, atque Boloniæ Comite, nec non à D. Mathilde primâ eiuſdem Vxore: quorum apud Hiſtoricos multa eſt notitia.

*Titulus Reginæ Chriſtianiſſimæ.*

Hi fuerunt, dum ſupereſſet Rex & Cardinalis Henricus, Coronæ Regiæ Candidati: hi, quorum ius non ſatis clarum, & ex Scriptorum negligentiâ quondam ambiguum minùs, in poſterum obſcurum magis, ni tenebris radius ſufficiens adhibeatur.

*Quæſtio hæc difficilis.*

Perſtant Apologetica quæ collitigantes ediderunt, ſed vix quæ Philippi II. demonſtrent inuaſionem legitimam, atque ſecuram retentionem: paucis ſe expedire deſiderant à labyrintho intricatiſſimo, vbi vix ſufficerent, qui radijs diuites diſſerüiſſent plura. Agitur omnium cauſa, cùm noſtri Regis. Non ſufficit enſe tueri, ni benè parta. Talia haberi non poſſunt, quorum ius non oſtenditur nobis, & ipſis: nobis equidem, vt ſecuri in interiori foro, Martiali pectore ſubiugatas Regiones defendamus: ipſis, vt ſuæ iniuſtitiam cauſæ cognoſcentes, ceſſent tandem iniurijs laceſſere, quos armis non poſſunt debellare. Cedant Arma Togæ, Lingulæ Linguis, Graphicis Sagittarij Calami. Luſitaniæ Rex legitimus, Philippus erat, legitimus Succeſſor Cardinalis Henrici. Fuit intruſus, quiſquis alius Monarcha Portugalliæ audiuit. Odioſa multis veritas! ſed veritas: quæ iam non à Marte defendenda, ſed à Mineruâ demonſtranda eſt.

§. IV.



## §. IV.

### *De Controuerſiæ huius Scriptoribus.*

SÆpè Academicis plura Peripatetici impoſuerunt, vt euidentiùs ſatisfacerent, ſupprimentes Platonicos analogiſmos. Sæpè Thomiſtæ Scoticis reſpondent ſpurijs argumentis, extra ſubtilium Scholam genitis, peſſimoque lacte nutritis. Sed quo fructu? nullo. Herculè magno dicerem, ſi inquireres potiùs, quo damno. Rident aduerſarij, dum ſua arma incognita perſpiciunt, alioſque per inuia diuagari. VII.

*Academica diſſimulatio.*

Non aliter in præſentiarum. Multi loquuntur, multi diſſerunt de iure Luſitaniæ: plerique acutè, ſed ſæpiùs non verè, ac perinde nec benè. Non ſufficit fingere rationes pro contrarijs, quibus ſatisfaciamus: opus eſt vt ipſorum euertamus fundamenta, & paralogiſmos debellemus. Reſpondet nuperrimè N. argumentis pro contrariâ parte: quid ſi adderent antagoniſtæ, ſe illas rationes non cognoſcere, nuſquam tales fuiſſe exhibitas in Tribunalibus? Has diligentiâ ſedulâ debemus quærere, iſtas examinare: harum prodeſt demonſtraſſe inefficaciam, non verò illarum, quas fingunt ſcioli debiles, vt facili negotio ſatisfaciant.

*Communis error.*

Nondum ſcis vbinam genuinæ rationes, quibus quæcumque Candidatorum pars armabatur, potuiſſent reperiri? Doceberis. Quære collitigantium Principum apologias, allegationes, informationes, expoſitiones, ſacramenta, teſſeras: vel qui minùs eis ſufficias, permitte controuerſiæ examen diligentiori calamo; quia ſi ignauus hæc ediſſeras, eris Veritati Iuridicæ ſummo damno, nuſquam vtilitati.

A multis annis hanc ego percallere deſiderans difficultatem, ex Hiſpaniâ, Luſitaniâ, Galliâ, Hollandiâ, Angliâ, Indiâ, nullis ſumptibus, nulli labori parcens, quæſiui ſecretiſſimos Codices, Regis Catholici iuri vel hoſtes vel

X 3 amicos.

amicos. Interlegi Autographa, Exemplaria Supplicum libellorum, Aduerſariorum, Epiſtolarum, Pyctatiorum, Pandectarum, & quæcumque Collectanea, Breuiaria, Philyras, Diplomata, Apoſtolos, quæ tunc temporis pro Antagoniſtis edebantur.

VIII. Perlegi Interlocutorium Henrici Regis Cardinalis; in quo ediſſerit ſe non magis vni quàm alteri parti fauere, ſed vnam ambire demonſtrationem Veritatis.

*Auctores qui pro* ANTONIO *ſcripſere.*

IX. OMnia ea exquiſiui quæ pro Antonio fuerunt diuulgata: quorum præcipua hîc ſubiungam maioris ſecuritatis gratiâ.

Nempe, Explanationem veri ac legitimi Iuris, quo :::::: Antonius ::::::: nititur ad bellum Philippo Regi Caſtellæ pro Regni recuperatione inferendum; vnà cum Hiſtoricâ quadam enarratione rerum eo nomine geſtarum vſque ad annum 1583. Eſt liber in quarto editus ex Superiorum mandato Lugduni Batauorum, anno 1585. auctore Anonymo. Sanè hoc libello diminuitur Antonij auctoritas; tum quia ſcriptor Anonymus, tum quia facti penitus imperitus: quî enim poterit de iure iudicare, qui nondum factum percalluerat? De genealogicâ poſteritate Emanoëlis nullus eſt Luſitaniæ Chronologus qui non ſcripſerit: nota res eſt; exque eius notitiâ ſententia ferenda in cauſâ Regni pendet. Hanc genealogiam nullatenus didicerat hic Antoniani iuris explanator. Demonſtro. Pag.4. lineâ 6. ait: *Rex Emanoël ducit Mariam, ſecundam natu filiam eorumdem Fernandi & Iſabellæ.* & fallitur: non enim Maria fuerat natu ſecunda, ſed tertia. Prima enim Catholicorum Regum filia fuit Iſabella, de quâ iam ſuprà; ſecunda Ioanna, tertia Maria. Poſteà lineâ 15. & 17. grandiorem natu facit Mariam Ioannâ, cùm contrarium ſit verum. Paginâ ſequenti, nempe 5. lineâ 4. *Eduardus, qui Vxorem duxit Theodoſiam Bargançæ Ducem.* Omnia ſunt falſa. Non Theodoſia



doſia Eduardo nupſit, ſed Iſabella; hæc autem non erat Bargançæ Dux, ſed Ducis Filia. Sic etiam paginâ 6. in limine: *Moritur*, ait (nempe *Ioannes* Luſitanorum Princeps) *grauidam relinquens Vxorem; quæ ſexto menſe à morte mariti peperit Sebaſtianum.* Ex omnium Auctorum conſenſu hoc quoque falſum eſt.

Verè nolim chartam terere in huius Anonymi auctoris correctione; hæc tamen recenſuero, vt videatis nullam ipſi fidem hucuſque præſtitam, nullam in poſterum præſtandam eſſe Hiſtoricæ rei homini imperitiſſimo.

Eſt in præſentiarum apud me Autographum teſtamentum Domini Antonij, ab ipſius filio primogenito Excellentiſſimo D. Emanoële communicatum, ex quo colligere eſt eiuſdem mentem penitiorem; vnde aliqua exſcribam inferiùs actura pro Philippo II.

Scripſit præfatus D. Emanoël Anatomen Fortunæ politicæ; inſcripſitque Comiti Palatino, dum is Bohemorum Rex coronaretur: diſſuadet ipſi illam expeditionem, acutiſſimè exponit pericula, quibus olim & Antonius Pater in ſimili cauſsâ ſubiacuit. Opus ſanè ſententijs floridum, & exuberans monitis: rarum, ſed digniſſimum moroſâ perlectione.

Allegationes Iuris quas circumferebat Antonius, vnà cum reſponſionibus Doctoris Felicis Teixeira, & Licentiati Afonſi de Lucenâ, Procuratorum Sereniſſimæ Infantis Catherinæ, imprimebantur in folio Almerini typis Antonij Ribeiro & Franciſci Correa, approbantibus ordinarijs Cenſoribus, & permittentibus ſummo Conſilio Inquiſitionis, ac Senatu ordinario.

Cyprianus de Fuigueredo, qui propter ſtrenuè geſta à Rege Chriſtianiſſimo Henrico, & ab ipſo Antonio, non Cyprianus, ſed Scipio vocabatur; fuit ex Conſilio Regio Antonij, & pòſt ipſius Teſtamentarius, olim Inſulæ Terceræ Gubernator, & Comes S. Sebaſtiani in eâdem Inſulâ: publicauit Epiſtolam, quâ notas facit Philippo II. cauſſas, quibus

Cyptiao *& Cypiao in Luſitano idiomate voces ſimillimæ.*

quibus mouebatur, vt indiuiduus comes non deſereret ipſum Antonium, cui ab annis pluribus in honore maximo ſeruierat. Edidit etiam Apologiam pro Antonio contra D. Ioannem de Caſtro, olim ex Antonianis; qui ſplendidioris fati ſpe transfugerat ad Catherinam Bargançæ Ducem.

Ipſe D. Ioannes de Caſtro, vtpote ingenio varius, poſt palinodiam cantans, iterùm ſubſcripſit Antonianis; & Londini publicauit Epiſtolam ad Antonium, in quâ eum confitetur Luſitanorum Regem; vocatuſque ab Antonio Pariſios, ibidem humaniſſimè excipitur, atque reconciliatur.

Exſtat liber in octauo impreſſus Lugduni Batauorum, ac recuſus Pariſijs: complectens Epiſtolas Regum, Reginarum, Heroum, Principum, Catholicorum, Hæreticorum, Mahumetanorum pro Antonio in cauſsâ Regni Luſitaniæ. Notaui ex eo Pariſijs rationes aliquot genuinas, quæ proderant curioſitati.

Habeo informationem, quâ Anonymus Antonij Procurator intendit demonſtrare, Infantem Ludouicum atque Iolentam legitimè fuiſſe coniunctos, quamlibet fateatur hoc matrimonium fuiſſe clandeſtinum. Huius tractatus ſummam deſcribam Diſp. 1. Quæſt. 2. Art. 2. & deinceps.

Exſtat authenticon Bullæ Pontificiæ ad Henricum de legitimis parentibus Antonij: ad quam reſpondeo ſuo loco.

Editur Pariſijs cum Chriſtianiſſimi Monarchæ priuilegio apud Ioannem Mettayer, in Mathematicis Typographum Regium, anno 1582. liber in quarto. Epigraphe: *De Portugalliæ ortu, Regni initijs, denique de rebus à Regibus vniuerſoq; Regno præclarè geſtis* COMPENDIVM *ex fidelibus ſpectatiſſimorum Hiſtoricorum monumentis excerptum, Auctore R. P. F. Joſeph Teixera Luſitano, Ordinis Prædicatorum, Profeſſore S. Theologiæ, Regiſq; Portugalliæ Concionatore.* Eius intentum, genealogiam Luſitanorum Regum texere; poſtque obitum Regis Cardinalis, Regni verum & immediatum ſucceſſorem cognoſcere & profiteri Antonium,



nium, explodere Regem Catholicum. Ideò à folio 33. totus eſt contra Philippum cognomento Sapientem. A principio Hiſtoricam narrationem ediſſerit; ſed, ſi attentè legatur, inuectiuam. In eâ (vt alia prætercam) annotato, illum plurimis concedere Coronam Luſitanicam titulo electionis, qui hereditario iure maioribus fuere ſuffecti; non tamen aut induſtria errore, aut error caret magnâ curâ. Hinc videbatur elicere, non eſſe rarum aut nouum in Luſitaniâ Reges eligi; ac perinde in vltimâ rerum tempeſtate eligere Antonium potuiſſe. Singulis proprio loco ſatisfaciam.

Scipio Dupleix, Conſiliarius & Hiſtoriographus Chriſtianiſſimi Regis, ſcripſit Annales Henrici III. Franciæ ac Poloniæ Regis: & anno 1580. expendit Antonij fortunam, eum Regem nominat, admittit tamen fuiſſe nothum, à Pontifice legitimatum; ediſſerit curioſè breuis rationes omnium Competitorum: concludit, totum ius ex Antonio non ad Emanoëlem primogenitum, qui Bruxellæ agit ſub auſpicijs Regis Catholici, ſed ad Chriſtophorum, Antonij filium alterum, qui Pariſijs habitat, ex clauſulâ teſtamenti D. Antonij iam pridem deuolutum eſſe. Omnia, cùm det opportunitas, in hoc vltimo Libro examinabimus.

Emanoëlis de Fonſeca in laudem Antonij Regis Luſitanorum ſalutati oratio. Ex eo Antonium commendat, quòd tot in vitâ aduerſitatibus conflictatus, tot ereptus periculis, nuper ab irâ Henrici, anteà à Sebaſtiani odio, tunc à Maurorum exemptus manibus, non ſine manifeſto, vt ait, auſpicio, ad Coronam fuerit ſublimatus. Huius orationis meminit Iacob. Aug. Thuanus in Hiſtoriæ ſui temp. libro 70. pag. 392.

Obijt Excellentiſſimus D. D. Emanoël de Portugal, D. Antonij filius, 22. Iunij anno 1638. & ipſius vltima munificentia donauit me omnibus chirographicis. Reperi inter ea aliqua quæ conducerent ad vberiorem expoſitionem propoſitæ difficultatis. Recenſebo ea breuiter, quæ maioris facio.

Tomus integer in folio, cui epigraphe, *Primeira parte da Hiſtoria do Rey dom Antonio.* totus eſt ſcriptus à D. Antonio manu propriâ. Agit de Principe Ludouico ſuo Patre, Regis inuictiſſimi Emanoëlis filio, de matrimonio D. Iolentæ cum eodem Principe: conatur perſuadere hoc fuiſſe legitimum; ac perinde ſe non eſſe nothum, ſed Regni heredem. Deſcribit expeditionem Africanam; expendit circumſtantias ſuæ captiuitatis, & modum redemptionis, quouſque reuerteretur in patriam.

Tomus alter in folio etiam ſcriptus manu propriâ. Titulus, *Segunda parte da Hiſtoria do Rey dom Antonio.* Reſumit breuiter ea quæ in primâ parte dixerat, adſpirat ad regnum, Patruum alloquitur; ab ipſo condemnatus, conqueritur apud ſummum Pontificem.

Tomus tertius continet *Originalia Epiſtolarum*, quas Antonius ad varios Monarchas Catholicos, Hæreticos ac Mauros, miſit in cauſſa Regni. Complectitur etiam *Reſcriptiones* Chriſtianorum & Africanorum Principum.

Prætereà, *Libellus ſupplex ad Pontificem Maximum.* In eo vberrimâ eloquentiâ agit de ſuo iure; & aſſiſtentiam Sanctiſſimi Patris implorans, conqueritur ſatis acutè. Huius libelli habeo duo exemplaria; aliud charactere D. Antonij, aliud Scipionis Figueredi.

Item omnia acta quæ pertinent ad expeditionem Luſitanicam: inter ea *Patentes literæ*, quibus D. Drakus eligitur Dux Generalis ab Eliſabethâ Angliæ Reginâ Sereniſſimâ: *Conditiones* à D. Drako & D. Noriz propoſitæ: ab Antonio quæ, & qualiter admiſſæ. *Inſtructio* Legati D. Antonij ad Hollandiæ atque Zelandiæ Status. Statuum ſingulorum *Acta* pro Antonio. *Decreta* Statuum generalium. *Contractus* inter Antonium & Mercatores Amſtelodamenſes, &c.

His omnibus conſtituo rariſſimæ eruditionis theſaurum verè Principe dignum (fuit Antonius felix calamo, Politicæ ſcientiæ doctiſſimus) vt videant poſteri, non ſufficere ſcientias aut artes, licet excellentiſſimas, vt ius tyrannidi ſubiaceat, & veritas ab eloquentiæ hypocriſi opprimatur.



Habeo etiam alias ſchedas curioſiſſimas ab ipſo Antonio ſcriptas; quæ cùm non agant de iure Luſitaniæ, non iuuat recenſere.

## *Apologia pro* CATHERINA *Duciſsâ Bragança.*

PRo Sereniſſimâ Infante Catherinâ ſcripſerunt quamplurimi, ſed tantummodò mihi noti ſequentes. X.

Licentiatus Afonſus de Lucena, Ducum Bragançæ Aduocatus, atque redituum Procurator.

Doctor Felix Teixeira, etiam Aduocatus Ducum Bargançæ, ac redituum & expenſarum Procurator.

Iaime de Morais, Colimbricenſis Vniuerſitatis Doctor, in Iure Pontificio emeritus, & Cathedræ Primariæ Moderator.

Doctor Antonius Velaſco Cabaço, Iuris Cæſarij Præpoſitus Lectioni veſpertinæ.

Doctor Ludouicus Corréa, Decreti Cathedraticus.

Doctor Emanoël Soarez, qui obtinuit Pontificij Iuris Cathedram veſpertinam.

Doctor Rodericus Lopez de Veiga, qui Cathedram Digeſti veteris:

Doctor Chriſtophorus Ioannes, qui ſexti Libri:

Doctor Ludouicus Baſto de Brito, qui Digeſti noui:

Doctor Aluarus Dandrade, qui Iuris Pontificij:

Doctor Franciſcus Rabello, qui eiuſdem Iuris:

Doctor Gondiſallus Ægidius, qui trium Librorum Codicis:

Doctor Petrus de Alpoim, qui Codicis obtinuit Cathedram.

Editæ ſunt lucubrationes horum Colimbricenſium Profeſſorum anno 1580. in folio, apud Antonium Ribeirum.

POPVLI *propugnator.*

XI. PRo populi Libertate ſcripſit Doctor Fernamus de Pinâ Marecos, Regni Promotor: cui ſubſcripſerunt aliquot, potiùs allecti tanti hominis auctoritate, quàm ratione.

*De Iure* REGINAE CHRISTIANISSIMAE.

PRo Chriſtianiſſimâ Galliæ Reginâ ſcripſit Pellitierus, neſcio quis: exſtat enim libellus ſub hoc titulo, *Catherina Chriſtianiſſima Regina Galliæ, Regni Luſitanorum heres à Pellitiero I. V. Doct. demonſtrata.* Nomen Typographi ſupprimitur.

Prætereà licuit legere aliqua Doctorum Chirographica: in quibus perſtant rationes penitiores, & magis ſecreta fundamenta.

Habeo librum Auctoris Anonymi de Iure Reginæ Chriſtianiſſimæ ad Regnum Luſitanicum. Hoc opus eò reſpicit, vt perſuadeat, Chriſtianiſſimam Reginam Catherinam de Medicis deſcendere ex Afonſo III. & Mathilde Portugallenſium Regibus: quod adſcribitur Petro Beloy, Regis Galliarum Aduocato.

*Libri pro* CATHOLICO REGE.

XII. PRo Catholico Rege Philippo nuperrimè ſcripſit eruditiſſimus D. Nicolaus Vernulæus, Rhetorices Profeſſor in Almâ Vniuerſitate Louanienſi, in *Apologiâ pro domo Auſtriacâ*: ſed ſummè-breuis, recenſet Concluſiones ſolùm, quas ego Apologeticus debeo probare. Quæſtio hæc meo iudicio difficilis, & vix ab alio meliùs quàm à Domino Vernulæo tractata. Plures aſſumunt multa, quæ nondum ſatis certa. Nec mirum eſt, peregrinos rerum Luſitanarum notitiis minùs inſtructos eſſe; ac perinde non miror eos non percallere iſtam difficultatem, quam ipſe naturalis indigena, imò & domeſticus, vix antè potui.

Ante



Ante hunc typis mandauerat noſtri Regis iuſtitiam Afonſus de Alburquerque, Aduocatus Vlyſſiponenſis ciuitatis: cuius mentio fit ab Anonymo Antoniani Iuris Explanatore pag. 16. quamuis non honorifica. Quid mirum? ſæpè antagoniſtæ collitigantium fautorem appellant temerarium, præcipitem & ſubornatum: in cauſsâ timor vnicus, ne cauſsâ cadant, atque in iudicio ſuperentur.

Iacobus Auguſtus Thuanus Hiſtoricè, non Scholaſticè, expeditionem Luſitanicam tractat parte quartâ libro 69. videtur agere Philippi partes; licet tam confusè ac indiſtinctè ſcribat, vt vix lector ſufficiat iudicare de Chronologi mente.

Hieronymus de Franchi Conneſtaggius, Genuenſis nobilis, ſcripſit Italicè de vnione Portugalliæ & Caſtellæ. Sed totus in Hiſtoriâ, non expoſuit Iuris, quas quæris, circumſtantias. Gallicè loquitur induſtriâ M.Th. Nardini: publicatus Beſançoni apud Nicolaum de Moingeſſe, anno 1596.

P. Antonius Vaſconcellius ex Societate IESV, Theologus Vlyſſiponenſis, ſcripſit Anacephalæoſes, nempe ſumma capita actorum Regum Luſitaniæ. Tractat hanc hiſtoriam anacephalæoſi 21. & 22. Impreſſus eſt Antuerpiæ in quarto apud Petrum & Ioannem Belleros anno à partu Virgineo 1621.

Ipſe Vaſconcellius ſcripſit libellum, cui Epigraphe, PHILIPPI II. LVSITANICA EXPEDITIO. Impreſſa etiam in quarto apud eoſdem eodem anno. Pertractat curioſè hiſtoriam illius expeditionis militaris; non tamen exponit, quo iure Philippus Luſitaniam inuaſerit.

Fauent Regi Catholico quotquot Hiſtoriographi in Hiſpaniâ & Regnis Catholico Monarchæ ſubditis ſcripſerunt; quos eſſet perlongum recenſere.

Y 3 PER-

## PERORATIO.

XIII. HOc Librorum apparatu inſtructus in arenam deſcendo, ſecundi Philippi ſecundis auſpicijs Luſitanas Prouincias ſubiugantis iuſtitiam legitimam propugnaturus. Reſpondebo non rationibus, quas pro illis inuenero, ſed ipſiſſimis, quas ij Achilles vocabant inuictiſſimas; quibus, ceu fundamentis ſolidiſſimis, innitebantur. Si ſemel Antagoniſtarum genuina diluerim fundamenta, ſi effugia præcluſerim, ſi appendicibus obiectis ſatisfecerim, futurum eſt vt quieſcant inimici, vt eorum pars ita remaneat improbabilis, vt inter inuidos, atque Heſperiæ Monarchiæ æmulos, nullus Zoïlus inuenire valeat Aduocatum. Quæ ne videar ſolùm promiſiſſe, exordior Practicos Analogiſmos texere, & Ius legitimè-vnicum, quod Catholicus habuit & conſeruat, calamo ſincero demonſtrare.

DISPV-



# DISPVTATIO I.

*Vtrùm Gregorius, Tertiusdecimus Pontifex Maximus, habuerit ius ad Coronam Regni Portugalliæ.*

NVLLVS ex Pontificis nomine ſub Henrico Luſitanorum Rege comparuit Procurator, acturus de iure Gregorij Decimitertij ad Sceptrum inuictæ Portugalliæ. Fuerunt nihilominùs plurimi, qui admonuerunt Pontificem, qui in eâ erant ſententiâ, vt crederent, feudi titulo eum ad Regnum poſſe legitimè adſpirare: ideò Schevola, & Ludouicus de Sanctâ Marthâ *in Hiſtoriâ Genealogicâ Domus Francicæ tom. 2. libr. 27. pag. 724.* inter Competitores Pontificem ſummum enumerant. Huius gratiâ diſputationem hanc excito, vt in res politicas & ſæculares Eccleſiaſtica auctoritas penitiùs cognoſcatur. I. *Feudi titulus.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*De Feudi naturâ, ingenio, & proprietatibus.*

CÆcutiam in hac difficultate, ni feudi percalleam proprietates, naturamque: ideò præmittere nonnulla oportuit, ex quibus reſolutio ſolidior atque euidentior deſumatur. II.

### ARTICVLVS I.

*Feudum quid? quotuplex? eius materia quæ?*

FEudum, ex communi Iuris-conſultiſſimorum opinione, ita conſueuit diffiniri: *Feudum res eſt, cuius Dominus in eâ cognoſcit ſuperiorem, cum grauamine vtriuſque.* Nempe vt feudatarius pendat determinatum cenſum; Dominus impendat, cùm opus fuerit, defenſionem. Feudum *Feudi diffinitio.*

bifariàm

bifariàm inſtituitur; nempe & inueſtiturâ, & ſubmiſſione. Primo accidit modo, cùm rei abſolutus Dominus eam dat ſub cenſu, feudalibuſque conditionibus; & eligit ſibi feudatarium, cui rei competat dominium proximum, interimque ſibi conſeruat auctoritatem ſuperiorem. Secundo, cùm rei poſſeſſor eligit ſibi Dominum, cui ſit feudatarius defenſuro, propugnaturoque, cùm occaſio neceſſitáſve poſtulauerit. Hinc conſtat, ſi inſtitutionem reſpicias, feudum eſſe duplex; nempe inueſtituræ, & ſubmiſſionis.

*Feudi diuiſio.* Præter hanc, varias feudorum diuiſiones interpretes excogitarunt; ſed celebriorem illam iudico, quâ diuiditur in antiquum, & nouum. Alij aliter. Doctiores antiquum dicunt, quod à maioribus hereditario iure recipitur; nouum, quod à Domino: ideò feudum emptum fit nouum, etiamſi antiquum fuiſſet, quia emptor in ſuâ rectâ genealogiæ lineâ eſt, qui primus id recipit, Schrad. *de Feud.p.2.c.3.n.57.* Scheplitzius *tit.3. num.1.* ſed *num.2.* in contrariam partem inclinat. Vaſallum committentem feloniam, ſi hac remiſsâ iterùm Dominus inueſtiat, feudum fit nouum, licet antiquum anteà fuerit, Afflict. *in c.1.n.7.cum ſeqq.2.feud.14.* & quomodo hîc alij auctores procedant, docet Scheplitzius *tit.3.n.1.*

III. *Feudi materia.* Feudi materia dicitur, quæ commiſſa in feudum. Committuntur Pomœria, Campi, Horti, Agri, Domus, Vrbes, Prouinciæ, Baronatus, Comitatus, Marchionatus, Ducatus, & Regna, Schrad. *de Feud. p.3. c.1. & 2. ad num.55.* Zaſ. *part.4. n.4.* VVeſ. *de Feud. c.7. num.6.* Piſtor *Conſ.22. n.24.* Scheplitzius *tit.3.num.8.& deinceps.*

## ARTICVLVS II.

### *Feudi character quis?*

IV. *Grauamen, feudi index.* CHaracter eſt extrinſecus naturæ index; in eo autem feudum dignoſcitur, quòd habeat ſeruitutis titulum quempiam appendicem: hoc deficiente, vel ceſſante, feudum



dum deficit. Dabo litem analogam, alibi latiùs explicandam.

Voluerunt Franciæ Reges, Flandriæ Comites ſibi ſubiectos eſſe ratione feudi. Reſpondent Comites, ſe Flandriam recepiſſe, ſed ſub nullo grauamine, ſub nullâ ſeruitute: & benè; quia ſi de conditione aliquâ onerosâ conſtaret in Flandriæ traditione, feudum hæc eſſet, & nulli locus maneret controuerſiæ. Erat tamen in vſu, vt Franciæ Rex reſortum aliquod, ſeu tributum, acciperet à Flandriæ Comite: volebat Francus ex hoc reſorto demonſtrare, Prouinciam Flandriæ feudum eſſe; contrà, Comes illud aſſeruit ex conſuetudine eſſe extractum: hæc autem feudum non conſtituit, nec Comitis diruit ſupremam ſereniſſimamque dignitatem. Vide Nicolaum Thuldenum *Praxeos rerum ciuilium capite 232. num.3. ad finem.*

In hoc conuenit cum maioratu feudum, quod vtrumque ſit indiuiſibile. Ita Io.Fab. *in §. Quædam actiones. inſtitut. de Actionibus.* Fauet experientia, & fidelitatis iuramentum homagiúmve, quod à filio natu maximo ſolummodò præſtari debet. *Feudum indiuiſibile.*

## ARTICVLVS III.

### *Feudum diuiditur in ſpirituale & temporale.*

SVpereſt alia feudi diſtributio in membra duo, illuſtris equidem, ſed non omnibus nota. Pontifex, quà talis, Imperatori ſimilis, non minùs poterit de ſpiritualibus theſauris diſponere, quàm ille de temporalibus. Congruum eſt, vt qui dignioribus in ſæculo officijs pro Eccleſiâ militant, potioribus fauoribus à Pontifice ſummo donentur. Ideò dantur Gratiæ Cæſareæ, Regiæ, & Populares. Gratiæ Cæſareæ ſpirituales illæ ſunt, quæ Imperatoribus concedi ſolent; Regiæ, quæ Regibus; Populares, quæ populo. Itaque non minùs Pontifex quàm Imperator (vnuſquiſque in ſuo genere) poteſt dare titulos Regios, Ducales, Comitales, *V. Feudum ſpirituale quid?*

 &

& ſimiles. Qui ab Imperatore (vel à populo, cùm is pollet hac auctoritate) titulo Regis inſignitur, in ſæcularibus eſt verè Rex, & vti poterit inſignibus politicè determinatis. *Rex ſpiritualis.* Qui à Pontifice, verè in ſpiritualibus eſt Rex; hoc eſt, Eccleſiaſticâ donatur copiâ, vt fruatur indulgentijs, ſatisfactionibus, ſpiritualibuſque priuilegijs, quibus perfrui conſueſcunt Reges alij. Pari modo de Ducum, Marchionum & Comitum Eccleſiaſticis titulis philoſophandum eſt. Ceterùm propter auctoritatem & titulum à Pontifice Romano acceptum, recipiunt fauores merè ſpirituales, &, præter hos, nullam auctoritatem ſæcularem.

*Feudatarij obligatio.* Hac ideâ inſtructus, facilè diuiſionem titulo præpoſitam intelliges. Feudum reuerà eſt duplex, nempe ſpirituale & temporale. Feudatarius temporalis tenetur rependere Domino penſum determinatum; & is illum defendere armis & bello, cùm fuerit neceſſarium. Spiritualis Feudatarius debet Pontifici deuotam reuerentiam, & tributum aliquod decretum in obſequij indicium; & viciſſim Dominus tenetur eum armis Eccleſiaſticis in controuerſijs propugnare.

*Feudum Epiſcopale, aut Abbatiale.* Rogas, vtrùm, præter Pontificem Maximum, poſſint alij Epiſcopi aut Abbates habère ſpirituales feudatarios? Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia Pontifex comparari debet Imperatori: atqui, præter hunc, etiam alij Principes inueſtiunt feudatarios; ergo in ſuo genere, præter Pontificem, alij etiam primores Eccleſiæ poterunt alios inueſtire.

## ARTICVLVS IV.

### *De Feudi ſucceſſione.*

VI. *Reſolutio I.* FEudum deuoluitur à patre ad filium, non è contra: aſcendentium enim ſucceſſio in iure feudali nulla eſt, *Textus in dict. c. vn.* 2. *Feud.* 50. *vbi DD. communiter. &* 2. *Feud.* 48. *in princ. & cap. Si capitanei.* 1. *Feud.* 14. Scheplitzius *tit.* 4. *num.* 1. Mynſ. *cent.* 3. *obſeruat.* 93. Clammerus *tit.* 4. *nu.* 1.

*Reſolutio II.* In feudo nouo tantùm filij ſuccedunt, ni aliter decernatur



tur in inueſtiturâ: *Par. Filia.* 2. *verſ. In alio.* 1. *Feud.* 14. *c. Si duo fratres.* 2. *Feud.* 12. *c.* 1. *in princ.* 1. *Feud.* 20. *c.* 1. 2. *Feud.* 12. VVeſ. *de Feudo, c.* 6. *n.* 15. Schrad. *pag.* 7. *c.* 7. *n.* 1. Clammerus *tit.* 4. *n.* 3.

Non exiſtente agnato, qui à primo acquiſitore cum defuncto originem trahit, feudum Domino aperitur. Ita Clammerus *tit.* 4. *num.* 17. Scheplitzius *tit.* 4. *num.* 2. *arg. Par. fin. Inſtit. de Vſufruct. l.* 3. *Part. fin. Quibus modis vſus fruct. amittatur.* VVeſemb. *conſ.* 66. *num.* 6. Mynſ. *cent.* 5. *obſeru.* 16. *& cent.* 6. *obſeru.* 79. Borch. *de Feud. c.* 1. *n.* 12. *Reſolutio III.*

Feudum nouum ad filios & alios deſcendentes, non ad agnatos tranſit, niſi aliter in inueſtiturâ cautum reperiatur: Clammerus *tit.* 4. *num.* 18. *&* 19. & *Text.* 1. *Feud.* 8. *Par. fin. &* 1. *Feud.* 14. *Par. Si duo fratres. Item c. vn.* 1. *Feud.* 20. *&* 2. *Feud.* 12. *in princ.* Borch. *de Feud. cap.* 7. *n.* 78. *Reſolutio IV.*

Feudum plerumque conceditur tali, & ſuis heredibus legitimis, & maſculis: Hartm. Piſt. *q.* 4. *n.* 59. *&* 60. *p.* 2. Scheplitzius *tit.* 4. *n.* 1. Clammerus *tit.* 4. *n.* 26. Hinc conſtat, feminas, nî contrarium in inueſtiturâ ſtabiliatur, à feudis omnibus excluſum iri. Conſtat etiam, eliminari à feudi iure illegitimos, ſpurios & nothos. Conſtat tertiò, vocem *heres* in iure feudali de maſculo intelligendam eſſe. Ita Clammerus *tit.* 4. *num.* 29. Schrad. *de Feud. part.* 7. *c.* 4. *num.* 3. Zaſ. *conſ.* 11. *num.* 15. *lib.* 1. *Reſolutio V.*

## QVÆSTIO ALTERA.

### *Sitne Luſitania Pontificis Romani feudum?*

SVnt Auctores plurimi, qui apud Antonium Brandaonem aſſerunt Luſitaniam Regionem eſſe liberam, nullique Principi aut ſæculari aut Eccleſiaſtico ſubiectam iure feudatario, ſuo tantùm Monarchæ ſubſidentem, ſuperpoſitam Prouincijs alijs. Alij è contrario hanc feudatariam Romanæ Eccleſiæ fuiſſe affirmant, atque firmiſſimâ ratione roborant. Nulli dubitationi locus: me duce cognoſces hîc ſinceram veritatem. VII. Brandao in Monarch. Luſit. Part. 3. libr. 10. cap. 11.

## ARTICVLVS I.

*Luſitaniam Eccleſiæ feudum eſſe.*

VIII. REgionem hanc Romanæ Eccleſiæ feudum eſſe, conſtat ex varijs, ijſque authenticis teſſeris & monumentis. In Toletanæ archiuo reperitur Protocolon Epiſtolæ, quam Afonſus Henriquez legat ſummo Pontifici: huius copia amicorum curâ tranſmiſſa eſt ad Gaſparem Alures Louſada, qui familiaribus communem fecit. Publico iuri dedit Britus *Chronici Ciſtertienſis libr.*3.*cap.*4.*&* 5. Antonius Brandao *Luſitanicæ Monarchiæ* 3. *part. libr.*10. *cap.*10. quam proderit hîc recenſere.

AFONSVS, *Dei Gratiâ Rex Portugalliæ, Sanctiſſimo & Beatiſſimo Domino, Domino Innocentio Papæ, oſcula pedum.*

IX. *CLaues Regni cæleſtis Beato Petro à Domino noſtro Ieſu Chriſto conceſſas eſſe cognoſcens, ipſum in Patronum & Aduocatum habere diſpoſui apud Deum Omnipotentem,* * *& in vitâ præſenti ope illius & conſilium in meis neceſſitatibus ſentiam, & ad præmia felicitatis æternæ valeam peruenire. Quocircà ego Afonſus, Dei Gratiâ Rex Portugalliæ, per manus Domini G. Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legati Domini noſtri Innocentij Papæ, terram quoque meam Beato Petro & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ offero, ſub annuo cenſu videlicet quatuor vnciarum auri, eâ conditione atque tenore, vt omnes qui terram meam poſt deceſſum meum tenuerint, prædictum cenſum Beato Petro perſoluant; vt ego tamquam proprius miles Beati Petri, & Romani Pontificis, vt tam in me ipſo, vel in terrâ meâ, vel in ijs quæ ad dignitatem & honorem terræ meæ attinent, defenſionem & ſolatium Sedis Apoſtolicæ habeam; vt nullum in poſterum alicuius Eccleſiaſtici, vel ſæcularis dominij, niſi tantùm Sedis Apoſtolicæ, vel à latere eiuſdem miſſi, vmquam in terrâ meâ recipiam. Factâ huius donationis firmitudine Idibus Decembris Æra* 1180.

* *Anmelius*, vt in vitâ?

*Ego prædictus Afonſus Rex Portugalliæ, qui hanc chartam fieri iuſſi, libenti animo coram idoneis teſtibus propriâ manu firmo.*
*Ego Ioannes Bracharenſis Archiepiſcopus confirmo.*
*Ego B. Colimbrienſis Epiſcopus confirmo.*
*Ego P. Portucalenſis Epiſcopus confirmo.*



Æra 1180. coincidit cum anno Domini 1142. Reſcripſit Pontifex: & Pontificis Bulla exſtat adhuc in Bibliothecâ Eccleſiæ Toletanæ: dabo copiam extractam fideliſſimè.

INNOCENTIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Illuſtriſſimo Regi Portugalliæ, eiuſq; heredibus & ſucceſſoribus in perpetuum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

X. *PRoinde nos attendentes, perſonam tuam ſub Beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, & Regem Portugalliæ redintegritate honoris, Regniq; dignitate, quæ ad Reges pertinet, & alia loca Excellentiæ tuæ concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus. Hæc ipſa præfatis heredibus tuis duximus concedenda, eoſq; ſub ijs quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, pro iniuncto nobis Apoſtolatus officio defendimus. Ad indicium autem quod prædictum Regnum noſtri iuris exiſtat,* * *duas auri marchas ſingulis annis nobis noſtriſq; ſucceſſoribus ſtatuiſti perſoluendas: quos vtique cenſus Bracharenſes Archiepiſcopi, qui pro tempore fuerint, Romano Pontifici annuatim tranſmittant,*&c. Datur in Menſe Aprili, anni 1142.

* Ergo auri marcha continebat duas vncias: nota, nam modò octo vncias continet.

Reperitur hæc Pontificis Bulla apud Britum & Brandaonem iam citatos.

Dubitas, quî hæc duo Originalia potuerint ad Toletanæ Eccleſiæ Archiuum deueniſſe? cenſeo probabile illuc adducta fuiſſe à Sancio II. Portugallenſium Rege, qui deuixit, & iacet in eâdem ciuitate.

Proſtat etiam in Alcobaciæ Grapheothecâ Autographon

phon originale, in quo confitetur expreſsè Rex Afonſus, feciſſe Luſitanicum Regnum Romanæ Eccleſiæ feudatarium.* Non iuuat integrum inſtrumentum tranſſcribere; proderunt hæc diſerta verba: *Et quia iam me, & omnia mea, Beato Petro & eius Succeſſoribus vectigalem conſtitui, cupiens & nunc Beatam Dei Genitricem apud Deum Aduocatam habere.*

* Si lubeat totum hoc inſtrumentum ad longum legere, conſule Antonium Brandao in Monarch. Luſit. Part. 3. lib. 10. cap. 12. & me hoc Lib. 5. Diſp. 2. Art. 1. n. 4.

## ARTICVLVS II.

### *Authentica eſſe hæc Diplomata.*

XI. *Rationes impugnantium auctoritatem Diplomatum:*

SVnt aliquibus curioſis, inque Chronologicâ materie inſtructiſſimis viris ſuſpecta, propter rationes quas ſubijcio, ſtudens ſummæ breuitati.

*Prima.* Prima ſit. Naturale lumen dictat Epiſtolam debere præſcribi reſponſioni: Pontifex reſpondet Regi Afonſo; ergo Epiſtolâ Regiâ erit poſterior Pontificia. Quis ambigat? Atqui Pontifex reſpondet antequam Rex ſcripſiſſet; iſtæ ergo Epiſtolæ carent omnino auctoritate. Minorem probo. Rex dat Epiſtolam Idibus Decembribus anni 1142. & Pontifex reſpondet menſe Aprili ipſius anni.

*Secunda.* Secunda. Alexander III. ſui Pontificatus 20. hoc eſt, anno à partu Virgineo 1179. priuilegio exhibito confirmat Afonſo Regis titulum, & eum ſuſcipit ſub Eccleſiæ Romanæ protectione: atqui ſi Innocentius II. Afonſum ſuſcepiſſet, ſuperflua videretur Alexandri receptio: ne igitur hoc teneamur aſſerere, dicamus non eſſe authenticas Epiſtolas quas iam prælegiſti.

*Tertia.* Tertia. Romanæ curiæ ſtylus eſt continuus, ac perpetuò vniformis; atqui in Priuilegijs recentioribus fit mentio veterum, quæ eamdem concernunt rerum ſeriem: ergo in Alexandri priuilegio mentio fieret alterius, ſi ab Innocentio olim exhiberetur.

*Quarta.* Quarta. Cæſar Baronius E.R. Cardinalis *Tomo 12. ad annum.* 1179. *nu.* 16. recenſet Tertij Innocentij Autographon, quod



quod dirigitur ad Sancium I. Luſitanorum Regem. Ex eo liquet, Portugallenſe territorium feudi titulo Lucio II. primùm ſubiectum eſſe. Suſpicio ergo creſcit, diminuiturque horum auctoritas inſtrumentorum.

RESPONDEO nihilominùs rationibus his nihil conuinci; ac perinde illæſam ſcripturæ vtriuſque auctoritatem legitimè debere admitti. XII.

Bifariàm primæ rationi ſatisfacio. Nam vel exſcriptor errauit, vt ſæpiſſimè accidit: vel Afonſus ſcripſit anno 1141. & dubitans an litteræ ad Pontificis manus deueniſſent, reſcripſit iterùm Idibus Decembr. anni 1142. Interim ſummus Pontifex receptâ primâ Epiſtolâ reſpondet menſe Aprili anni 1142. & hæc recipitur à Rege poſt Idus Decembres ipſius anni. Nec alicui mirum appareat, Româ ad Vlyſſiponem octo menſes conſumi, quia à quingentis annis non erat tam frequens tabellariorum miniſterium; & ideò ſcriptæ Epiſtolæ manebant diutiùs apud relatorem. Dabo ex Brandao ſatisfactionem tertiam. Potuit ſic accidiſſe. Ante Aprilem anni 1142. ſubiecerit Romanæ Eccleſiæ Afonſus Rex Regionem Luſitanicam, ſed in manus Legati; & menſe Decembri ſcripſerit ſummo Pontifici: hic conceſſerit citatum priuilegium menſe Aprili, inque eo mentionem faciat ſubiectionis exhibitæ Legato, non ſibi. Quamlibet viam eligas, deducet te indemnem ad terminum difficultatis.

*Primæ rationis diſſolutio.*

*Tabellarij publici inſtituti ſunt à paucis annis.*

Secunda ratio eſt omnino inefficax; nempe, quia præter Bullam Alexandri III. exſtant aliæ tres, videlicet Innocentij III. & Honorij II. & fortè aliorum, qui Luſitaniæ Reges, ſeſe ſuumque Regnum offerentes Romanæ Eccleſiæ protectrici, benignè ſuſcipiunt, fauoribuſque ſpiritualiter-amicis donant. Ex tantâ priuilegiorum multitudine ineptè excurris, ſi crediderïs inſtrumenta exhibita eſſe ſuſpectæ auctoritatis; aptè tamen, ſi inferas, Portugalliæ Principes fuiſſe Sedi Romanæ ſubditiſſimos, ac verè Filios Pontificis Summè-Romani. XIII. *Secundæ ſatisfit:*

Ad

*Tertiæ:* Ad tertiam negando maiorem ſatisfacies. Ratio eſt; quia in Romanâ Curiâ, pro temporum diuerſitate, innumeri fuerunt Secretarij, alij doctiores, alij in iure Eccleſiaſtico minùs verſati: illi antiqua priuilegia potuerunt recenſere, iſti reſpexerunt Pontificis vnam & ſolam voluntatem, omiſſis placitis anteceſſorum. Præterea verba Innocentij reſumuntur ab Alexandro aliquibus additis & interpoſitis, vt conſtabit, ſi legas totam Bullam: exſtat apud Brandao in 3. Part. Monarch. Luſitan. Append. ſcript. 24. fol. 295.

*Quartæ.* Ad quartam dicito, Summum Pontificem non aſſeruiſſe Reges Portugallenſes ſubieciſſe Luſitaniam Lucio, ſed ex regiſtris Lucij conſtare hanc eſſe feudatariam Eccleſiæ: hoc attamen conſtare poterat, quamlibet Innocentio, vt diximus, ſubijceretur.

## ARTICVLVS III.

### *Quamdiu hoc tributum Monarchæ Luſitani ſoluerint Pontificibus Maximis.*

XIV. *Cenſum ex inſtitutione æternum.* MEns Afonſi conſpicua cenſum inſtituit ſummo Pontifici pendendum, ſed perennè. Mutatis circumſtantijs etiam explicuit obligatio, vel aliter fuit explicata: hæc enim cùm contra conſuetudinem explicatur, explicit.

Præſoluit Afonſus, ſed poſteri non poſtſoluerunt: nam Sancius Afonſi nil pependit. conſtat ex actibus Afonſi II. qui pro patre ſuo Sancio Romanæ Eccleſiæ ſatisfecit. In turre *de Tombo* exſtat memoriale, quod publicauit Antonius Brandaonus *in Monarch. Luſit. part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 11. cuius tenor ſequitur: *tandem non ſolutum.*

*Ego frater Gundiſaluus Hiſpanus, familiaris & Nuntius Domini Papæ, notum facio vniuerſis iſtas literas inſpecturis, quòd cùm fuiſſem à Domino Papâ Innocentio III. in Hiſpaniam deſtinatus, tam pro colligendis Eccleſiæ Romanæ cenſibus, quàm pro quibuſdam alijs negotijs Eccleſiæ generalis, recepi à Domino Afonſo Rege * Illuſtri Portugalliæ* 56. *marchas auri,*

* Nota illud *Illuſtri*



*auri, quæ faciunt tria millia & trecentos & ſexaginta morabitinos Port. pro* 28. *tranſactis, cùm teneretur in vnoquoque anno ad duas auri marchas. Vnde in teſtimonium huius ſolutionis hanc chartam ei reliqui ſigilli mei charactere conſignatam. Actum Colimbriæ* 6. *Idus Decembr. anno Dominicæ Incarnationis* 1113. *Domini Papæ Innocentij Tertij* 16. *in præſentiâ Reuerendi Viri Donni Stephani Bracharenſis Archiepiſcopi,* &c.

Perennauit cenſus iſtius deuota ſatisfactio vſque ad tempora Afonſi III. Is habuit differentias difficiles cum Eccleſiaſticis, & ideò omiſit hanc penſionem. Romani poſteà nec petierunt à Portugalliæ Regibus, nec iſti vlteriùs pependerunt. *Ceſſat ſolutio: quando?*

## ARTICVLVS IV.

### *Afonſo Henrici Filio Corona Regia iteratò conceditur, & confirmatur, & feudatarij titulo inſignitur.*

INnocentius, vt vidimus in primo Articulo, conceſſo priuilegio Afonſum titulo Regis munificentiſſimè donauerat, & feudatarium Afonſum ſub patrocinio ſuſceperat, deuixit: & ne in inimicorum opinione auctoritas huiuſcemodi excideret, curauit Luſitanorum nouus Rex à Succeſſore confirmari. Præſtitit Alexander huius nominis Tertius, publicato edicto, quod exſtat in Turre *do Tombo (in Bullarum libro fol.* 5.) ab Antonio Brandaone *in Monarch. Luſit.* 3. *Part. fol.* 295. *a.* publicatum. XV.

ALEXANDER *Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio Afonſo, illuſtri Portugallenſium Regi, eiuſq; heredibus * in perpetuum.*

*MAnifeſtis comprobatum eſt argumentis, quòd per ſudores bellicos, & certamina militaria, inimicorum Chriſtiani nominis intrepidus extirpator, & propugnator diligens fidei Chriſtianæ, ſicut bonus filius, & Princeps Catholicus multimoda*

* *Ergo in Regno Luſitaniæ ſuccedit ur hereditariò.*

*timoda obſequia matri tuæ Sacroſanctæ Eccleſiæ impendiſti, dignum memoriâ nomen, & exemplum imitabile poſteris derelinquens. Æquum eſt autem,* * *vt quod ad regnum & ſalutem populi ab alto diſpenſatio cæleſtis elegit, Apoſtolica Sedes affectione ſincerâ diligat, & iuſtis poſtulationibus ſtudeat efficaciter exaudire. Proinde nos attendentes perſonam tuam prudentiâ ornatam, iuſtitiâ præditam, atque ad populi regimen idoneam, eam ſub Beati Petri & noſtram protectionem ſuſcipimus; & Regnum Portugallenſe cum integritate honoris, Regni dignitate, quæ ad Reges pertinet, nec non & omnia loca quæ cum auxilio cæleſtis gratiæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus ius ſibi non poſſunt Chriſtiani Principes circumpoſiti vendicare, Excellentiæ tuæ concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus. Vt autem ad obſequium Beati Petri Apoſtolorum principis, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vehementiùs accendaris, hæc ipſa præfatis heredibus tuis duximus concedenda; eoſq́ ſuper his quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, pro iniuncti nobis Apoſtolatus officio* * *defendemus. Tuâ itaq́ intererit, fili* [a] *chariſſimi, ita circa honorem & obſequium matris tuæ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ humilem & deuotum exiſtere, & ſic te ipſum eius opportunitatibus & dilatandis Chriſtianæ fidei finibus exercere, vt de tam deuoto & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gratuletur, & in eius amore quieſcat. Ad indicium autem quòd præſcriptum Regnum Beati Petri iuris exiſtat, pro amplioris reuerentiæ argumento, ſtatuiſti duas marchas auri annis ſingulis nobis noſtriſq́ ſucceſſoribus perſoluendas. Quem vtique* [b] *ſenſum, ad vtilitatem noſtram & ſucceſſorum noſtrorum, Bracharenſi Archiepiſcopo, qui pro* [c] *tempere fuerit, tu & ſucceſſores tui curabitis aſſignare. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat perſonam tuam, aut heredum tuorum, vel etiam præfatum Regnum temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si quæ igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertióve commonita, niſi reatum ſuum dignâ ſatisfa-*

*ctione*

* Aptius, *vt quem*

* Defendit Apoſtolatus officio, non gladio; ergo Pontifici Luſitania ſubditur Eccleſiaſticè, non ſæculariter.

[a] Lego, *chariſſime,*

[b] Lego, *cenſum,*

[c] Corrigo, *tempore*



*ctione correxerit, poteſtatis honoriſq́ ſui dignitate careat, reumq́ ſe diuino iudicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, & ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri* IESV *Chriſti aliena fiat; atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem Regno ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini* IESV *Chriſti, quatenus & hìc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.*

*Ego Ioannes Presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis & Pauli, tit. Pamachij ſubſcribo. Ego Ioannes Presbyter Cardinalis Sanctæ Anaſtaſiæ. Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci. Egò Petrus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Suſannæ. Ego Viceranus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Stephani Cælio monte. Ego Cicius Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ. E. Luigo Presbyter Cardinalis tituli Sancti Clementis. Ego Arduinus Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Crucis in Ieruſalem. Ego Matthæus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marcelli. Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcribo.*

*Ego Vbaldus Oſtienſis Epiſcopus. Ego Teodinus Portuenſis & Sanctæ Rufinæ Epiſcopus. Ego Petrus Tuſculanus Epiſcopus. Ego Iacintus Diaconus Cardinalis.*

*Ego Ardecio dictus Cardin. S. Theodori. Ego Haborans dictus Cardin. Sanctæ Mariæ in Portueri. Ego Rainerus dictus Cardin. S. Gregorij ad velum aureum. Ego Gratianus dictus Cardinalis Sanctorum Coſmæ & Damiani. Ego Ioann. dictus Cardinalis S. Angeli. Ego Rainerus dictus Cardinalis Sancti Adriani. Ego Matthæus dictus Cardinalis Sanctæ Mariæ nouæ. Ego Bernardus Sancti Nicolai in carcere Tulliano dictus Cardinalis, &c.*

## ARTICVLVS V.

*Afonſo II. Regis titulus iteratò conceditur ab Innocentio III. Pontifice Romanæ Eccleſiæ Maximo.*

XVI. *Luſitaniæ Monarchæ deuotiſſimi.*

FVerunt tam deuoti Sanctorum Petri & Pauli filij Luſitanorum Reges, vt non ceſſarent petere, imò & impetrare à Pontifice Regij nominis confirmationem; ſeque Romanæ Eccleſiæ offerre feudatarios. Perſtant in Archiuo Luſitaniæ Regio Bullarum libri: in quorum primo, nempe folio 6. reperies hanc.

INNOCENTIVS *Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio Afonſo, illuſtri Regi Portugallenſi, &* [a] *heredibus eius, in perpetuam memoriam.*

[a] Hinc conſtat, Regnum hoc in ſententiâ Pontificis differri iure hereditario.

[b] Fortè legendũ: *Chriſtiani nominis hoſtium intrepidus extirpator.*

*MAnifeſtis probatum eſt argumentis, quòd inclytæ recordationis Afonſus auus tuus per ſudores bellicos, & certamina militaria Chriſtiani nominis* [b] *intrepidus extirpator, & propagator diligens Fidei orthodoxæ, ſicut deuotus filius ac Princeps Catholicus, multimoda obſequia impendit Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri ſuæ, dignum nomen & exemplum imitabile poſteris derelinquens. Æquum eſt autem, vt quos ad populi regimen ac ſalutem diſpenſatio cæleſtis elegit, Apoſtolica Sedes ſincero proſequatur affectu, ac in iuſtis poſtulationibus ſtudeat efficaciter exaudire. Proinde nos tuam attendentes perſonam ornatam prudentiâ, iuſtitiâ præditam, atque ad Regni gubernationem idoneam, eam ſub Beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus. Et Regnum Portugallenſe cum integritate honoris, & dignitate quæ ad Reges pertinet, nec non & omnia loca quæ cum auxilio gratiæ cæleſtis de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus ius ſibi non poſſunt Chriſtiani Principes circumpoſiti vendicare; ad exemplar felicis memoriæ Alexand. Papæ prædeceſſoris noſtri, qui hæc præfato auo tuo per priuilegij paginam conceſſiſſe dignoſcitur, tuæ ſublimitati concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus. Vt autem ad deuotionem & obſequium*



*obſequium Beati Petri Apoſtolorum Principis, & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, vehementiùs accendaris; hæc ipſa tuis heredibus duximus concedenda, eoſq; ſuper his quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, pro * iniuncto nobis Apoſtolatus officio defendemus. Tuâ itaque intererit, fili chariſſime, ita circa honorem & obſequium matris tuæ Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ humilem & deuotum exiſtere, & ſic teipſum in eius opportunitatibus & dilatandis Chriſtianæ fidei finibus exercere, vt de tam deuoto & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gratuletur, ac in eius amore quieſcat: ad indicium autem, quod præſcriptum Regnum B. Petri iuris exiſtat, pro amplioris reuerentiæ argumento, progenitorum tuorum inhærendo veſtigijs, ſtatuiſti duas marchas auri annis ſingulis nobis noſtriſq; ſucceſſoribus perſoluendas. Quem vtique cenſum, ad vtilitatem noſtram & ſucceſſorum noſtrorum, Bracharenſis Archiepiſcopus qui pro tempore fuerit, tu & ſucceſſores tui curabitis aſsignare, &c.*

* Hinc conſtat, Luſitaniam eſſe feudum ſpirituale Romani Pontificis. Reges offerunt cenſum pro reuerentiâ: Pontifex tenetur illos officio Apoſtolatus, hoc eſt orationibus tueri, non gladio.

## ARTICVLVS VI.

*Luſitaniam eſſe Romanæ Eccleſiæ feudum aliunde demonſtratur.*

SVbiungam & alia teſtimonia publica, atque Regum decreta, ex quibus conſtet, Portugallenſes Reges fuiſſe Eccleſiæ Romanæ feudatarios. XVII.

### RATIO PRIMA.

PRimò occurrit Afonſi II. Teſtamentum, cuius authentica exemplaria conſeruantur tum in Regio tum etiam in Archiuo Alcobaciæ. Reperio ſtatim poſt initium hæc verba: *Si ego mortuus fuero, rogo ſummum Pontificem, tamquam Patrem & Dominum, & terram coram pedibus eius oſculor, vt ipſe recipiat in ſuâ commendâ, & ſub protectione ſuâ, filios meos & Regnum: & ſi tempore, &c. —— mando quòd de ipſâ tertiâ dent Domino Papæ III. morabitinos, &c. —— Dent totam iſtam meam tertiam Abbati* Alcupatiæ, & alijs*

*Ex Teſtamento Afonſi.*

*nunc *Alcobaciæ,*

*alijs ſuprà nominatis, & ipſi diuidant eam ſicut ſuperiùs dictum eſt. Et ſi filius meus, vel filia mea, qui vel quæ loco meo regnauerit, & mei vaſalli noluerint ei dare iſtam meam tertiam, rogo ipſe, ſicut in illis confido, quòd quærant illam per Dominum Papam. Et rogo & deprecor Dominum Papam, & oſculor terram coram pedibus eius, quòd ipſe per ſuam ſanctam pietatem faciat iſtam meam mandam adimpleri & obſeruari, ita vt nullus contra eam venire poſſit, &c.* Ex his omnibus conſtat, Pontificem eſſe Dominum Regum Luſitaniæ; & ſuâ referre, ipſis prouidere in qualibet difficultate.

## RATIO SECVNDA.

XVIII. *Ex donationis inſtrumento.*

SEcundò occurrit Autographon donationis factæ, in fauorem Ordinis S. Iacobi, à Sancio II. Luſitanorum Rege, quæ reperitur in Turre *do Tombo* libro Ordinum militarium fol. 173. quæ incipit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Notum ſit omnibus has literas inſpecturis, quòd ego Sancius II. Dei gratiâ Portugallenſium Rex, &c.* Hæc confirmatur ab Innocentio Papâ priuilegio authentico; cuius exemplar perſtat in eadem Turre, dicti libri fol. 186. nempe:

Non pono ad longum ſpeciem textus huius diplomatis, quia integrum reperietur in confirmatione Pontificis, quam perlegis.

INNOCENTIVS *Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Magiſtro & Fratribus Ordinis militiæ S. Iacobi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*ILlius Ordinem veſtrum proſequimur prærogatiuâ fauoris, vt ipſum inter alios honorare ſpecialis priuilegio gratiæ proponentes, & ſua iura ſibi Apoſtolicæ protectionis conſecrare munimine, ac ipſius tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus incrementum procurare ſollicitè cupiamus. Hinc eſt, quòd, ſicut intimantibus vobis accepimus, claræ memoriæ S. Reg. Portugal prouidè penſans labores multiplices, graueſq; ſumptus, quos pro tuendâ fide Catholicâ, & cultu ampliando diuino, quotidie ſuſtinetis, Ordini veſtro villam * de Algarbe, quæ dicitur Tauira, piâ libertate duxerit concedendam. Nos veſtris ſupplicationibus*

* Ecce tempore Sancij ſecundi Algarbiam ſubditam imperio Luſitanico.



*nibus inclinati, conceſſionem huiuſmodi, ſicut piè ac prouidè facta eſt, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus. quæ talis eſt:*

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Notum ſit omnibus has literas inſpecturis, quòd ego Sancius, ſecundus Dei gratiâ Portug. Rex, de meâ ſpontaneâ voluntate, & de aſſenſu meorum * Ricorum hominum, amore Dei, & Beatæ Virginis glorioſæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, & pro remedio animæ meæ, & patris & matris meæ, & pro amore Donni Pelagij Petri Corrigia Magiſtri militiæ S. Iacobi, & pro multo bono ſeruitio, quod ipſe Magiſter & prædictus Ordo mihi fecerunt, & facient; do & concedo prænominatis Magiſtro & Ordini Militiæ S. Iacobi, vt me diligant, & faciant ſicut Domino naturali, illam villam de Algarbe, quæ dicitur Tauila, cum omni iure patronatus Eccleſiarum, & cum omnibus terminis ſuis, & ingreſſibus & egreſſibus ſuis, tam per mare quàm per terram, vt ipſi habeant, & omnis poſteritas eorum, & poſſideant illam in pace & quiete, iure hereditario in æternum. Siquis autem, &c. Actum Colimbr. nono Ianuarij, Æra milleſimâ ducenteſimâ octuageſimâ ſecundâ.*

* *Ricos Homes* vocabat Luſitanus, quos nunc Magnates, vulgò *Grandes do Reyno.*

*Don Pelagio Perez Correa Maeſtre de Santiago.*

*Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ſe nouerit incurſurum. Datum Lugduni V. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio.*

Ex hac Pontificis Bullâ licet argumentari. Donationes feudatarij confirmare poterit Dominus feudi, vtpote cui aliquando id aperietur, quique in eo ſupremam retinet auctoritatem: atqui Innocentius Romanus Pontifex confirmat acta politica Regis Sancij; ergo is erat feudatarius Pontifici.

## RATIO TERTIA.

XIX. *Sancij Luſitanorum Regis depoſitio.*

OCcurrit tertiò Sancij II. depoſitio facta ab Innocentio edicto publico, cuius exſcriptum authenticum perennat in Eccleſiæ Bracharenſis autographeo ditiſſimo. Sequitur.

INNO-

INNOCENTIVS *Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Baronibus, Communitatibus, Conſilijs tam ciuitatum quàm caſtrorum, & aliorum locorum, aut vniuerſis Militibus & Populis per Regnum Portugalliæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*GRandi non immeritò exultamus in Domino gaudio, cùm Chriſtianæ profeſſionis Regna ſic ſalubri diliguntur ſtatu, quòd Eccleſia, ac alia cultui & obſequio deputata diuinis, & perſonæ Eccleſiaſticæ, ceteriq; fideles ipſorum, pacis tranquillitate lætantur, fides in eis Catholica maiori continuè robore conualeſcit, ſeruatur inibi iuſtitia, & audacia cunctis inibi interdicitur delinquendi. Vehementi autem dolore turbamur, ſi quando Regna ipſa, quod abſit, precante humani generis inimico, ſcinduntur in diſcordias, circa fidei cultum remiſſo deuotionis ardore tepeſcunt, iuſtitiam negligunt, & inſcriptis permittunt illicita perpetrari. Vnde multâ ſolicitudine magnoq; ſtudio præcauere nos conuenit, vt Chriſtianorum Regna, quæ in ſtatu ſunt proſpero, incommutabiliter cum illo regantur; & quæ periculosè ruere dignoſcuntur, reparatione laudabili reformentur.*

* Agit de Rege Sancio.

*Sanè cùm * chariſſimus in Chriſto filius noſter Portugalliæ Rex illuſtris à pueritiâ ſuâ, claræ memoriæ patre ſuo viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Regni Portug. gubernatione ſuſceptâ, Eccleſias & monaſteria exiſtentia in eodem, prauo vſus conſilio, in grauem Dei offenſam, & conculcationem Eccleſiaſticæ libertatis, multimodis exactionibus & oppreſſionibus per ſe ſuoſq; immaniter afflixiſſet, & ab alijs pro ipſorum libito libenter permiſiſſet affligi; tandem quibuſdam Eccleſiarum Prælatis eiuſdem Regni apud Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros querelas multiplices ſuper ijs deponentibus, contra eum felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter, poſt huiuſmodi querelas, & admonitiones frequenter Regi propter hoc factas eidem, ac expectationes diutinas, nec non & interdicti & excommunicationis ſententias, ob ipſius contumaciam in eum & præfatum Regnum auctoritate Apoſtolicâ promulgatas, diuq; obſeruatas,*

ibidem



*ibidem ſuper certis prædictæ libertatis articulis, & quibuſdam alijs, ab eo & ſuis in poſterum obſeruandis, ſatisfactione impediendâ, monaſterijs & Eccleſijs, de damnis ac iniurijs per ipſum & ſuos irrogatis ijſdem, ac ipſorum defenſione duxit ſalubriter prouidendum, certis executoribus, qui eum ad hoc Eccleſiaſticā cenſurâ compellerent, deputatis. Sed idem, acceptis Apoſtolicarum prouiſionum litteris, licet promiſit per ſuas patentes litteras, articulos contentos in earumdem prouiſionum litteris, & obſeruare, & facere à ſuis ſubditis obſeruari; poſtmodum tamen non ſolùm præfatis monaſterijs & Eccleſijs de præmiſſis damnis & iniurijs ſatisfacere, vel ea defenſare neglexit, ſed etiam, vt accepimus, Eccleſias & monaſteria ipſa per ſe ſuoſq; portarios & meirinos, collectis, procurationibus & exactionibus indebitis intolerabiliter aggrauauit, & aggrauat inceſſanter. Ac circa malefactorum Regis eiuſdem inſolentiam redimendam ſic negligens inuenitur, quòd in eodem Regno bona tam Eccleſiaſtica quàm mundana per raptores, prædones, inuaſores, incendiarios, publicos ſacrilegos, & deteſtabiles homicidas, Abbatum videlicet, Priorum, & aliorum Religioſorum, clericorum, ſæcularium & laicorum etiam occiſores, diripere propter ſæcularis defectum iuſtitiæ dignoſcuntur. Vnde quòd ſic in eodem Regno à quibuſlibet ſuis ſubditis impunè delinquitur, Barones alijq; ipſius Regni nobiles, ſumpto ex hoc delinquendi auſu, matrimonia contrahere in gradu prohibito, bona Eccleſiaſtica capere, & alia quamplurima mala olim à bonæ memoriæ Sabinenſ. Epiſcopo, tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legato, ſub anathematis interminatione prohibita committere non verentur; & tam ipſe quàm plures alij de Regno præfato, diuerſarum excommunicationum innodati laqueis, per deuia deſperationis errantes, in contemptum clauium diuinis ſe officijs irreuerenter ingerunt & Eccleſiaſticis Sacramentis, ac, in ſubuerſionem Catholicæ fidei, plures eorum de articulis auctoritates tam veteris quàm noui Teſtamenti temerè, non ſine fermento prauitatis hæreticæ, in ſuarum & aliarum animarum periculum exponendo, eâ diſſimulante, non metuunt diſputare. Et nonnulli de Regno ipſo Eccleſiarum ac mo-*

 naſte-

naſteriorum patroni, ac alij offerentes ſe patronos, cùm non ſint, locorum ipſorum, & ab eis illegitimè geniti, in bonis dictarum Eccleſiarum & eorumdem monaſteriorum crudeliter debacchantes, Eccleſias ipſas & monaſteria eadem ad tantam inopiam redegerunt, quòd eis nequeuntibus proprios ſuſtentare miniſtros, quinimò aliquibus ex ipſis ſeruitorum ſolatio deſtitutis, & aliorum clauſtris & refectorijs, ceteriſq́ officinis, equorum ſtabulis & proſtabulis quarumlibet perſonarum vilium deputatis, diuini nominis & religionis cultus exinde penitus eſt ſublatus, bonis eorum omnibus in direptionem expoſitis, & in prædam. Ceterùm caſtra, villas, poſſeſſiones, & alia iura Regalia, idem Rex, propter ipſius deſidiam, ſuiq́ cordis imbecillitatem, deperire permittens; ac paſſim ac illicitè, malignorum acquieſcens conſilijs, alienans, tam perſonarum Eccleſiaſticarum quàm ſæcularium, nobilium & ignobilium, occiſiones nefarias, dum religioni non parcitur, nec ſexui, nec ætati, rapinas, inceſtus, raptuſq́ monialium, & ſæcularium mulierum, ruſticorum negotiatorum tormenta grauia, quæ ipſis à nonnullis Regni præfati, pro extorquendâ ab ipſis pecuniâ, infliguntur, Eccleſiarum & cœmiteriorum violationes & incendia, fractiones treugarum, & alia enormia, quæ à ſibi ſubditis liberè committuntur, ſcienter tolerat; quin potiùs tot tantiſq́ malis, dum ea præſtiterint impunita, conſentire videtur, & pandit aditum ad peiora.

Terras inſuper & alia Chriſtianorum in confinio Sarracenorum poſita non defendens, ea infidelibus deuaſtanda, ſeu & occupanda ex animi puſillanimitate relinquit. Et licet à ſupradictis Prælatis, vt ad corrigenda præmiſſa, pluraq́ alia nefanda, quorum ſerioſa narratio faſtidium generat, vt tenetur, aſſurgere monitus fuerit; idem, tot eorum monitionibus auditis, id efficere non curauit. Propterea, quòd nos Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, & aliorum tam religioſorum quàm ſæcularium Regni eiuſdem conqueſtionibus & clamoſis inſinuationibus excitati, Regem ipſum per litteras noſtras, vt præmiſſa corrigeret, rogandum duximus, attentiùs exhortandum venerabilibus fratribus noſtris Colimbrienſ. ac Portug. Epiſcopis, ac Priori Prædicatorum

dicatorum



dicatorum Colimbrienſium nihilominùs per alias litteras iniungentes, vt eum ad hoc ex parte noſtrâ monentes, attentè ac efficaciter inducentes, qualiter ſuper hoc faciendum duceret; & de ipſorum circa eum in hac parte proceſſu nos in conſilio certificare curaret. Cùm igitur per dictos Colimbrienſem ac Portuenſem, eiuſdem conſilij tempore apud Sedem Apoſtolicam conſtitutos, ac ipſorum & dicti Prioris litteras, quæ præfatum Regem ſuper ijs diligenter monuerant, & tam per eoſdem, quàm per alios fide dignos, nec non multorum virorum Eccleſiaſticorum, Communitatum, Baronum, militum, ac etiam nobilium Dominorum litteras, quòd præmiſſa nullatenus emendantur, ſed potiùs de die in diem grauiora propter eius deſidiam & negligentiam præſumantur; quodq́ in ſubuerſione Regni præfati vaſſali eiuſdem Regis, congregatâ multitudine armatorum, caſtra ipſius nouiter expugnare, omniaq́ occurrentia inuadere, deuaſtare, prædari, & alia mala ex hoc, ex corpore nimio tolerante committere, diuino timore poſthabito, non formidant, nobis ſatis & liquidò innoteſcit:

Cupientes Regnum ipſum tot tribulationum aduerſitate depreſſum, [a] maximè cùm ſit Romanæ Eccleſiæ cenſuale, alicuius prouidentis & prouidi diligentiâ & induſtriâ releuari, Vniuerſitatem veſtram de fratrum noſtrorum conſilio monemus, rogamus & hortamur (nec tamen per Apoſtolica [b] vobis ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes, in remiſſionem veſtrorum peccaminum iniungendo) quatenus dilectum filium, nobilem virum Comitem Bolonienſem, præfati Regis fratrem, de deuotione, probitate ac circumſpectione multipliciter commendatum, qui eidem Regi, ſi abſque legitimo [c] decederet filio, iure Regno ſuccederet, quiq́ ex innatæ dilectionis affectu, quo vos & prædictum Regnum proſequitur, magnanimitate ac prudentiâ ſibi plurimùm ſuffragantibus, Regnum ipſum reformaturus, firmâ credulitate ſperatur; præſertim cùm & ad generalem adminiſtrationem & liberam Regni eiuſdem, non minùs perſæpè dicti Regni quàm ipſius Regis vtilitate, ſi prouideat, tendatur, ac ad defenſionem Eccleſiarum, Monaſteriorum, aliorumq́ piorum loco-

[a] Hinc collige, Luſitaniam Romanæ Eccleſiæ feudum eſſe.

[b] Hæc verba malè exſcribit Brandao. Conſule me inferiùs n. 32.

[c] Ergo nothi & ſpurij excluſi à ſucceſſione ſupponuntur; & benè.



rum

*rum Regni præfati, & perſonarum Eccleſiaſticarum, tam Religioſorum quàm ſæcularium, nec non viduarum, orphanorum, & ceterorum ibidem degentium, ac de prædictorum inibi recuperatione ſalubriter in Domino confidimus, ſit aſſumptus. Cùm ad vos acceſſerit, fidelitate, homagio, iuramento, ſeu pacto, ſi aliquibus fortè præfato Regi, vel cuicumque alij perſonæ: tenemini autem etiam ipſius Regis prohibitione, dummodò perſonam eius & vitam, ac legitimi ſui filij (ſi aliquem ipſum habere contingat) fideliter conſeruetis, debitum eis exhibentes honorem, nequaquam obſtantibus in ciuitatibus, caſtris & villis Regni prædicti cum omnibus ſuis recipere, ac eius diſpoſitioni, ordinationi & mandatis vniuerſaliter ſinguli, & ſingulariter vniuerſi per omnia, & in omnibus intendere, abſque difficultate qualibet procuretis; impendentes ſibi contra quoſlibet repugnantes, & violentos, conſilium, auxilium, & fauorem, cum redditibus, prouentibus, omnibuſq; præfati Regni iuribus, ſine diminutione aliquâ plenariè reddendo, vt de illis dicto Regi, ſecundùm quod ſuam decet Excellentiam, & ſibi ac ſuis, & præfati Regni neceſſitatibus pro temporum ac negotiorum emergentium qualitate valeat prouideri. Alioquin venerabilibus fratribus noſtris, Bracharenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Colimbrienſi damus noſtris litteris in ſcriptis, vt vos ad id monitione præmiſſâ per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, compellat. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipſius legitimo filio,* ſi quem habuerit, prædictum Regnum adimere, ſed potiùs ſibi & eidem Regno deſtructioni expoſito, ac vobis ipſis in vitâ eiuſdem Regis, per ſollicitudinem & prudentiam Comitis conſulere ſupradicti.*

*Datum Lugduni* VIIII. *Cal. Auguſt. Pontificatus noſtri anno tertio.*

* Illegitimi iterùm non excluduntur à Pontifice, ſed lege Luſitanâ excluſi eſſe à Papâ Rom. declarantur.

Hinc arguo ſic: Ad feudi Dominum pertinet corripere, imò & deponere (ſi cauſſa poſtulet) ignauum feudatarium. Pontifex depoſuit Sancium II. *cupiens* (verbis vtor formalibus eiuſdem Bullæ) *Regnum ipſum tot tribulationum aduerſitate depreſſum, maximè cùm ſit Romanæ Eccleſiæ cenſuale, alicuius prouidentis & prouidi diligentiâ & induſtriâ releuari.*

Ergo



Ergo Portugallenſe Regnum eſt ſacroſanctæ Eccleſiæ feudum: quod fuerat demonſtrandum.

## RATIO QVARTA.

OCcurrit quartò* Teſtamentum primum eiuſdem Sancij II. Luſitanorum Regis: exſcribam vltimam periodum: *Et ſi ego mortuus fuero, rogo ſummum Pontificem, tamquam Patrem & Dominum, & terram coram pedibus eius oſculor, vt ipſe recipiat in ſuâ commendâ & ſub ſuâ protectione filios meos, & filias, & fratres, & ſororem, & Regnum meum: per ſanctam pietatem faciat iſtam mandam adimpleri, & obſeruari, ita vt nullus contra illam venire poſſit.* Ergo Reges Luſitani ſunt feudatarij ſummi Pontificis, quia aliàs ipſe in illos non haberet tantam auctoritatem: aliàs enim quo iure ſe poſſet intermiſcere Regis defuncti Teſtamento, atque heredes cogere, vt legatis decretiſque Sancij ſatisfacerent? XX.

* Reperies id apud Antonium Brandao Monarchiæ Luſitanæ Part. 4. fol. 278.

## RATIO QVINTA.

ACcidit quintò Apoſtolicum Breue exhibitum ab Innocentio III. Pontifice Romanæ Eccleſiæ Maximo, conciliaturum animos Afonſi Luſitanorum Regis atque ipſius ſororum. Perſtat in archiuo Regio, in libello quopiam exarato caducis characteribus. XXI.

*Bulla reconciliationis.*

INN *** *Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, dilectis filijs de Spinâ & de Vrſariâ Abbatibus, Palent. & Aurienſ. diœceſum, ſalutem & Apoſtolicam* ***.

E** *cum Apoſtolo infirmante quibuſdam infirmitatibus* **** *orto tamen inter terræ Principes ſcandalo.* —— *quanta eorum diſſidia in plurium detrimentum vigere intuemur, & parte ſiquidem chariſſimi in Chriſto filij noſtri Portugalliæ Regis* —— *coram nobis, quòd claræ memoriæ Pater ſuus T. & S. filiabus ſuis, præter octo millia aureorum, & maternæ* —— *duo caſtra, Alanker & Montem maiorem videlicet, in non*

Lineæ ſignificant chartam in illis locis fuiſſe dirutam; ſtellulas poſui pro charactere vacillante, qui legi nõ potuit.



*parum*

*paruum Regis & Regni præiudicium, & —— conceſſionem Rex idem aſſerit inualidam extitiſſe, tum quòd dictus Pater ipſius tunc temporis expoſitus extra mortem nequaquam intelli —— tum quòd contra indulgentiam felicis memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri extitit attentata; quâ cauetur —— Rex Portugalliæ Regnum ipſum in præiudicium poſsit imminuere ſucceſſoris. Nuper autem cùm chariſsimus in Chriſto filius noſter Rex Caſtellæ contra Mauros pro defenſione Chriſtiani nominis profecturus, ad ferendum ſibi auxilium Regem ſollicitaret, eumdem ipſe prudenter ſtatum conſiderans Regni ſui, eaſdem ſorores ſuas benignâ prece rogauit, vt attendentes iam dictam conceſſionem propter rationem prædictam nullius extitiſſe valoris, caſtra ſibi reſtituerent memorata, eas ad id tertiò commonere procurans ammonitione qualibet octo dierum ſpatium continente. Ipſo igitur earum ſuper hoc expectante reſponſum, eædem caſtra ipſa ſedulò munientes, cum B. ſorore ipſarum in Monte maiore ſe pariter receperunt, receptis in eo quibuſdam Nobilibus aduerſarijs Regis, qui de Regno expulſi fuerant ab eodem: cumq; caſtrum ipſum armis, victualibus, & perſonis nobilibus & ignobilibus, tam in Regno Legionenſe quàm aliunde collectis, ſummo cœpiſſent ſtudio communire, Rex metuens ne caſtrum amitteret ſupradictum, & propter hæc ad illud feſtinanter accedens, præfatæ ſorori ſuæ T. obtulit, ſe alicui Nobili, de cuius fide pars vtraque confideret, daturum ſufficientes expenſas, qui Regi ſolâ caſtri munitione ſeruatâ, eidem ſorori ſuæ aſsignaret ipſius caſtri redditus vniuerſos: quod eadem non ſolùm renuit acceptare, quinimò ij qui erant ad caſtri cuſtodiam deputati, nomen Regis Legionenſis inuocare cœperunt in eius iniuriam altâ voce. Quâ demum occaſione Rex Legionenſis prædictus, cum quo idem Rex firmam pacem habere putabat vnâ cum P. ipſius Regis Portugalliæ fratre, ac cum Petro Fernandi, & F. eiuſdem Taraſiæ filio, ex improuiſo Regnum eius inuaſit: & cùm confinia Regni communita non eſſent, pluribus villis campeſtribus incendio deuaſtatis, quædam caſtra etiam occupauit; quorum vnum dicto fratri eiuſdem Regis Portugalliæ committens, cetera*

*Bellum Legionenſis contra Luſitanum.*

*per*



*per ſe ac filium ſuum contra iuſtitiam detinet occupata. Ad ipſius T. ſororis ſuæ inſtantiam, venerabiles fratres noſtri Compoſt. Archiep. & Epiſcopus Zamorenſ. delegati à nobis, in ipſum excommunicationis ſententiam protulerunt, & Regnum eius ſuppoſuerunt Eccleſiaſtico interdicto: propter quod ex parte Regis eiuſdem fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt cum ſuſcepto Apoſtolatus officio ſimus magnis & minimis debitores, tam de Rege Legion. prædicto, & tam dictis ſororibus ſuis, quàm & de iudicibus ipſis ſibi faceremus iuſtitiam exhibere. Nos ergo volentes tam dicto Regi quàm eius ſororibus paternâ ſollicitudine prouidere, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus accedentes ad locum, & recepto ab ipſo Rege corporaliter iuramento, quòd ſuper his noſtris parebit præciſè mandatis, prædictas ſententias relaxetis; & memoratis ſororibus ſimili iuramento receptis, iniungatis eidem Regi, vt eas interim non moleſtet; & ipſis nihilominùs iubeatis, vt, remotis à dictis caſtris perſonis ſæpè fato Regi ſuſpectis, per tales perſonas ea faciat cuſtodire, ex quibus ipſi nullum diſpendium valeat prouenire, monentes & inducentes ad compoſitionem & concordiam amicabilem: quæ ſi fortè prouenire non potuerit, vos ſuper præmiſsis veritatem diligentiſsimè inquiſitam per veſtras nobis litteras intimetis, aſsignantes eis terminum competentem, quo per reſponſales idoneos noſtro ſe conſpectui repræſentent, mandatum Apoſtolicum recepturi. Vos autem ad exequendum prædicta, Deum habentes præ oculis, ſublato cuiuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo procedatis; contradictores, ſi qui fuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Datum Signiæ 2. Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno quinto decimo.*

Ex hoc priuilegio conſtat, Portugalliam feudum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe. Patet; quia edicto Pontificis caueatur, ne Reges Portugalliæ in Succeſſorum præiudicium Regnum audeant imminuere: hoc autem edictum non teneret, ni Regnum feudi titulo Catholicæ Eccleſiæ ſubiaceret.

RA-

## RATIO SEXTA.

XXII. *Ex inſtrumento vltimæ voluntatis Afonſi III.* DEnique (vt alijs ſuperſedeam) exſcribam clauſulam Teſtamenti Domini Afonſi III. quod reperitur in Archiuo Regio, cuiuſque autographon reperitur in Archiuo Alcobaciæ. Paulò ante finem: *Mando Domino Papæ qui pro tempore fuerit* 100. *marchas argenti.* Ecce feudi tributum; ſatisfecit Pontifici Summo feudatarius, & poſtulat, vt & Pontifex protegendi, fauendi & auxiliandi obligationi faciat ſatis. Audi. *Rogo ipſum*, ait, *tamquam Dominum corporis mei, & animæ meæ, vt ipſe ſanctiſſimâ auctoritate ſuâ faciat compleri & confirmari omnia & ſingula ſupradicta; & non permittat aliquid de his omnibus per aliquem impediri. Et ſupplico Sanctitatem eius, quòd ſi aliquis, vel aliqui, voluerit, vel voluerint, impedire iſtud meum Teſtamentum, quòd non compleatur, & ſingula ſupradicta non ſuſtineat, ſed faciat, ſicut pro iuſtitiâ debet facere pro ſalute animarum.* Ecce Summus Pontifex vocatur Dominus animæ & corporis, vt primo titulo innoteſceret Pontificia auctoritas illa Catholica, quæ ad vniuerſos extenditur; ſecundo, illa particularis, quæ ad Luſitaniæ Reges, quà Romanæ Eccleſiæ feudatarios. Ecce dicti Teſtamenti petitur confirmatio; ergo ipſe habebat dominium ſupremum in Regnis inuictis Portugalliæ. Tandem petitur, quòd faciat adimpleri Regis poſtumi vltimam voluntatem; ergo habebat Pontifex iuriſdictionem coactiuam, vel ſaltem directiuam in Regni heredem & ſucceſſores. Ergo ex multis capitibus conuincitur, Luſitanicos Reges eſſe Romanæ Eccleſiæ feudatarios.

*Papa corporis & animæ Dominus.*

## ARTICVLVS VII.

*Luſitaniam feudum eſſe, ſed ſpirituale; ipſius Monarchas Regum titulum, ſpiritualem tamen, à Romano Pontifice, quà tali, recepiſſe.*

XXIII. *Regis titulus duplex.* TErtio Articulo diſtinctionem expendimus notatione digniſſimam. Statuimus, Regis titulum bifariàm poſſe accipi, ſpiritualiter, & temporaliter. Ille eſt Rex temporalis, qui temporalibus legitimis titulis (puta ſucceſſionis aut electionis) diadema auctoritatemque ſuſcepit; ſpiritualis, qui à Papâ, in quantum tali, recepit auctoritatem. Ex hac doctrinâ ſolidiſſimâ naſcitur



## CONCLVSIO PRIMA.

*SI Populi electio, atque Comitiorum confirmatio valida eſſet, Afonſus Luſitanorum Princeps recepiſſet à Populi vniuerſitate titulum Regis temporalis.* XXIV.

Conſultò ſub conditione loquor; quia mihi illa acclamatio tumultuaria, quâ Infans Henrici Afonſus Rex abſolutiſſimus indicebatur, & Comitia Lamegenſia ſunt ex capitibus multis iniqua; ſolùm ab horum ambitione, & illorum arrogantiâ atque violentiâ nata. Reliquùm, qui in Luſitaniæ Regno Præſcriptionem admiſerit, conſequenter aſſerat, Afonſum Ioannemque electionis ſęculari titulo, reliquos hereditario iure donatos fuiſſe coronâ Regni ſæculari.

*De Præſcriptione in hoc Regno negandâ egi ſuprà Lib. 2. & 3.*

## CONCLVSIO SECVNDA.

*AFonſus & reliqui Luſitanorum Reges, quà creati, electi, confirmati à Pontifice, ſunt Reges Portugallenſes; verùm non temporaliter, ſed ſpiritualiter.* XXV.

Ratio eſt; quia auctoritas Pontificis eſt ſpiritualis, & ad ſpiritualia ſolummodò directè ſe poteſt extendere. Ambis doceri, quid ſit eſſe Reges Luſitanorum ſpiritualiter? Reſpondeo, eſſe participare gratias, indulgentias, iubilea, indulta, & reliquos fauores Eccleſiaſticos, qui auctoritate Apoſtolicâ alijs, quà Regibus, concedi ſolent.

*Rex ſpiritualis quis?*

Dicis: In Pontifice conſiderare poſſumus perſonas duas, ſpiritualem & temporalem: eſt enim ſimul Epiſcopus Romanus, & Rex; ergo quà Rex, poteſt Reges creare temporales. XXVI.

*Pontificis perſona duplex.*

Reſpondeo primò, non eſſe liberum cuicumque Principi Reges aut ſupremos Principes creare; quia nemo poteſt alteri

*Reges creat quis?*

alteri ſubditum eximere, ni cauſſa ſit, & ſuperſit vtrique. Ideò Rex Galliæ non poteſt eximere Ducem de Lermâ ab obedientiâ, quam debet, quam fideliter præſtitit Hiſpano Regi; non enim eſt vtriuſque Dominus; benè tamen Monarcha Catholicus, ſi iuſta cauſſa poſtularet: Lermæ enim Dux Regi Catholico, non Chriſtianiſſimo ſubeſt. Atqui Afonſus Infans erat ſubditus Monarchæ Legionenſis: neutri ſuperérat Innocentius quà Romaniæ Rex; iuſta cauſſa deerat; ergo ex duplici capite non recepit, nec recipere potuit ab Innocentio Afonſus titulum Regis ſæcularis.

*Adulatores ſæpiùs iniurij.* Præterea, iniurios eſſe credidero Summo Pontifici omnes illos auctores, qui aſſerunt, eum titulos regiè-temporales poſſe concedere; quia cùm iuriſdictio ipſius ſit ſpiritualis quà Pontifex, non poteſt ea attingere quæ fuerint merè temporalia.

XXVII. *Pontifex quà talis confirmat diadema Luſitanicum.* Denique, controuerſiæ ceſſare debent, quouſque textus ſpecies innoteſcat. Ideò litteris Innocentij aliorumque Pontificum examinatis, aſſero, illos non quà Romaniæ Reges, ſed quà Papas Afonſum elegiſſe, creaſſe, confirmaſſe. In Innocentij Priuilegio, quod dedi in huius Quæſtionis primo Articulo, conſidera illa verba, *Perſonam tuam ſub B.Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus*. nempe ſub noſtrâ auctoritate, quæ communis eſt nobis & Petro. & paulò pòſt: *Concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus*. & iterùm: *Quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, pro iniuncto nobis Apoſtolatus officio.* Ecce vbilibet Innocentius operatur quà Pontifex; vbique concedit ſpiritualiter Regiam auctoritatem.

XXVIII. *Expenditur textus ſpecies.* Alexandri etiam Tertij littera non ſonat iuriſdictionem temporaneam, ſed ſpiritualem titulum: conſultò etenim Summi Pontifices non conceſſerunt Infanti Afonſo quod largiri non poterant. Petijt is, fateor, coronam ſæcularem; ſed reſpondet illi Pontifex, Argentum, & aurum (nempe temporalis poteſtas) non eſt mihi quà Papæ; quod tamen habeo (videlicet ſpirituale diadema) hoc tibi do. Vel dicito, an non merè ſpiritualem auctoritatem inſinuent iſtæ phraſes, *Æquum eſt autem, vt —— Apoſtolica Sedes affectione ſincerâ diligat, & iuſtis poſtulationibus ſtudeat efficaciter exaudire.* & pòſt: *Perſonam tuam —— ſub B. Petri & noſtram protectionem ſuſcipimus, —— & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus?*



Dedi Articulo quinto Innocentij III. priuilegium, Coronam Afonſo II. confirmantis. Nota has periodos: *ex Innocentij III. Bullâ.* *Æquum eſt, vt —— Apoſtolica Sedes ſincero proſequatur affectu. —— Proinde nos tuam attendentes Perſonam, —— eam ſub P.Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus. —— ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, qui hæc præfato Auo tuo per priuilegij paginam conceſſiſſe dignoſcitur, tuæ ſublimitati concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus. —— Quæ conceſſa ſunt —— Apoſtolatus officio defendemus.* Semper loquitur Alexander quà Pontifex, non quà habens iuriſdictionem temporalem.

Articulo ſexto occurrebat Regis Sancij II. donatio à XXIX. Papâ confirmata, verùm quà tali. Nota illa verba: *Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, conceſſionem huiuſmodi, ſicut piè ac prouidè facta eſt, auctoritate Apoſtolicâ confirmamus*. Nota obiter verbum *confirmare*, in foro Luſitanico eſſe *teſtificari*. Probaui ſuperiùs *Libr.2. Diſp.1. Art.1. in fin.* Ergo Summus Pontifex confirmat donationem Regis; hoc eſt, teſtificatur verè à Rege eſſe factam.

Ex his igitur maneat demonſtratum, Pontificem Romanè-Summum nec potuiſſe nec voluiſſe Afonſum & ipſius Succeſſores facere Reges temporales; potuiſſe, voluiſſe, & præſtitiſſe illis ſpiritualem expoſitam auctoritatem.

## CONCLVSIO TERTIA.

*Luſitania eſt feudum ſpirituale: ideò feudatarij tenentur præſtare obſequia ſpiritualia: Pontifex tenetur rependere ſpiritualem protectionem.*

Feudum ſpirituale illud eſt, cui ſupremus Dominus eſt Ponti-

Pontifex, quà Pontifex: talis eſt Luſitania: ergo. Minorem probo. Hoc feudum inſtituitur oblatione. Afonſus Henriquez ſe efficit Eccleſiæ feudatarium ijs verbis: *Claues Regni cæleſtis Beato Petro à Domino noſtro Ieſu Chriſto conceſſas eſſe cognoſcens, ipſum in patronum & aduocatum habere diſpoſui apud Deum Omnipotentem, vt in vitâ præſenti opem illius & conſilium in meis neceſſitatibus ſentiam, & ad præmia felicitatis æternæ valeam peruenire.* Vide: nota. Motiuum exponitur, verumtamen ſpirituale. Se poſteà feudatarium efficit: ſed cui? *Terram quoque meam* (ait Afonſus Rex) *B.Petro & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ offero.*

Habes integram Afonſi Epiſtolam huius Quæſt. Art. 1.

XXX. *Feudatarij ſpiritualis obligatio.*

Feudatarij ſpiritualis intereſt præbere obſequium & reuerentiam ſpiritualem. Hoc indicitur Afonſo Henriquez ab Alexandro III. in confirmationis priuilegio, quod dedi in 4. Artic. Habe formalia verba: *Vt autem ad obſequium Beati Petri Apoſtolorum Principis, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vehementiùs accendaris*, &c. Hoc deuotionis interioris reſortum exprimi ſolet tributo extrinſeco; & ideò Reges Luſitaniæ ſtatuerunt cenſum temporalem, ad deuotionis ſpiritualis indicium. Conſtat ex Innocentij Bullâ, quam habes ſuprà primo Artic. ibi: *Ad indicium autem, quòd prædictum Regnum noſtri iuris exiſtat, duas auri marchas ſingulis annis nobis noſtriſq; ſucceſſoribus ſtatuiſti perſoluendas.* —— *Tuâ itaque intererit, Fili chariſſime, ita circa honorem & obſequium Matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ humilem & deuotum exiſtere, & ſic te ipſum eius opportunitatibus & dilatandis Chriſtianæ Fidei finibus exercere, vt de tam deuoto & glorioſo Filio Sedes Apoſtolica gratuletur, & in eius amore quieſcat.* Conſonant aliorum Pontificum Priuilegia, quæ eſſet perlongum recenſere.

Eadem verba reperies in Bullâ Alexandri.

*Domini feudi ſpiritualis obligatio.*

Dominus ſpiritualis feudi debet feudatarium ſpiritualibus armis defendere; non ſecùs ac Dominus feudi temporalis tueri debet ſuum feudatarium armis & copijs ſæcularibus. Hæc ſpiritualis protectio exigebatur in feudi inſtitutione. Afonſus in Epiſtolâ ad Innocentium Papam: *Vt ego*, ait, *tamquam proprius Miles Beati Petri, & Romani Pontificis, vt tam in me ipſo, vel in terrâ meâ, vel in his quæ ad dignitatem & honorem terræ meæ attinent, defenſionem & ſolatium Sedis Apoſtolicæ habeam.* Hanc conditionem, qui feudum ſpirituale admiſerint, debuerunt admiſiſſe Pontifices Romanè-Summi, aut tacitè aut expreſsè. Alexander III. *Hæc ipſa præfatis heredibus tuis duximus concedenda; eoſq; ſuper ijs quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, pro iniuncto nobis Apoſtolatus officio defendemus.* Hanc Pontificis obligationem optimè nouerant Domini Luſitani anno 1580. legantes Romam Baretum, opem ab ſpirituali (non à temporali) Pontificis gladio contra arma Philippi imploraturum. *Vide Thuanum libr. 70. pag. 387.* cuius ſunt verba expreſſa.



Habes Bullam Art. 4.

## ARTICVLVS VIII.

### *Obiectis aliquibus fit ſatis.*

XXXI.

Probauimus Art. 6. Luſitaniam eſſe Romanæ Eccleſiæ feudum: dicis tamen præfatis argumentis conuinci, hanc eſſe feudum temporale.

*Obiectio prima.*

Argvis primo: Teſtamentum eſt quid ſæculare ac politicum: atqui ex vi feudi Luſitanici Pontifex habet auctoritatem confirmandi & executioni mandandi Teſtamenta: ergo feudum hoc eſt temporale. Minor conſtat ex Teſtamento Afonſi II. ex quo neceſſaria verba extraxi ſuprà Articulo ſexto, Ratione primâ. Item ex Sancij II. Teſtamento; cuius, quæ meâ intererat, partem dedi eodem Art. 6. Rat. 4. nec non ex Teſtamento Afonſi III. cuius mentionem feci dicto Art. 6. Rat. 6.

Respondeo, in Teſtamentis eſſe plurima ſpiritualia, quæ à Pontifice poſſint confirmari. Legarunt hi Reges Eccleſiaſticis multam pecuniam, petierunt orationes, ſuffragia. Eccleſiaſtici ex vi contractus remanſerunt in obligatione rependendi hæc ſuffragia: quid oberit, quominùs Summus Ponti-

Pontifex, quà talis, hanc obligationem ſpirituali ſuâ firmet auctoritate?

*Obiectio altera.*

Argvis itervm: Donationes ſunt actiones merè politicæ atque ſæculares: ergo non niſi à Domino ſupremo ſæculariter confirmari poſſunt: atqui Articuli ſexti Ratione ſecundâ Pontifex confirmat donationem factam à Sancio II. ergo is erat ſubditus Papæ temporaliter.

Respondeo, Sancium donauiſſe Magiſtro & Fratribus Ordinis S. Iacobi illam villam de Algarbe, quæ dicitur Tauila, pro remedio animæ ſuæ; hoc eſt, pro ſatisfactione peccatorum ſuorum. Vt autem hæc ſatisfactio eſſet ſufficiens, congruum fuit, vt Summus Pontifex defectus ex ſanguine Chriſti ſuppleret, & hanc ſufficientiam (non donationem) confirmaret. Præterea (& hoc mihi videtur efficacius) *confirmare* in iure Luſitanico *teſtificari* eſt, vt probaui nuperrimè *num.* 29. *& anteà Lib.* 2. *Diſp.* 1. *Art.* 1. *in fin.* Et ſic reſpondeo, Summum Pontificem non corroboraſſe iſtius donationis efficaciam; ſed, ad maiorem ſecuritatem, eſſe à Rege factam, inſtrumento authentico teſtatum eſſe.

*Obiectio tertia.*

XXXII. Tertio insvrgis, & herculè efficaciùs: Deponere ab officio & dignitate temporali ſolùm poteſt, qui eſt temporalis Dominus: atqui Pontifex depoſuit Regem Sancium: ergo is Rex erat feudatarius Pontifici, quà Regi; hoc eſt, quà Domino feudi temporalis.

Reperies Teſtamẽtum integrũ apud Anton. Brandao in Monarch. Luſitan. Part. 3. fol. 279. b.

Respondeo, Summum Pontificem non depoſuiſſe Sancium à Regiâ dignitate. conſtat ex teſtamento vltimo Sancij, in quo depoſitus à Pontifice incipit exponere vltimam voluntatem his verbis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Amen. Notum ſit omnibus hanc paginam inſpecturis, quòd ego Sancius II. Dei gratiâ Rex Portugallenſium,* &c. Ecce in mortis articulo titulo Regio decoratur. Sanè Pontifex hunc à Regno deponere non potuit, imò nec voluit. Dedi depoſitionis priuilegium Ratione tertiâ, Art. 6. ſed nunc ſufficient iſta verba: *Per hoc non intendimus memorato Regi* (nempe Sancio II.) *vel ipſius legitimo filio, ſi quem habuerit,*



*buerit, prædictum Regnum adimere,* &c. Quid ergo? curauit vt Regno, deſtructioni expoſito propter Sancij ignauiam, de Gubernatore idoneo legitimè prouideretur; atque ideò in principio pericula & diſcrimina, quibus Luſitania ſuberat, enumerat prolixè ſatis: poſteà, Boloniæ Comitem, Regis fratrem, proponit Comitijs in Gubernatorem eligendum. Huius creationem non indicit, ſed conſulit: ac perinde non procedit vt Dominus, ſed vt amicus. Conſidera ſubiecta verba ex §. 3. Priuilegij: *Cupientes Regnum ipſum, tot tribulationum aduerſitate depreſſum, maximè cùm ſit Romanæ Eccleſiæ cenſuale, alicuius prouidentis & prouidi diligentiâ & induſtriâ releuari; Vniuerſitatem veſtram de fratrum noſtrorum conſilio monemus, rogamus, & hortamur* (* *nec tamen per Apoſtolica vobis ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes, in remiſſionem peccatorum veſtrorum iniungendo*) *quatenus dilectum filium, nobilem virum, Comitem Bolonienſem, præfati Regis fratrem, de deuotione, probitate ac circumſpectione multipliciter commendatum, qui eidem Regi, ſi abſque legitimo decederet filio, iure Regno ſuccederet; quiq́ ex innatæ dilectionis affectu, quo vos & prædictum Regnum proſequitur, magnanimitate & prudentiâ ſibi plurimùm ſuffragantibus, Regnum ipſum reformaturus, firmâ credulitate ſperatur,* &c. Vt eligerent ſibi Gubernatorem hortabatur Pontifex, quà feudi ſpiritualis Dominus, imò quà proximus, atque verè Chriſtianus: ſi enim Dominus temporalis feudi eſſet, non iam moneret, ſuaderet, poſtularet, ſed verè præciperet, exequeretur. Hoc clariùs liquet ex vltimis verbis diplomatis: *Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipſius legitimo filio, ſi quem habuerit, prædictum Regnum adimere, ſed potiùs ſibi & eidem Regno deſtructioni expoſito, ac vobis ipſis in vitâ eiuſdem Regis per ſolicitudinem & prudentiam Comitis conſulere ſupradicti. Datum Lugduni,* &c. Nuperrimè notaui illud *non intendimus*, iterùm adnoto. Ceterùm attentè lego illud *conſulere*, hoc eſt, *conſilium præbere*: hinc autem conſtat,

*Pontifex merè ſæcularia non præcipit, ſed conſulit*

* Hîc illa quatuor priora verba ſunt caduco charactere deſcripta, & ſic legi vix poſſunt. Diuinare coactus Antonius Brandao legit, *attentè per Apoſtolica*; Salazar, *ſtrictè per Apoſt.* ſed meliùs antiquum manuſcriptum D. Ioannis de Souſa amici mei ſingulariſſimi, *nec tamen per Apoſtol.*

conſtat, Pontificem ſummum in hoc caſu conſuluiſſe Luſitanis, non iuſſiſſe.

EODEM MODO ſatisfacere poteris Art.6. Rationis quintæ; ex quâ conſtat, Luſitaniam Eccleſiæ feudum eſſe, non tamen temporale. Satis ergo demonſtratum eſt, hoc Regnum Domino Pontifici, quà ſpirituale feudum, eſſe ſubditum.

## ARTICVLVS IX.

*Penitior quæſtionis Reſolutio.*

*Eccleſiæ Luſitania Feudum.* DIffiniui, Luſitaniam Eccleſiæ Romanæ feudum eſſe, ſed ſpirituale; ſubſcriboque Antonio Brandaoni *in Monarch. Luſit. Part.3. libr.10. cap.11.* An feudum hoc aperitur Summo Pontifici? poteritne is alium ad illud inueſtire?

XXXIII. Feudorum temporalium leges ſunt multæ, ſpiritualium nullæ: ac perinde analogicôs de ijs, vt de illis opus eſt, iudicemus. Cùm feudum temporali Domino aperitur, poteſt is alium quemcumque inueſtire ad huiuſmodi feudum; non antè quàm ipſi aperiatur. Non aliter: in feudo ſpirituali conceduntur talia priuilegia in feudum: tenetur rependere talia obſequia & cenſum feudatarius; ſpiritualis feudi Dominus non poteſt ipſum ſine cauſsâ tali feudo priuare, nedum alteri concedere, quouſque id ipſimet Domino aperiatur.

Ergo ſi pariformiter loqui debeamus de feudo ſpirituali ac temporali, iuuabit relegere quæ ſuprà diximus: iuxta quæ ſit Concluſio. *Libri huius Diſp.1. Quæſt.1. Art.4.*

*Hoc feudum ſpirituale Pontifici Summo aperitur; ac perinde poterit Summus Pontifex ad illud inueſtire quem malit.*

Nec inde inferas, poſſe Papam dare inueſtituram Territorij Luſitanici; non enim feudum erat temporale; ſed poſſe reuocare Regia illa priuilegia conceſſa Luſitaniæ Regibus: quæ ſi non reuocauerit, iudicabuntur iteratò conceſſa poſterioribus, vt accidit in electione Ioannis I. ſi is fuit verus Rex Luſitaniæ, tunc hoc Luſitaniæ ſpirituale feudum aperiebatur Papæ; nihilominùs is neminem alium inueſtiuit, nec id à Ioanne reuocauit; ac ideò is, & ipſius poſteri fruebantur gratijs ac Regijs priuilegijs, quibus Monarchæ antecedentes.



Hæc dixero de conuenientiâ ſpiritualis cum temporali feudo: ceterùm inueſtituram Innocentij conſidera (dedi huius Diſp. Quæſt.2. Art.1.) expreſsè conceditur non ſolùm filijs, ſed heredibus. Dabo formalia verba: *Hæc ipſa præfatis heredibus tuis duximus concedenda.* Confirmat hanc inueſtituram Alexander; & in confirmationis limine: *Regi Portugallenſi, & heredibus eius in perpetuam memoriam* —— & inferiùs: *Hæc ipſa tuis heredibus duximus concedenda.* Hinc igitur probabilius iudico, in electione Ioannis primi (ſi ipſius anteceſſor obierit ſine herede) apertum fuiſſe feudum Summo Pontifici: tunc poterat, ſi voluiſſet, reuocare. Reuocationis priuatio, moraliter quæpiam ſolidiſſima confirmatio eſt; ac ideò feudum id ſpirituale Ioanni I. & heredibus cenſetur fuiſſe confirmatum: cumque Henricus deuiuens reliquerit legitimum in feudo heredem (vt ſuo loco videbimus) non eſt cur id Domino Pontifici aperiatur. *Huius ſpiritualis feudi inſtitutio conſideratur.*

## CONCLVSIO.

ESt igitur lumine meridiano clarius, Regnum Luſitaniæ feudum ſpirituale eſſe Pontificis Romani, prout hac Quæſt.2. Art.1.2.3.&c. ſufficienter probaui. XXXIV. *Prima.*

Secundò, hoc feudum ſpirituale Pontifici non aperiri, conſtat ex his quæ hoc 9. Articulo diſſerebamus. *Altera.*

Tertiò, Romanum Pontificem ex merâ Henrici Cardinalis morte (ni alia cauſſa ſufficiens accidat) non poſſe hunc ſpiritualem Regni titulum, ipſiuſque appendices, gratias, indulgentias, priuilegia in præſentiarum reuocare. *Tertia.*

## CORONIS DE TRIBVTO.

DVbitas, vtrùm Luſitania teneatur ſoluere ſingulis annis duas auri marchas Pontifici Romano? XXXV.

Dd Reſpon-

*Luſitania non tenetur pendere tributa Pontifici Romano.*

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt; quia feudatarius ſpiritualis ex vi feudi non tenetur Domino ſuo obſequium temporale pendere, ſed incorporeum. Ita decreui hac Quæſt.2. Art.7. Concl.3. vtq; inibi probaui, obſequium extrinſecum additur ex deuotione in ſignum. Ideò conſultò Afonſus tales marchas non promittit, ſed offert: *Terram quoque meam*, ait, *Beato Petro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ offero ſub annuo cenſu*, &c. vt exprimeret, ſe nolle promiſſione aliquam obligationem inducere, ſed oblatione exponere animi internam deuotionem. Huius opinionis fuit Antonius Brandao *in Monarch. Luſit. Part.*3.*lib.*10.*c.*11.ait: *Tiuerão que offerta della fora mais de deuaçaõ que obrigatoria.* hoc eſt: *Crediderunt* (nempe Monarchæ Luſitani) *hanc oblationem potiùs ad deuotionem quàm ad obligationem pertinere.* Fateor ex aliquibus Pontificum verbis colligi, teneri hos Reges pendere annuatim hanc penſionem.

*Obiectio.*

Ex chartâ Gundiſalui, Legati Apoſtolici, quam dedi Quæſt.2. Art.3. *Cùm teneretur*, ait, *in vnoquoq; anno ad illas duas auri marchas.* Innocentius in ſua Bullâ dixerat, *Duas auri marchas nobis noſtriſq; ſucceſſoribus ſtatuiſti perſoluendas.* Accinit Alexander, & alij.

*Satisfactio.*

Sed hoc non obeſt, quominùs dicamus hanc eſſe meram deuotionem: contractus enim non efficitur ex acceptatione, ni præfuerit promiſſio. ideò acceptet Pontifex hunc cenſum: quid inde? non erit inter eum & Reges Luſitaniæ contractus, quouſque ipſi aliquid Pontifici promittant; oblationes enim Eccleſiaſticæ ſonant deuotionem ſolummodò: & ni promiſſione, voto, aut æquiualenti aliquâ circumſtantiâ firmentur, in conſcientiâ non obligant.

Eſto, obligauerit ſe Afonſus Rex: iam eum Summus Pontifex reſcripto publico liberaliter exonerauit. Conſtat ex Innocentij Epiſtolâ ad Afonſum datâ. Vide, ſi placeat, ea quæ ediſſero hoc eodem quinto Libro Diſp.4. Quæſt.1. num.20. ad 24. vbi verba Pontificis ſecundariò explico, vt clarior controuerſia euadat.

DISPV-



# DISPVTATIO II.

## *Vtrùm Claræ-uallis Abbas potuerit adſpirare ad Regnum Auguſtæ Portugalliæ?*

EXPOSVI ius Pontificium ad Coronam Portugalliæ; ſupereſt Monaſticum: vtrumque minùs cognitum, quia vix ſincerè diſputatum. Quæſtiones practicas difficiles reddiderunt adulatores: qui dum huic parti iniuſtè detrahunt, vt alteri illegitimè adnumerent, non ſufficiunt medium attingere, nec in eò latentem veritatem. Anceps incepi dubitare, vtrùm Claræ-uallenſis Monaſterij Abbas in Regno Galliarum conſtituti, nempe in Lingonienſi diœceſi, habuerit verum & legitimum ius ad Regnum armipotentis Luſitaniæ. Liti tempus indicitur anno Domini 1580. hic etenim ad meliorem vitam abſtulit Regem Henricum vltimum feudi poſſeſſorem. Sub idem tempus præerat Claræ-uallenſi Monaſterio Dominus Lupinus le Mire, quadrageſimus tertius Antiſtes; qui, à prædeceſſore in Abbatem ſubrogatus, rexit annis 25. Spontaneò ceſſit; & obijt anno 1596. poſtquam ab incendiarijs graſſantibus bis Claram-uallem liberaſſet. Quòd ſi huius Cœnobij penitiorem placeat cognitionem adquirere, lege D. Gaſparis Iongelini *Notitiam Abbatiarum Ordinis Ciſtertienſis per vniuerſum Orbem:* vbi curioſè ſingula vniuerſi Ordinis deſcribit Monaſteria. I.

*Adulatores omnia confuſa reddunt.*

*Lupinus le Mire anno 1580. Claræuallenſis Abbas.*

## QVÆSTIO VNICA.

### *Fuerintne Luſitanorum Reges feudatarij Abbatis Claræ-uallis?*

FEudi titulo adſpirare potuit Gregorius Tertiusdecimus ſummus Eccleſiæ Pontifex, vt vidimus Diſputatione antecedenti. Manet nos non abſimilis, ſed noua controuerſia; videlicet, vtrùm Abbati melli- II.

*Luſitania an feudum Sanctiſſimi Patris Bernardi.*



fluo

fluo ac Sanctiſſimo Bernardo ſeſe Reges Luſitaniæ ſubiecerint feudatarios? necnon, vtrùm moriente Henrico Cardinali, Abbate Ordinis Ciſtertienſis, Claræ-uallenſi Domino aperta fuerit, quà feudum, Luſitania.

## ARTICVLVS I.

### *Regna Monaſterijs feudataria.*

*Caſtella & Legio erant feudum Cœnobij Cluniacenſis.*

ALfonſus Sextus, potentiſſimus Caſtellæ atque Legionis Rex, ſeſe & Regnum ſuum ſubdidit Cluniacenſi Monaſterio, ſub feudi ſeruitute. Exſtat huius rei Autographum Simancis (ciuitas eſt Caſtellæ veteris, vbi & Grapheotheca Regia) oſtenſum ab Indiciario Comiti de Requena meo ſingulariſſimo amico, & Domino: qui curioſitatis gratiâ (erat enim rei antiquariæ ſtudioſiſſimus) exſcribi iuſſit; & poſt dies aliquot in vrbe Toro (vbi habebat, potiùs quàm palatium arcem Vranicam, & quaſi Athenas Aſtronomicas) mihi cogitanti in Salmanticam communicauit: auarus ſim ego, ni & tibi.

ALFONSVS VI. *Caſtilliæ nec non Legionis Rex, Dominis meis, Chriſti famulis, Monachis Cluniacenſibus, ſalutem, & perſeuerantiam.*

Phraſes hæ ſunt politicè, quia ſcholaſticè veræ eſſe nequeunt.

*LVx tenebras illuminat, lumen frigus calefacit, bonitas amorem rapit; ideò ego in peccatorum tenebris ſubmerſus, & frigidus, illuminor, caleſio, rapior conuerſationis veſtræ exemplo. Communicare vobis meas quamuis tepidas, & orationes veſtras participare deſiderans, ad pedes ſingulorum prouolutus obſecro, vt dignemini me inter veſtros annumerare famulos, & tamquam vaſallum dirigere, corripere, atque gubernare. In vaſallitij ſignum, ſingulis annis cenſendas centum auri probati vncias pro ſubleuandis veſtris neceſſitatibus deuotus offero, & ſuffragia atq; orationes pro animæ meæ remedio imploro. Cenſebitur hoc auri pondus Martij Idibus annuatim à me & heredibus meis per ſemper. Datum Valledelodi* IV. *Idus Ianuarij, anno* 1088.

Hic



III. *Don Alonſo el de la mano oradada.*

Hic eſt Alfonſus ille, qui propter munificentiam ab Hiſpanis *el de la mano oradada*, vel (vt ait Vaſconcellius in Luſitanicâ Anacephalæoſi primâ, paginâ 5.) *pertuſâ manu* vocabatur. Certum eſt, ad hanc Alfonſi Regis Epiſtolam Monachos Cluniacenſes reſpondiſſe: verumtamen hucuſque reſponſorias litteras non vidi, fortè in eiuſdem Simancenſis Archiui angulo latent; ſunt etenim tot inſtrumenta publica ibidem congeſta, vt vix ad indicem referri poſſint: reperiuntur prætereà aliqua tam decrepita, vt impedientibus tineâ & madefactione vix ex parte ſe permiſerint legi. Ceterùm in Abbate Cluniacenſi reperio hæc verba notatione digniſſima: *Vt enim innumera alia pietatis opera eidem Monaſterio ab eo impenſa taceam, magnificentiſſimus & famoſus Rex cenſualem ſe Regnumq; ſuum Chriſti pauperibus, eiuſdem Chriſti amore, fecerat; & tam à ſe, quàm à Patre ſuo Fredelano conſtitutum cenſum, ducentas ſcilicet & quadraginta auri vncias, ſingulis annis Cluniacenſi Eccleſiæ perſoluebat.* Terret te ſtatim ſumma differentia. Alfonſus offert centum vncias, Petrus Cluniacenſis Antiſtes recenſet ducentas quadraginta. quî? centum quadraginta Fernandus (vel, vt Petrus loquitur, Fredelanus) Alfonſi Pater annuo cenſu obtulerat, quibus Alfonſus centum alias addiderat; ac proinde Petrus ex cenſu vtroque ſupputat illam quantitatem. Hæc autem iam deuotio deſierat, & Petro ipſi Abbati Cluniacenſi non pendebatur talis ſumma: conſtat; quia cùm *perſoluebat* dixit, viſus eſt diſtinxiſſe tempora, & præterito tribuiſſe quæ deficiebant in præſenti.

Ex noſtris hiſtorijs conſtat, Alfonſum eſſe Fernandi filium: ergo *Fredelanus* Gallicè, & Hiſpanè *Fernandus* eſt idem.

IV. *Regnum Aragoniæ feudum Eccleſiæ Cluniacenſis.*

Regnum etiam Aragoniæ Cluniacenſi Monaſterio eſſe ſubditum & feudatarium, conſtat ex eiuſdem Archiuis antiquiſque domeſticæ rei memorialibus.

Regum aliorum exemplo, Afonſus Henrici filius Luſitanorum Rex ſub feudi titulo Claræ-uallenſi Monaſterio ſuppoſuit Portugalliam. Exſtat in Alcobaciâ antiquum pergamenum munitum ſtemmatibus Regijs pendentibus, impreſſis in cerâ candidâ, candorem animi Afonſique



deuo-

deuotionem indigitans : dabo penitioris intelligentiæ cauſsâ.

## IN DEI NOMINE.

Hoc inſtrumentum publicauit Antonius Brandao in Monarchiæ Luſitanicæ Part. 3. lib. 10. cap. 12. & extat manuſcriptum in pergameno Alcobaciæ, inter archiua eiuſdem loci.

[a] plus quã omnes

[b] id mihi,

QVoniam quidem decet vnumquemq; fidelem de bonis ſibi collatis à ſuperno largitore Dei miniſtros participes efficere, vt per eos cæleſtium bonorum particeps efficiatur : ideò ego Afonſus, miſeratione diuinâ Portugallenſium Rex nouiter Deo iubente creatus, quia me [a] plus omnes debitorem ſentio, cupio me & omnia mea Altiſſimo offerre, vt tam ego quàm ſucceſſores mei in perpetuum regnaturi agnoſcant habere Regnum de manu Domini, qui præſentialiter tradidit [b] eum mihi, vt corde firmo & charitate perfectâ fidem Chriſtianam ab infidelium iniurijs defenderem, & ſanctam Eccleſiam de Regni redditibus ditarem; vt ſic eſſet Regnum ſanctum, Deo charum, & in perpetuum ſtabilitum. Et quia iam me & omnia Beato Petro & eius ſucceſſoribus vectigalem conſtitui, cupiens & nunc Beatam Dei genitricem apud Deum aduocatam habere, de conſenſu vaſallorum meorum, qui abſque externo adiutorio me in Regium ſolium conſtituerunt, meipſum, Regnum meum, gentem meam, & ſucceſſores meos ſub Beatæ Mariæ de Clareualle tutelam, protectionem, defenſionem & patrocinium conſtituo, & conſtituta fore decerno; ordinando & mandando omnibus & ſingulis ſucceſſoribus meis in [c] hereditatem huius Regni legitimè intrantibus, vt ſingulis annis eidem Sanctæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Clareualle, quæ eſt Ciſtertienſis Ordinis, poſita in Regno Franciæ in Diocœſi Lingonienſ. tribuant in modum feudi & vaſallitij 50. morabitinos auri probati, boni, & digni quod recipiatur. Si verò contigerit per noſtrum dominium aliquem eiuſdem Monaſterij & Ordinis præfati intrare, vel tranſire, vel monaſterium inibi conſtruxerit, perſonæ & res talis monaſterij ſub tutelâ & patrocinio Regis erunt, taliter quòd à nullo poſſint moleſtari, inquietari, perturbari, vel à ſuis bonis defraudari; quòd ſi contingat, in priſtinam libertatem reſtituantur quacumque horâ temporis vel momenti, in quo maiori commoditate id fieri quiuerit:

[c] Ergo hoc Regnum defertur ad poſteros hereditariò.



quiuerit : quapropter bona talium monaſteriorum & perſonarum erunt tamquam bona regalia; & de illis erit Regi eadem cura quam de ſuis debet habere. Si verò Rex aliquis, vel tyrannus (quem de lumbis noſtris futurum non credimus) præfatas perſonas moleſtauerit, ſeu illarum bona ſurripuerit, non meam, aut earum, ſed Virginis hereditatem vſurpare ſe credat; & tamquam Domino ſuo infidelis, ſub cuius tutelâ Regnum conſtituimus, eodem priuetur, & ſemen eius non * eluſcat ſuper terram. Fratribus verò in dicto monaſterio de Clareualle, & in alijs ſui Ordinis Domino famulantibus, cura erit ſtatum Regni noſtri Deo deuotè commendare, & animam meam & parentum meorum Miſſis & vigilijs adiuuare; & de feudo ſeu vaſallitio altare Beatæ Mariæ reparabunt. Abbas verò dominus Bernardus, & eius ſucceſſores in perpetuum, huiuſmodi feudum annuatim habebunt in die Annuntiationis Beatæ Mariæ virginis. Et ideo Virgo mater Domini mei Ieſu Chriſti, in cuius laudem hic Ordo conſtitutus micat, ego humilis ſeruus tuus Adefonſus Rex Portugallenſ. peto quatenus Regnum meum defendas à Mauris inimicis Crucis Filij tui, & coronam hanc ab omni externo dominio liberam conſerues, & de prole meâ fideles ſeruos & feudi largitores in Regni ſede corrobores. Si quis verò contra hoc vaſallitium & feudi teſtimonium aliquid attentauerit, ſi vaſallus fuerit, à Regno noſtro expellatur; ſi verò (quod Dominus non conſentiat) Rex fuerit, ſit à nobis maledictus, & in ſtirpe noſtrâ non numeretur, & à Domino Deo, qui nobis Regnum dedit, omni dignitate ſpoliatus, & à ſuis inimicis victus; & cum Judâ traditore in inferno ſepultus. Facta carta in Eccleſiâ Lamecenſi 4. Kalend. Maij, Æra 1142.

* Corrigo eluceſcat

EGO AFONSVS REX.

Egas Curiæ Præſes conf. Petrus Pelaides Curiæ ſignifer conf. Fuas Ropinius Colimbriæ Præfectus conf. Pelagius de Sauſa confirmat. Gundiſaluus de Sauſa proteſt. Vaſcus Sancius proteſt. Afonſus Egea proteſt.

AR-

## ARTICVLVS II.

### *An vtile Regibus, ſe & ſua Regna ſubijcere in feudum Monaſterijs?*

V. DVæ vtilitates reperiuntur in feudis Monaſticis, de quibus diſputo, ſenſibilis, & ſpiritualis. Vtramque experti ſunt Principes, qui non ſunt dedignati famulari Eccleſiaſticis viris. Dabo mirabilem Hiſtoriam quam refert Petrus Venerabilis *libri Miraculorum primi capite vigeſimo octauo*, exque eo Martinus del Rio *in Diſquiſitionum Magicarum libr.3. Part.1. quæſt.7. ſect.1. §. vndecimo.* Introducitur Petrus Engelbertus iam Monachus, & à ſæculari in ſpiritualem militiam digreſſus, qui ſic: *Tempore quo Rex Aragonenſis Alfonſus Regnum maioris Alfonſi Hiſpaniarum Regis iam mortui obtinebat, contigit vt contra quoſdam, qui in regione, quæ Caſtella dicitur, ei repugnabant, exercitum commoueret, & vt de ſingulis Regni ſui domibus ſinguli illuc pedites vel equites dirigerentur, edicto ſanciret. Ego edicto coactus, vnum ex mercenarijs mercede mihi ſeruientibus, Sancium nomine, ad exercitum deſtinaui. Paucis pòſt diebus decurſis, omnibuſq́; qui expeditioni illi interfuerant ad propria redeuntibus, ipſe quoque domum reuerſus eſt. Non longo deinceps tempore elapſo, more humano, morbo correptus, nec diu cum morbo luctatus, defunctus eſt. Inde poſt quatuor ferè menſes, ex quo è vitâ deceſſit, dum apud Stellam in domo meâ hiemali tempore iuxta ignem in lecto iacerem, ſubitò iam dictus Sancius circa mediam noctem mihi adhuc vigilanti apparuit. Qui igni aſſidens, & carbones, quaſi ad calefaciendum, vel ad clarificandum, huc illucq́; reuerſans, multò magis ſe mihi cognoſcibilem demonſtrabat. Erat autem nudus, & abſque omni veſtitu, excepto paruo viliq́; tegumento, quo velut inhoneſtiora corporis obuelabat. Quem cùm vidiſſem; Quis, inquam, es tu? at ille humili voce; Ego ſum, inquit, Sancius famulus tuus. Quid, inquam, hîc agis? Vado, inquit, Caſtellam; iterq́; meum multus exercitus comitatur,*

Sancij poſtuma apparitio.



*mitatur, vt vbi deliquimus, ibi & delictis pœnas debitas exſoluamus. Et cur, inquam, huc diuertiſti? Eſt, inquit, mihi ſpes veniæ, &, ſi miſereri volueris, celeriorem mihi requiem comparare poteris. Quomodo, inquam? Quando, inquit, nuper expeditioni, quam noſti, interfui, hoſtili inuitatus licentiâ, Eccleſiam quamdam cum quibuſdam ſocijs inuaſi, quæ intus ſunt inuenta diripui, veſtimenta inſuper Sacerdotalia mecum rediens aſportaui: pro quo ſpecialiter diris pœnis ſubactus affligor, & remedium à te, ſicut à domino meo, quantis poſſum precibus expoſtulo: nam poteris mihi ſubuenire, ſi beneficijs ſpiritualibus me ſtudueris adiuuare. Rogo inſuper, vt dominam meam, vxorem tuam, ex meâ parte, meâ functus vice, depreceris, ne octo ſolidos, quos pro ſeruitio meo mercenario iure mihi debebat, reddere iam moretur; & quod neceſſitatibus carnis, ſi adhuc viuerem, reddidiſſet, animæ meæ longè ampliùs his egenti, erogando eos pauperibus, largiatur. Iam ego tali eius collocutione multò magis animatus; Quid, inquam, de conciue noſtro Petro Deioca nuper defuncto actum eſt? Rogo, vt, ſi quid de illo noſti, aperias. Illum, ait, opera miſericordiæ frequenter quidem, ſed maximè præteritæ famis tempore, impenſa pauperibus, beatorum requiei adiunxerunt, & vitæ æternæ participem effecerunt. Cumq́; eum tam promptè & facilè mihi reſpondere audiſſem, adieci: Et de Bernetio alio ciue noſtro, ante paruum tempus ſimiliter, vt noſti, defuncto, aliquid tibi notum eſt? Illum, inquit, infernus poſſidet; quia ad terminandas huic villæ lites & iudicio dirimendas prælatus, multa ſæpè, muneribus aut gratiâ illectus, iniuſtè iudicauit: & quia cuidam pauperi viduæ quodam tempore baconem vnum, qualecumque vitæ eius ſubſidium, crudeliter auferre non timuit. Tunc longè ampliùs ad maiora quærenda animi feruore ſuccenſus, adiunxi: De Rege noſtro Alfonſo, ante paucos annos defuncto, tibi aliquid notum eſſe potuit? Ad hæc quidam alius in feneſtrâ capiti meo proximè ſuperpoſitâ reſidens; Noli, ait, hoc ab iſto quærere quod ignorat; quoniam recens eius ad partes noſtras aduentus hoc ei notum fieri nondum permiſit: mihi verò, cui à die obitus mei quinquennalis cum huiuſmodi ſpiritibus*

Alfonſus Rex Cluniacenſium orationibus à purgatorio liberatur.

*mora, plura quàm iſti nouiter nota fecit, quod de Rege quæris ignotum eſſe non potuit. At ego rurſus nouæ vocis auditu attonitus, ac videre cupiens vocis auctorem, conuerti oculos ad feneſtram; adiutuſq́ue lunæ ſplendore, quæ lumine ſuo omne tunc domus ſpatium clarè illuſtrabat, conſpicio hominem in inferiori feneſtræ margine reſidentem: quem in eodem habitu, quo alium videram, cernens, Et tu, inquam, quis es? Ego, inquit, eius quem aſpicis ſocius ſum, & Caſtellam cum iſto & multis alijs proficiſcor. Et tu, inquam, de Rege Alfonſo, vti dicebas, aliquid noſti? Noui, inquit, vbi fuerit, ſed verò, vbi modò ſit, neſcio: nam aliquamdiu tormentis acribus inter reos cruciatus, poſtmodum à Cluniacenſibus monachis inde ſublatus eſt. Exinde verò, quid de eo factum ſit, prorſus ignoro. His dictis, ad ſocium, qui igni aſſidebat, verba conuertens, ait: Surge, & iam iter inceptum peragere incipiamus. Ecce enim iam omnes vias, quæ intra vel extra caſtellum ſunt, ſubſequens nos exercitus ſociorum impleuit, & iam multis velociſſimè prætergreſſis, vt feſtinanter eos ſequi debeamus, vrgemur. Ad hanc vocem Sancius ſurrexit, & flebili voce quod priùs rogauerat ingeminans; Rogo, inquit, Domine, ne mei obliuiſcaris, & vt dominam meam, coniugem tuam, quatenus, quod corpori debebat, miſeræ animæ meæ reſtituat, oro, ſollicitus exhorteris. His dictis, ſtatim vterque diſparuit. At ego mox coniugem iuxta me in lecto dormientem citatâ voce exſuſcitans, priuſquam ei, quod videram vel audieram, narrarem, interrogaui, vtrùm aliquid Sancio, communi noſtro mercenario, pro mercede deberet. Quâ reſpondente, quod ego nondum ab aliquo niſi à mortuo audieram, ſe videlicet eidem Sancio adhuc octo ſolidos debere; nequaquam vltrà dubitare potui, cui fidem & mortui relatio & mulieris confirmatio conferebant. Facto manè, octo illos ſolidos à coniuge accipiens, & de meo quod congruum viſum eſt addens, pro eius qui apparuerat ſalute pauperibus diſtribui, & ſacrarum Miſſarum adiutoria ei à Sacerdotibus meâ prece & ſtudio impenſa, ad pleniorem peccatorum eius remiſſionem adauxi.*

VI. Ecce Feudatarius Monaſterij Cluniacenſis, orationibus Domi-



Dominorum feudi, à purgatorio extrahitur: vtile igitur Regibus eſt atque Principibus, Regna ſubijcere, ſub feudi titulo, ſpirituali auctoritati. Cur non & Portugalliæ Reges ex flammis temporaneis extraxerint ſuffragia Ciſtertienſium, apud quos & obſeruantia maior, & ſeuerior conuerſatio eſt?

Præter ſpirituales fauores, debet Claræ-uallenſibus inuicta Luſitania feliciſſimas militum copias, miſſas à D. Bernardo contra hoſtiles exercitus Africanorum. Vt Vlyſippo obſideretur, in cauſsâ fuit D. Bernardus; vt interciperetur, in efficaciâ fuerunt milites ab eo conſcripti. Sanctaremenſis ciuitas ſubiacuit, an ſine milite Claræ-uallenſi? Trancoſum non recepiſſet Chriſtiana ſigna, ſi reſiſtere ſuffeciſſet inſultui, quem vtrimque fecerunt Claræ-uallenſes Martes. Proceſſerunt Luſitani in Hiſpalin; & triumphali victoriâ donantur in Aljubarotâ, propter ſuppetias militares habitas ab eodem Monaſterio. Coronâ Regiâ à Summo Pontifice inſignitur Afonſus Infans; contradicit potentiſſimus Caſtellæ Rex, concedit Summus Pontifex: non enim congruum iudicauerat, hunc negare fauorem merè ſpiritualem (Coronæ temporales à Pontifice Summo non dantur) D. Bernardo procuranti. Notant noſtri, Antonius Brandao, atque Bernardus Britus, & alij plures Hiſtoriographi. Ergo Claræ-uallenſibus debent Luſitanorum Principes Coronam Regiam, expeditionum ſuppetias, auxilia, milites, victorias; & quos maioris facias, fauores incorporeos, vt in hac vitâ ſanctè vixerint, piè deuiuant, & in alterâ breuiter ex purgatorio extracti, donentur laureâ beatitudinis æternæque felicitatis.

Vide Antonium Brandao in Monarch. Luſit. p. 3. lib. 8. c. 16.

Brandao ibidem. item libr. 10. c. 12. § Affirma. Britus in Chron. Ciſt. lib. 3. & alij.

## ARTICVLVS III.

*Feudum hoc ſpirituale non aperitur Domino Claræ-uallenſi.*

CHaracteres feudi ſunt grauamina, vt vidiſti Diſp. 1. Quæſt. 1. Art. 2. ſi hæc ſint corporalia, feudum eſt tem- VII.

 porale;

porale; ſpirituale, ſi incorporea. Dominus feudi tenetur defendere vaſallum: ergo qui tenetur defendere incorporeis auxilijs, non niſi ſpiritualis feudi Dominus eſt nominandus. Se ſubiecit Claræ-uallenſi Antiſtiti Afonſus Rex, *vt per eum cæleſtium bonorum particeps diuinitus efficeretur. —— cupiens & Beatam Dei Genitricem apud Deum aduocatam habere, ſe ipſum, Regnum ſuum, gentem ſuam, & ſucceſſores ſuos ſub Beatæ Mariæ de Clara-ualle tutelam, protectionem, defenſionem & patrocinium conſtituit.* Claræ-uallenſium obligatio in feudi inſtitutione exponitur his verbis: *Fratribus verò in dicto Monaſterio de Clara-ualle, & in alijs ſui Ordinis Domino famulantibus, cura erit ſtatum Regni noſtri Deo deuotè commendare, & animam meam, & parentum meorum, Miſſis & vigilijs adiuuare: & de feudo ſeu vaſallitio altare Beatæ Mariæ reparabunt.* An hîc aliqua, quæ non ſit ſpiritualis circumſtantia? ergo & feudum eſt ſpirituale.

Sunt verba inſtitutionis feudi. Habes integram ſuprà Art. 1. huius Quæſt.

Vt ex eâdem Inſtitutione cognoſcitur, ordinatur hoc feudum Afonſo Regi, & *omnibus & ſingulis ſucceſſoribus ſuis in hereditatem huius Regni legitimè intrantibus.* Ergo feudum hoc in præſentiarum non poteſt aperiri Claræ-uallenſi Abbati, cùm ſuperſint nepotes Potentiſſimi Emanoëlis Regis: ex quibus eſt vnus aut alter (ſed de hoc inferiùs) qui heres legitimus intrare debeat in Regni hereditatem.

*Potior difficultas.*

Fateor, difficultatem eſſe potuiſſe intricatiorem tempore interregni, cùm, mortuo Ferrando, huius nominis primo, remanſit (vt ſententia Luſitanorum aliquot ediſſerit) Corona ſine herede: tunc enim feudum aperiebatur (vt ſuprà de Pontificio diximus) Claræ-uallenſi Abbati; & poterat illud reſumere, & quemuis alium inueſtire.

## CONCLVSIO.

VIII. MAneat ergo inconcuſſum, hoc feudum Regiè-Luſitanicum non aperiri, nec Romano Pontifici, neque Claræ-uallenſi Abbati.

*Aperiri feudum ſpirituale, quid ſit.*

Adiungo, hoc eſſe feudum ſpirituale; perinde, ſiquando in



in poſterum legitimi heredes defecerint, dictis Dominis (nempe Pontifici & Abbati) ſpiritualiter aperitur: & poterunt tales Domini, vnuſquiſque in ſuâ ſerie, hoc feudum, quà ſpirituale, reuocare: hoc eſt, Pontifex reuocare poterit gratias, indulgentias, ac deuotionis priuilegia, quæ feudatarijs his conceſſerat, & alium inueſtire, ſcilicet has gratias alij cuiuis concedere. Item Claræ-uallenſis Abbas, & omnes illius Monaſterij Religioſi, qui feudi huius titulo tenentur ſpecialiter pro Rege Afonſo & ipſius ſucceſſoribus orare, atque ſuffragia celebrare, erunt liberi ab hac obligatione.

## N O T A.

ROgas, vtrùm teneatur Luſitania pendere huic Monaſterio illos quinquaginta morabitinos auri? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt; quia ſoluebantur ad indicium deuotionis: & hæc obligationem non inducit, niſi aliunde firmetur. Præterea, vt ex ipsâ feudi inſtitutione colligitur, Afonſus non promittit, aut vouet ſe daturum eſſe talem ſingulis annis quantitatem, ſed ordinat & mandat ſucceſſoribus. *Ordinare* autem, *mandare* & *commendare*, Hiſpanè *encomendar*, verba ſunt conſulentis, & non exprimunt ſummam auctoritatem: hæc enim exponitur verbo *iubendi* & *præcipiendi*.

Lege ea quæ præſcripſi ſuperiùs Diſput. 1. huius Libri, paulò ante finem, in coronide.

# DISPVTATIO III.

## *Vtrùm Sereniſſimi Infantis Ludouici Filius Antonius fuerit verus legitimuſque Rex Luſitaniæ.*

AEIΠYPIAN nominat Aëtius febrem, in quâ humor ſecretè ardet, rigeſcitque cùm primùm exteriùs exhalatur. Leipyrica, cùm penitiùs examino, iuſtitia eſt illorum qui Catholici Regis legitimum ius inſectantur. Sunt equidem horum rationes ſecretiſſimæ; igneæ, dum tales; frigidæ, cùm primùm publicatæ.

I. *Leipyricæ rationes: quæ?*

II. Multos vidi in diuerſis Regionibus Catholico Regi non ſubditos, qui varijs vijs nitebantur defendere ius Antonianum; quorum ſingulis opus eſt in præſentiarum ſatisfacere. Rationes Analogiſmis eneruabo: quos, potiùs quàm flore, ſpinâ induere inſtituero, vt acriores euadant. Parcat decor Rhetoricus,cui efficaciam præponere malo.

III. *Diuiſio anteponitur diffinitioni: quando?* Diuiſionem in Æquiuocis diffinitioni anteponebat Plato: cur non hîc eſſem, qui & vbique Platonicus? Diſputatio hæc laborat æquiuocatione; oportet ideò Antagoniſtas in Claſſes diſtribuere, vt contra ſingulos Theoremata diffinitiua inſtituere, roborare ac propugnare ſufficiamus.

IV. *Quibus Antonius titulis Rex Luſitaniæ diceretur.* Vidi Pariſijs reſolutionem aliquot Doctorum Legiſtarum, qui Antonio Regni ius adtribuebant: alij, quà electo à populo (imò & ipſe Antonius hoc titulo ſe aſpirare ad Regnum declarat in Epiſtolâ ad Gregorium XIII. vt videbis inferiùs num.103.) alij illi Coronam concedebant quà legitimo Filio Sereniſſimi Ludouici Infantis: nonnulli quà legitimato à Pontifice: nonnemo, quà legitimato à Potentiſſimo Rege Sebaſtiano. Nullus hucuſque aliâ viâ tueri decreuit illius partes; atque ideò, ſi has ſemel præcluſero, nullus in poſterum patebit aditus Antonij cauſſam propugnantibus.

## QVÆSTIO I.

### *An Dominus Antonius, quà creatus à populo, ſit legitimus Rex Luſitaniæ?*

### ARTICVLVS I.

*Sebaſtianus transfretat in Africam: pulchrâ morte occiditur. Succedit illi Abbas Cardinalis Henricus. Albanus Luſitaniam ingreditur. Sanctaremenſes creant Antonium Regem.*

V. *Occaſio expeditionis Africanæ.* CVm Potentiſſimus Luſitanorum Monarcha Sebaſtianus ad viginti quatuor annorum ætatem deueniſſet, à Muleio Mahumeto Mauritaniæ Rege, qui à Muleio Maluco



Maluco expulſus fuerat, litteris, legatis fœderibuſque ſollicitatur. Acquieſcit adoleſcens Rex, &, ductus virtute bellice-generosâ, ſtatuit militem inſtruere, quo Regi exuli rebelles Prouincias ſubiugaret. Vt igitur tutiùs tantâm prouinciam poſſet aggredi, ſuppetias poſtulat ab auunculo Rege Catholico. Philippus huic petitioni annuens, quinquaginta triremes benè inſtructas, & quatuor armatorum millia pollicetur. Interim & Maximus Turcarum Imperator claſſicum exorditur, atque nauim plurimam præparat, tantumque legit militem, vt fama cogeret vniuerſos Europæ Principes ſibi conſulere, & proprijs Regnis prouidere. Prouidè Rex Catholicus maritima lecto milite roborat; & Sebaſtiano conſulit, ne, relictâ Europâ, traijciat in partes Africanas. Metus nomine arguitur, quod poſteà prouidentiæ laureâ celebratur. Remanet Caſtellanus miles, transfretat Luſitanus, & ſecundis ventis deducitur in Mauritaniam. Quinta Auguſti dies, nigro notanda lapillo, eum vidit in Alcaçario campo viribus imparem; Maurorum exercitu potiùs inundatum,quàm victum.Cingebat numeroſus barbarus, qui non poterat non ſuperare; ſuperior Sebaſtianus animo, circumagentes vndequaque proſternit, & emit hoſte plurimo occiſo fortitudinis laurum, ac, fugâ contemptâ, dum non vinci non poſſet, exhibuit ſe Prototypon generoſitatis. Occiditur, non tamen vincitur; quia nec Hercules contra duos; & ipſe teſſeris impar, decuplum militum numerum aggrediebatur. Occiditur etiam Mahumetus, cuius partes tuebatur; cùm interim Muleius Malucus, qui accuſabatur Regni crudelis vſurpator, occumberet in eodem conflictu. O memorabilis! non poteris conflictus excidere ex hominum reminiſcentiâ, qui trium Regum ſanguine in barbaro campo deſcriberis. *Tres Reges occidunt: duo occiduntur.*

Occubuit inibi multa nobilitas Luſitanorum, exque Regni Primatibus non pauci. Vulgus non ſine lacrymis ſexcentos nobiles deſiderabat: occubuit plurimus fortunæ-miles, tunc temporis ſine fortunâ. Nemo fugiebat gladium; VI. *& nobiles plurimi.*

dium; is tamen pauciores quoſpiam fugit, vt in captiuitatem miſerrimè redigerentur: inter quos & D. Antonius, Infantis Ludouici Filius.

VII. *Guſtaui Suecorum Regis lemma poſtumum,* PVLCHRVM MORI.

Vix Mars Luſos illuſerat, quando fama, ſiue per vndas volans, ſiue per aëra nauigans, in Portugalliam transfretauit centenis oculis lacrymans, millenis linguis elegos perſonans, vt innoteſceret Sebaſtiani generosè-fortiſſimi ac Luſitanorum pulchrum-mori.

VIII. *Henricus acclamatur Rex.*

Remanſerat Vlyſſipone Henricus Quintus Emanoëlis Filius, ac perinde Sebaſtiani Propatruus, Ciſtertienſis Abbas, & S.R.E. Cardinalis. Hic non eligitur, ſed declaratur & acclamatur verus Succeſſor Sebaſtiani. Satur dierum, tollitur poſt vnum annum.

IX. Henrico poſtumo dum populus honores debitos ſolueret, vnuſquiſque candidatorum aſpirat ad poſſeſſionem Regni. Albanus Dux nomine Catholici Regis Luſitaniam ingreditur, & occupat duo oppida in Caſtellæ confinibus, quæ vocantur Eluas & Campus-maior.

X. *Eligitur Antonius in Regem.* *Iactus lapilli gentilis ritus.* *An metaphoricè vel propriè in præſentiarum debeat accipi, viderit Auctor.*

Exacerbantur Luſitani inaſſueti militari ſtrepitui, & Sanctaremenſium aliquot tam ex nobilibus quàm ex Clero ſimul conueniunt, & ritu Gentilitio iactu lapilli (de more, *vt dicitur in Antonij Explanatione pag.*31. *poſt med.*) vel auſpicantur opus, vel petunt mutè-vocalia oracula de re futurâ. Properant confeſtim ad Antonium, qui tunc temporis erat in quadam ædiculâ contiguâ mœnibus, & ibi illi omnes vnâ voce eum acclamant atque ſalutant Regem, deducuntque in ſummum eius oppidi templum, ac pòſt in domum ciuicam: & ibi erigentes haſtam ſtemmate Luſitano inſignem, additis alijs ſolemnitatibus, eum iurant Luſitanorum Regem: deinde hilari applauſu per *Sancto-Milagre* (templum eſt illuſtriſſimum) & alia loca conſueta ad Palatium deducunt.

Ita hæc ediſſerunt Antoniani; adduntque, omnia in domo Sanctaremenſium ciuicâ in libro ciuitatis auctoritate publicâ deſcripta reperiri, ac ideò eſſe certiſſima, & nulli dubitationi obnoxia. Nos licet ancipiti ideâ circumſtantias has examinemus, præter rationes communes, quæ demonſtrant in tumultuantibus rebus eſſe difficile examen veritatis, nullam habemus penitiorem, vt negemus ea quæ hucuſque pro ſe expoſuerunt Antoniani: idcircò quid facti, vt fuerat recenſitum, concedimus; quid iuris, ex circumſtantijs ipſiſſimis manifeſtabimus.



## ARTICVLVS II.

### *Populus non habuit auctoritatem vt eligeret Regem.*

XII. *Succeſſio triplex.*

Triplex modus ſuccedendi in Regnis: nempe iure Electionis, Sanguinis, ac Hereditatis. Hæc iura ſic Doctores exponunt. Iure Electionis ille eſt Rex, qui Dignitatis capax eligitur ab habentibus actiuam vocem. Ille ſufficitur iure Hereditario, qui eſt propinquior vltimo Poſſeſſori; ille iure Sanguinis, qui propior eſt inſtitutori, ſiue, quod idem erat, Regi primo. In præſenti quæſtione ille iure Electionis acclamaretur Monarcha Luſitaniæ, qui à legitimis Electoribus nominaretur: ille iure Sanguinis, qui propinquior primo Luſitaniæ Regi Afonſo Henriquez: ille autem Hereditatis iure, qui propinquior Henrico vltimo Poſſeſſori. ex quibus Principijs ſit Concluſio:

XIII. *Antonius non fuit Rex quà electus.*

*Antonius non fuit Rex Luſitaniæ quà electus à populo.* Probatur, quia Reges Luſitaniæ & Algarbiæ non Electione creantur, ſed acclamantur Succeſſione. Vt hæc probatio maiores vires habeat, tria tempora conſiderare oportet, in quibus hæc Regna habuerunt Reges. Primum, in quo, ſubiugatis Mauris, vnita fuerunt Regnis, Legionenſi videlicet & Caſtellano. Secundum, in quo ab ijſdem diſciſſa cœperunt ſeorſim eſſe Regna. Tertium, in quo perennauit Regum vera ſucceſſio.

XIV. Quantum ad tempus primum attinet, diffiteri non poterunt, qui legerint Hiſtorias Luſitaniæ, Regem Caſtellæ atque Legionis Fernandum, cognomento Magnum, fuiſſe

 primum,

primum, qui poſt Maurorum irruptionem cœpit armis hoc Regnum à tyrannide Mahometanorum expedire, & à ſeruitutis ignobili iugo liberare. Subiugauit aliquot caſtra & munimenta, quæ antiquiores Legionis Monarchæ perdiderant aduerſo Marte. Teſtis inter alios diligentiſſimus ſit Garibayus *libr.*11.*c.*2. *&* *libr.*34.*c.*4. Hanc expeditionem contra Mauros, cui exordium dederat Fernandus Magnus, inſtituit, iniuit, continuauit Comes Henricus, & qui ab eo exorti ſunt Reges Luſitaniæ. Conſtat ex Chronicis Regis Afonſi I. Sanchij I. Afonſi II.

*Expeditio contra Mauros incipit: à quibus?*

XV. Prætereà conſtat, auſpicijs Regum Fernandi III. & Alfonſi, cui peritia penitior ſidereæ facultatis tribuit Sapientis cognomen, initium ſumpſiſſe expeditionem contra Mauros, qui Algarbicam regionem fraude olim ac proditione ſubiugauerant. Conſule & horum Regum Chronica, & prætereà Afonſi III. Luſitaniæ Regis acta ſexto capite. Huic expeditioni Alfonſus Tertius felicem exitum impoſuit, vt notat Chronologus ab vndecimo capite.

XVI. Hæc omnia adeò ſunt certa, vt coëgerint Auctores omnes aſſerere, Hiſpaniarum Reges liberrimè poſſidere Regna, quæ Mauris eliminatis ſubiugarunt. *Gloſſ. pen. in c. Hadrianus.*2.63.*diſt. Oldradus conſt.*69. *& alij quos refert Couarruuias in reg. Peccatum.*2.*p.*§.9.*Afflict. in Prælud. conſt. p.*2.*n.*3. *Perez ad.l.*3.*tit.*3.*libr.*1.*Ordina.col.*2.*Roxas in Epitom. ſucceſſ. c.*23.*n.*83. In particulari hanc libertatem ac ſummam exemptionem Regibus concedunt Luſitanis, *Ferret. de Iuſto bello, n.*24.*Nauarr. d. not.*3.*n.*165. Huius liberrimæ dignitatis atque potentiæ abſolutiſſimæ rationem qui inueſtigas, conſule *l. Naturalem. c. vlt. ff. de Acquir. rerum dominio, & l. Si captiuis. ver. Publicatur. ff. de Captiu. leg.*5. *& leg.*19.*tit.*26.*p.*2. *& à l.*20. *tit.*28. *par.*3. *text. opt. in cap. Abbate. de re iud. in* 6. vbi ab infidelibus loca conquiſierit, *&* vbi ſua propria facta eſſent. *iunctâ Gloſſ. ibidem. ver. Ab infidelibus.* vbi allegatur Innocentius, *diuum Thom. libr.*3. *de Regim. Principum, c.*11. *Ariſtotelem libr.*1. *Politicorum, c.*4. *& ſi libeat, alios, quos recenſet Couar-*



*Couarruuias d.*2.*p.*§.11.*n.*1. *& n.*6. *verſ. Res autem.* & reperies hanc Propoſitionem eſſe indubiam: nempe, *Quidquid bello iuſto acquiritur, eſt proprium acquirentis.* Cui ſi ſubiungas hanc, *Atqui Luſitani, & reliqui Hiſpaniarum Reges bello iuſto Africanos aduenas eliminarunt*; non poteris non elicere hanc Conſequentiam: *Regum ergo Hiſpanorum eſt, quodcumq; contra Maurorum tyrannidem eſt ſubiugatum.* Conſequentia eſt legitima; Maior iam demonſtrata: Minor liquet ex dictis, ſed liquidiùs conſtat teſtimonijs Felini, *in cap. Non liceat. col.*5. *de præſcript.* Auendañi, *lib.*1.*de Exequend. mand. c.*1.*n.*7. *& c.*4. *in principio.* Ferdinandi Mencha, *Illuſtr. c.*81. *num. vlt. verſ. Ergo cùm noſtri.* Ioannis Garcia *de Expenſis c.*9. *num.*68.*cum ſeq.* Burgos *in Procœmio ad leg. Taur. num.*32. *& num.*144. agentium in communi de Hiſpaniâ, ſed poſt Andream Siculum, *Conſt.*11.*l.*1. & Gaſparem Velaſquez. Citatus Burgos optimè hanc regulam etiam extendit ad Regnum Luſitaniæ. Ideò optimè Brandao *Monarch. Luſit. Part.*3. *l.*8. *cap.*11. §. *Edaqui.* hanc veritatem expendit iſtis verbis: *Donde fica claro como as Terras, que os Reys de Heſpanha tomauão aos Mouros, erão de quem primeiro as occupaba.* hoc eſt: *Ex his liquet Terras, quas Hiſpaniarum Reges à Mauris interceperant, eſſe primò occupantis.*

Vides igitur Regna, Algarbicum & Luſitanum, vtpote iuſtiſſimo bello ſubiugata, propria fuiſſe victoris: atqui bona propria iure communi transferuntur ad poſteros hereditariò, non autem electiuè; ergo iure communi hæc Regna non per modum electionis transferuntur, ſed per hereditatis, *Text. in d. leg. Naturalem.* §. *vlt. text. in* §. *Item ea. Inſt. de Rerum diuiſione. l. vlt. verſ. Simili modo. c. de Donat. c. Ius militare. diſt.*1. *ſi iunxeris & ea quæ habentur tit. Inſt. de Hered. quæ ab inteſt. defer.* XVII.

*Bona propria deferuntur: quo iure?*

Standum eſt Regulis communis Iuris, cùm nullum eſt particulare, vt aſſerunt Doctores vniuerſi: vnde de Regnis philoſophari oportet eodem modo ac de diuitijs, ſupellectilique particularium, vt expreſſis terminis docent omnes, XVIII.

 *ex*

*ex Gloſſ. verb. In publ. per. text. ibi in l. Item veniunt. §. Ait ſenatus. verſ. In priuatorum. ff. de pet. hered.* atque præcipuè Tiraquellus *de Retr. tit.*1.*§.*1.*gl.*14.*num.*100. Antonius de Padilla *in l.*2.*nu.*20.*c. de Tranſact. & l. Si manifeſtè. n.*3.*c. Seruit. & confirmatur ex Ord. lib.*2. *tit.*17. *§.*6. *& lib.*4. *titul.* 62. *§.*5. Atqui nullo particulari iure, nullâ peculiari conſtitutione aut lege decernitur in Luſitaniâ, Regnum deferri ad poſteros per electionem: igitur ſucceſſio, non electio indigitat legitimos Luſitaniæ Reges.

XIX. *Secundum tempus.* Hæc dicta ſint de primo tempore, cùm Regna, Algarbicum & Luſitanum, vnita fuerant Legionenſi, necnon Coronæ Caſtellanæ. Tranſeamus igitur ad ſecundum prædiffinitum tempus, ad Reges inquam illos, qui ante Comitem Luſitaniæ Henricum Prouincias iſtas gubernarunt. Lege Chronicum Regum Caſtellæ, & reperies, Ferdinandum Magnum Regna ſua diuiſiſſe inter filios; vnde D. Garciæ contigit Galizia, & Luſitania, atque titulus Regis. *Garibayus libr.*34. *c.*4. *pag.*773. *Ioannes de Roxas in Epitom. Succeſſ. c.*5. *n.*30. Ferdinando ſuccedit Garcia filius independenter ab electione populi: ergo illo tempore hæc Regna non ſuffragijs, ſed hereditario iure ratiſſimo deferebantur.

XX. Succedit poſteà Alfonſus fratri Sancio, & ſolus gubernat Caſtellam, Legionem, Luſitaniam; & hoc ſine electionis aliquâ ſolemnitate, vt ex ipſius Hiſtorijs conſtat: in quibus nemo legerit vel annotarit aliquam circumſtantiam, ex quâ liceat colligere, iure electionis, & non hereditatis, Regnis his maximis præfectum fuiſſe.

*Luſitaniæ ab alijs Regnis ſeparatio.* Separat Alfonſus à Legione atque Caſtellâ Luſitaniam, nempe inconſulto populo: exſpoliat eam titulo Regni, & donat Comitatus; dat ſuæ filiæ Tareiæ in dotem, & ipſius ſucceſſoribus in hereditatem, *Chronic. Regis Alfonſi I. c.*1. *Garibayus c.*4. Ergo Reges Luſitaniæ non dependent à ſuffragijs & electione populi.

XXI. *Obiectio.* Hîc aliqui rerum Luſitanarum docti laborant peſſimâ ignorantiâ. Principium, aiunt, eſt regula quæpiam reliquorum: atqui Afonſus Henriquez eligitur à populo Luſitanorum Rex; ergo & reliqui deberent eligi: vnde ſi aliquando vidimus filios patribus ſuffici, vel hoc fuit factum ex conſenſu & electione populi, qui poterat dare Regnum vel peregrino, vel filio deuiuentis Regis; vel, ſi malis, ex tyrannide Principum à populis eliminandâ.



Hæc ſanè obiectio ex ſuperficiali librorum lectione exordium ſumpſit; apparet efficax vacillantibus oculis, non verò lynceis. Tene Hiſtoriam. Comes Luſitaniæ Afonſus primus iure hereditatis ſucceſſit Henrico Luſitaniæ Comiti, bella mouit contra Mauros acerrima, in Campo Ouriquio ſigna dirigit contra quinque fortiſſimos Reges Africanos; creatur Rex à populo herculè non dante Luſitaniæ poſſeſſionem, quam præhabuerat heres, ſed inſigniente nouis honoribus & titulis inuictæ maieſtatis. *Lege Chronic. c.*5. *&* 16. *Garibayum libr.*34. *c.*8. XXII. *Satisfactio.*

Dices: Ergo ſaltem titulus Regis, qui fuit datus à populo, obtineri non poterit ſine populi expreſſo conſenſu. Reſpondeo primò ex eorum ſententiâ, qui credunt titulos Regum poſſe aut debere dari à Summis Pontificibus, hunc Regis Sereniſſimum titulum, quem priùs à populo, accepiſſe poſteriùs à Pontifice Romano liberaliter hunc concedente, non ſolùm ipſi Afonſo, ſed & poſteris eius. Bullæ Pontificis formalia verba ſunt hæc: XXIII.

*Proinde nos attendentes perſonam tuam, ſub Beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, & Regem Portugalliæ redintegritate honoris, Regniq́ dignitate, quæ ad Reges pertinet, & alia loca Excellentiæ tuæ concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus: hæc ipſa præfatis heredibus tuis duximus concedenda, eoſq́ ſub ijs quæ conceſſa ſunt Deo propitio pro iniuncto nobis Apoſtolatus officio defendimus*, &c. XXIV.

Cur hoc omitterem? à quingentis annis nondum erat hæc, quæ hodie graſſatur, vel ineptia, vel ſuperſtitio titulorum. Tunc temporis Illuſtriſſimi nominabantur Reges, XXV. *Titulorum ſuperſtitio taxata.*

Reges, hodie homines particulares. Sed ſiſte calame, reuertere ad rem, & intermitte digreſſionem.

Suppoſitâ auctoritate Pontificiâ creandi Reges; ex hac Bullâ, quæ exſtat in Archiuo Eccleſiæ Toletanæ, & publicatur à Bernardo Brito *in Chronico Ciſt. libr.3. cap.4. & 5.* & à Licentiato Gaſpare Aluares de Louſada, & ab Antonio Brandao *in Monarchiæ Luſit. libr.*10. *c.*10. conſtat, Filios Regum maiores inconſulto populo debere ſuccedere parentibus defunctis non ſolùm in poſſeſſionem regionis, ſed & in auctoritatem, atque titulum Regum.

XXVI. Ceterùm, cùm mihi ſit improbabile, Pontifices poſſe ſe directè intermiſcere rebus merè politicis (vt omittam diſpoſitiones indirectas, vel eas quæ fuerint erga res non merè politicas, de quibus maior eſt difficultas) de hac tituli confirmatione Pontificiâ non curo, niſi vt plurimùm dixeris conceſſiſſe Afonſo eſſe Regem Eccleſiaſticè, hoc eſt, participare indulgentias & gratias conceſſas Regibus Chriſtianis; quod & mancipio ex cauſsâ potuiſſet concedere Pontifex Summus; ſed tunc illud non eſſet politicè agere vel eſſe Regem, ſed neque liberum.

Ceterùm, neque ipſi Pontifices concedunt Regum ciuiles titulos: credunt enim ſe id non poſſe efficere, nec potuiſſe ſuos anteceſſores. Vnde ſcio? demonſtro Innocentium II. non creauiſſe Afonſum Regem Luſitaniæ. declarauit Innocentius Tertius his verbis: *Ceterùm, cùm idem Pater tuus vſque ad tempora felicis memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri Ducis eſſet nomine appellatus*, &c. Hæc declaratio citatur à Baronio *anno* 1179. *Tom.*12.*n.*16. à Brandao *in Monarch. Luſit. libr.*10. *c.*10. Ergo Innocentius II. non fecit Afonſum Regem ciuilem Luſitaniæ, ergo non potuit; quia certum eſt, diplomate publico coronam Regiam conceſſiſſe. Et poſitâ conceſſione, & concedendi auctoritate, effectus tenet: & ſi is non tenet poſitâ conceſſione, certum eſt non tenere defectu auctoritatis. Hanc Bullam reſumo, & accuratiùs expendo *Diſp.*2. *num.*16. Ergo corona à Pontifice



tifice Summo conceſſa non erat politica, ſed ſpiritualis.

Addo autem titulum Regis non ſolùm Regi Afonſo, ſed & poſteris eius à populo conceſſum eſſe. Conſtat ex Comitijs celebratis ſub Afonſo I. quæ publicauit Antonius Brandao in ſuæ Monachiæ l.10. c.13. in quorum §.3. hæc leguntur: *Viuat Dominus Rex Afonſus, & habeat Regnum. Si habuerit filios varones, viuant, & habeant Regnum; ita vt non ſit neceſſe facere illos de nouo Reges. Ibunt de iſto modo: Pater, ſi habuerit Regnum, cùm fuerit mortuus, filius habeat; poſteà nepos, poſteà filius nepotis, & poſteà * filios filiorum in ſæcula ſæculorum per ſemper.* Ergo quid clarius? à populo decernitur, non indigere poſteros populi auctoritate, non ſolùm vt præficiantur Luſitaniæ, ſed etiam vt Reges nominentur. XXVII. *Regis titulus conceſſus quibus?* * *Filij filiorum*

Subiungam aliam rationem, probaturus hæc Regna non dependere à populorum electione. Dico: Dos Matris iure hereditatis defertur ad poſteros, *Palacios de Iuſt. & iure obt. & rec. Regni, Nauarrus p.*6. *§.*10. *verſ. Ab ipſo.* cui iungatur *l.*3. *§. Sed verum. in fine; vbi* dos proprium patrimonium eſt, *ff. de Minor. l. In rebus. C. de Iur. dotis.* Regnum Luſitaniæ eſt dos Matris, Chron. *c.*16. Brandao *Monarch. Luſ. p.*3.*lib.*8.*c.*8. Ergo poſterorum patrimonium eſt. Atqui independenter à populi conſenſu filius debet habere proprium patrimonium; filij ergo Regum Luſitaniæ inconſulto populo ſuis patribus debent ſuccedere. XXVIII. *Satisfactionis confirmatio.*

Leges Regni Algarbici, ſi attentè Chronica atque Hiſtorias legeris, æquâ poteris callere certitudine. Alfonſus Sapiens Caſtellæ Rex ſubiugauerat plura oppida eiuſdem Regni inconſulto populo; nullâ illius aut proteſtatione aut renitentiâ dedit Afonſo Tertio Luſitaniæ Regi ſuo genero & Beatrici filiæ in dotem, atque ſuis nepotibus (nempe Beatricis filijs) in hereditatem. *Vide Chron. Afonſi III. cap.*10. Ergo populus non ſeparauit Algarbicum Regnum à Caſtellâ & Legione, ſed iure dotis Beatrix obtinuit à parente; ergo independenter à populo Beatricis filij habebunt iure hereditatis. XXIX. *Brandao diſſentit in tempore, non in re.*

Venia-

XXX. *Tertium tempus.*

Veniamus igitur ad prædiffinitum tertium tempus, nempe ad Afonſi Luſitanorum primi Regis poſteros. Vocat is ad Comitia; & declarat populus ſe non debere eligere Succeſſores in Reges, ſed eos tales futuros, qui & heredes, vt vidimus n.27. ergo populus non habet ius ad electionem.

XXXI. *Vtrùm Comitia hæc ſint authentica?*

Dices, litteram horum Comitiorum non eſſe authenticam; quia reperitur apud Brandao, & prætereà apud neminem.

Reſpondeo, ſufficienter authenticam eſſe, cùm ille auctor ſit claſſicus, & diligentiſſimus in rebus arcanis explicandis, nihilque aſſerens, quod non probet aliorum teſtimonijs. Præterea Comitiorum littera confirmatur ex reſcripto Regio conceſſo in fauorem Eccleſiæ Claræ-uallis; & exſtat originaliter in Alcobaciæ Archiuo, vnde tranſſcripſit Brandao, & edidit *in ſua Monarchia Luſit. libr.*10.*c.*12. ex quo vtilia nobis hæc verba: *Conſtituo, & conſtituta fore decerno, ordinando & mandando omnibus & ſingulis Succeſſoribus meis in hereditatem huius Regni legitimè intrantibus.* Quid clariùs? Ecce Afonſus, primus Luſitanorum Rex inſtrumento publico diffiniuit, hoc Regnum non niſi iure hereditario ad poſteros poſſe deferri.

Ceterùm admittamus, Comitiorum ſtatutas leges nos ignorare; an ideò nequeunt per diſcurſum euidentem cognoſci? Tene. Talis credenda eſt lex, qualis fuerit praxis atque vſus qui in republicâ laudabiliter conſeruatur. Ita Baldus *in cap. Quid iuris ſit ſi poſt alien. vaſſal. feud. recup.* Gregorius Lopez *ad leg.*3. *verb. Algunas poſturas. titul.*25. *part.*4. Atqui in vſu fuit, quòd Succeſſores iure hereditario, & non electiuo, defunctis Luſitaniæ Regibus ſufficerentur; leges ergo de ſucceſſione non niſi hoc diſpoſuerunt: eſſem enim temerarius iudex, qui crederem ſine fundamento latas eſſe in his Regnis leges, ſolummodò vt temerarentur; vel ſaltem bono fine inſtitutas, perpetuò fuiſſe temeratas.

XXXII. Succeſſione delatum eſſe Regnum Luſitanum ad poſteros



ſteros, conſtat ex Luſitanis Hiſtorijs vniuerſis. Rex Afonſus Primus inconſulto populo ſucceſſit heres Comiti Henrico deuiuenti; & poſteriores eodem iure maioribus fuerunt ſuffecti vſque ad Regem Sancium II. incluſiuè. Hic obijt ſine filijs. A Pontifice Summo propter cauſſas legitimas (tamquam à communi amico Regis & populi) inſignitur Afonſus Boloniæ Comes, Regis frater, Procuratoris titulo: in cuius declarationis Diplomate alia alij conſideratione digna ponderent, ego hoc vnum annoto. Ea propter (ait dictus Pont. Innocentius Quartus) inſtituitur fratris ſui in Portugalliâ Procurator, quatenus ille & filijs careat, & deuiuenti ſine filijs fratri frater debeat ſuccedere, iuxta leges auitas, & conſuetudinem perennem Regni. *Bullæ iſtius Protocolon reperitur in Turre do Tombo in Bullarum ſcrinio: refertur cap. Grandi. de Suppl. negl. præl. in* 6. *& in Chronicâ Regis Sanchij II. cap.*6. *& apud Garibayum libr.*34. *cap.*19. Romanus ergo Pontifex in eâ erat ſententiâ, vt crederet hæc Regna deferri ad poſteros per ſucceſſionem.

*Fortiſſimum argumentum, quod deducitur à conſuetudine.*

Hanc Bullam habes Libro hoc 5. Diſp. 1. Quæſt. 2. num. 19.

XXXIII. Ab Afonſo III. ad Ferrandum, & ex Ioanne I. ad Henricum tota Regum ſeries inſtituitur iure hereditario; ita vt omnium Regum Portugalliæ vnus Ioannes I. à populo fuerit electus; quia cùm Fernandus, iuxta Portugallenſium opinionem, non ſolùm ſine filijs, ſed & diſcederet etiam ſine heredibus, nullus erat qui iure hereditario potuiſſet aſpirare ad ſceptrum: & ideò integrum fuit populo ſibi Regem eligere patriam propugnaturum. *Vide horum Regum Annales, & Garibayum lib.*34. *per totum.*

Vtrùm Ioannes Magiſter Auiſenſium legitimè fuerit electus, ediſſero ſuperiùs Lib. 3. & 4.

*Illatio.*

Ex ijs igitur omnibus manifeſtè colligitur, populum nullum ius habuiſſe, vt crearet, defuncto Cardinali ac Rege Henrico, Regem Antonium; ac perinde electionem hanc fuiſſe nullam, vtpote factam à non habente auctoritatem; ac tandem ipſum Antonium, quà à populo creatum, fuiſſe non legitimum, ſed intruſum Regem Luſitaniæ.

## ARTICVLVS III.

*Obiectiones aliquot inſtituuntur, diſſoluunturq́;.*

XXXIV. VT clarior euadat præcedentis doctrinæ certitudo, placuit addere omnes illas rationes, quas olim Doctor Fernamus de Pinâ Marecos pro populi libertate edidit; vt, cùm ijs ſatisfaciam, nihil remaneat in hac cauſsâ quod vlteriore egeat ſatisfactione.

### OBIECTIO PRIMA.

*Defenſio naturalis eſt.* ANimantibus ſingulis in curâ, hominibus in obligatione maximâ, propria defenſio. hæc conſeruat atque tuetur vniuerſos. Propriæ homines exponunt defenſioni nunc ſe ipſos, nunc alios quos eligunt propugnatores. *l.Vt vim.ff.de Iuſt.iuncta reg.Poteſt quis.de Reg.Iur.in 6. Vide Ariſtotelem, Tullium, quos ſequitur Dominicus Soto de Iuſt. l.4. q.4. art.1.q.2. Innoc. in cap. Quod ſuper. in princ. de Voto. Mart.Nauarrus in Rep. cap.Nouit.not.3.nu.96. de Iudic. Didacus Couarruuias Pract.c.1. n.2.* Non aliter corpus Politicum, ſiue Reſpublica, quæ nihil aliud eſt quàm communitas ex pluribus ſub æquis legibus coaleſcens, ſe debebat defendere, regere, tueri, conſeruare; & hoc vel per aliquem, vel per aliquot ob id muneris interlectos ab eâdem Republicâ. *l.1.ff.de Conſt.princ.* (*ibi*, Populus omne ſuum imperium & poteſtatem.) *l.2.§.Exactis.1.& §.Deinde.ff.de Origine iur.iuncta regul.Quod omnes.de Reg.Iuris,in 6.& l.Id quod noſtrum.ff. Eodem titulo.* Ita hoc reſoluunt D.Thomas 1.2. *q.97. art.3. ad 3. & lib.1. de Regim. Princ. c.2.4.5. & 14.* Franciſcus Victoria *de Poteſtate ciuili à num.7.* Alfonſus à Caſtro *de Lege pœnali l.1.c.1.fol.5.* & probat *ex l.7. tit.1. p.2.* vbi Gregorius Lopez *ver. Ouieſſe.* Couarr. *c.1. n.2.* ex hac doctrinâ argumentantur ſic:

Reſpublica, deficiente Rege, debet ſibi prouidere Regem à quo defendi queat, & protegi. Poſtumo Henrico Rege Cardinali



Cardinali fatis erepto, remanſit Luſitania ſine Rege & lege: potuit igitur & leges ferre, atque Regem eligere. Atqui elegit Antonium: eſt ille igitur legitimus Rex Luſitaniæ.

Reſpondeo: Reſpublica, vt optimè expendit argumentum, poteſt, imò tenetur ſibi eligere caput, à quo regatur, propugnetur; non autem inde ſequitur, deuiuenti cuicumque Regi debere alium ſufficere creareq́ue per nouam electionem: ſufficeret enim vnam Genealogiam aut aliam elegiſſe, vt contigit hodie in ferè omnibus Rebuſpublicis mundi: ſatis eſſet eligere vnum, à quo Regia maieſtas per maiorem filium ad filij filium deriuetur. Ita Ariſtoteles *l.3. Polit.c.10.* qui citatur & expenditur à Couarruuiâ *d.cap.1. num.4. verſ. Verum Ariſtoteles.* Ita factum fuit in Hiſpaniâ D.Pelagij tempore: lege cautum fuit, ne, mortuo Patre, Succeſſor aliquis eligeretur, ſed vt filius immediatè ſuccederet ſine aliquâ ſolemnitate populari. Ita Luc. Lud. & Palacios citati à Molinâ *d.lib.1.c.2.n.13.& in Annotation.num.2. & 3.* ante quem Vurgos *in Proœmio ad legem Tauri, num.51.* XXXV. *Satisfactio.*

XXXVI. Sanè quamuis populus ſuam intentionem & voluntatem non exponeret in primi Principis creatione, ſi poſteà conſentiret filios ſine nouâ electione Patribus ſuffici, ſatis ſuperq́ue exponeret ſuam voluntatem. Hæc regula eſt certiſſima; & colligitur ſatis clarè ex *l.De quibus.ff.de Legibus.* & ex ijs quæ ſcribunt in proprijs terminis Turrecremata *in d.cap.Moyſes.n.7.verſ. Ad rationes.* Dom. *in d.l.Grandi. n.8.de Suppl. negl.* Couarr. *d. c.1. n.4. verſ. Poſterior. & n.7. & 9.* Antonius Gomez *in l.40.Tau. n. 4.*

XXXVII. Ex his ad argumentum in ſpecie. Conſtat ex dictis, potuiſſe Luſitanum populum eligere ſibi Regem, cuius poſteri ſine nouâ electione maioribus ſuccederent. Fecerunt. Ergo mortuo Henrico non habet ius populus ad electionem: debet enim ipſi heres ſuffici, qui fuerit immediatior.

Minorem probo: In Comitijs primis ſub Afonſo Henriquez celebratis decernitur filium debere Patri ſuccedere, atque filio nepotem. Legis litteram expreſſimus ſuprà n.27.

Hæc lex intemerata ſemper fuit; quia inter Reges inuictè Luſitanos ſolus Ioannes primus eligitur, quia Fernandus in Portugallenſium opinione obierat ſine filio aut herede; & ideò non poterat populus non eligere Monarcham ſibi.

XXXVIII. *Non potuit populus electionem horum Regum ſibi reſeruare.*

Addo, nec potuiſſe populum reſeruare ſibi Regum Luſitanorum electionem; quia primi Luſitaniæ poſſeſſores, nempe Comes Henricus, atque Infans Afonſus, qui poſteà Rex, non habuerunt dominium à populo, ſed Comes iure dotis, & Infans iure hereditatis; vnde ſi contra ius hereditarium quidpiam Luſitania decerneret, tyrannicè decerneret: nec tenerentur Comitis Henrici Succeſſores ſubſcribere legi iniuſtiſſimæ, nempe heredes iure legitimo exſpolianti, & electionem populi inſolitâ methodo inducenti.

## OBIECTIO SECVNDA.

XXXIX. *Regnum potius Regi.*

IN omnibus dubijs potioris pars potior eſt. Ergo ſi dubium intercidat Regi & Regno, in fauorem Regni debemus iudicare; quia Regna non fuerunt condita propter Reges, ſed hi propter illa creantur. Demonſtrat poſt Baldum & alios Alfonſus *in Theſau. Rel. Chriſt. c.*54. Mencha *in Præfat. quæſt. illuſtriſſ. à num.*102. *cum ſequentib.* Almaynus, Nauarrus *in d.c. Nouit. not.*3. *num.*101. Atqui fauorabile eſt Regno, poſſe ſibi Regem eligere; non ergo hoc illi debemus abnegare.

Aſſumptionem roboro: Conſeruato electionis iure, & populi auctoritas relucet maior, atque Regnum liberius.

Probo iterùm: Conſeruatâ eligendi auctoritate, prouidetur Reipublicæ dignior; admiſſo iure ſucceſſionis, præficitur illi heres, qualiſcumque fuerit capacitatis; ergo vtilius eſt Reges ab electione quàm ab hereditate dependere. Hæc probat & expendit inter alios Turrecremata *ad cap. Moyſes. n.*7. *c.*1. *& ad cap. Si ergo.*8. *q.*1. *& ad cap. Legimus.*93. *diſt.*

Probatur & confirmatur tertiò eadem Minor: Eſt maximè vtilis populo legum ſuauitas, atque facilitas multa obediendi: atqui meliùs, ſuauiùs, faciliùs illi obediunt populi quem elegerunt, quàm alij, *iuxta illud Sap. (Patere legem, quam ipſe tuleris) quod refertur cap. Cum omnes. de Conſtit.* Ergo melius eſt quòd populus Luſitanus ſibi eligat Regem, quàm quòd ſufficiatur aliquis prætextu iuris hereditarij.



Ceterùm, electiones commendat Ariſtoteles *libri Politicorum tertij cap.*10. *&* 11. recenſet Couarruuias *d. c.*1. *num.*4. *verſ. Verum.* & notat Diodorus *libr.*2. *de Antiquorum geſtis*; confirmat, atque exemplis corroborat Guillelmus Benedictus *in c. Raynutius. verb. Condidit.*1. *à num.*34. *cum ſequentibus.* Solinus *c.*66. Tiraquellus *de Nobil. cap.*20. *n.*9. Ludouicus Gomez *in cap.*2. *num.*28. *de Conſt. in* 6.

XL. *Vtra aptior, an ſucceſſio, an electio?*

SATISFACIO. Eſt quæſtio celeberrima, vtra ſit in Regiâ dignitate melior, electio, an ſucceſſio. Illa olim minoribus obnoxia fuerat inconuenientibus, dum onus regiminis erat magnum, honos paruus, vtilitas autem vix vlla (S. Hieronymus *in Iſaiam,* refertur à Simanchâ *de Inſtit. cath. cap. de Bonis hæreticorum. &* Turrecrematâ *in d. cap. Moyſes. nu.*7.) Ceterùm, creſcente Regum ambitione ac potentum tyrannide, electio Principum plurimis inconuenientibus exponebatur. Electores præponebant amicos dignis; illicitis medijs allicere curabant animum eligendi. Hîc locum munera, ſubornationes ac dona clandeſtinè-attractiua; hîc locum habuerunt multæ perturbationes. *Text. in cap. Siquis pecunia. & in cap. Si tranſitus.*79. *diſt. c. Oſius. de Electione. c. Si ergo.*8. *q.*1. quod doctiſſimè expendit Turrecremata *d. c. Moyſes. n.*7. *concl.*2. *verſ. Tum primò. cum ſeq.* Ioannes le Cerier *de Primog. l.*2. *poſt q.*14. *n.*8. Simanchas *vbi ſuprà, c.*43. *n.*18.

*Patrimonialia bona maiori curâ conſeruantur.*

Præterea, maiori curâ defenduntur, propugnantur ac conſeruantur à Regibus vrbes patrimoniales, quàm illæ quæ liberâ electione eos crearunt; ergo expedit ciuibus non eligere Dominos Monarchaſque. Conſequentia eſt legitima; & Antecedens per ſe notum; cuius veritas eſt in Imperio manifeſta. Quis hucuſque Romanorum Imperator, & aliàs Rex (putà Bohemiæ, Vngariæ, &c.) non habuit maiorem diligentiam in conſeruandis, am-

 pliandis,

pliandis, extendendis Regnorum terminis, quàm Imperij? Profectò nemo. Conſeruant ſanè Regnum filio, & Imperium eligendo fortaſſis alienigenæ: atque filialis amor quolibet alio maior eſt: alius quicumque politicus eſt; reliquùm, filialis amor naturalis.

XLI. Adde: Nihil eſt magis in Regno neceſſarium, quàm iugi ſuauitas, atque obedientiæ promptitudo: ad hanc, ad illam conducit aſſuefactio. Subditi cognoſcentes Regis filium in dignitate Succeſſorem, eum ardentiùs amant, & ei aſſueſcunt obedire, *l.*2. *per totum tit.*7. *part.*2. Nauarrus *dict. not.*3. *num.*17. Turrecremata *dict. concl.*2. *verſ. Tum.*2. *cum ſeqq. & verſ. Ex parte Regis.* & ibi Præpoſitus, Ægidius Romanus, & nonnulli alij.

*Genealogiæ electio.* Hæ rationes, & aliæ ſimiles, coëgerunt communitates publicas eligere non vnum hominem, ſed vnam Genealogiam, vt gubernarentur, *c. Licet. de Voto. c.*1. *Præterea. de Prohiben. feud. alien.* Gloſſa *in d. c. Moyſes.* Abbas Panormitanus, *& alij text. ibi in. c. Intellecto. de Iur.* Tiraquellus *de Iure primog. in Præfat. à num.*3. Couarruuias *d. c.*1. *num.*4. *d. verſ. Poſterior.* Palaez à Meris, & alij plures.

XLII. *Conuictus Ariſtoteles.* Hæ ſanè conuincerent Stagiritam, qui, vt vidimus, electiones commendat *Politicorum libro* 3. *c.*10. quia inibi agebat Ariſtoteles Scholaſticum, & loquebatur in ſenſu formali Metaphyſico. Pro cuius intelligentiâ penitiore notandum eſt, aliud eſſe comparare electionem primogenituræ in ſucceſſione Regum præciſè ſumptam, aliud cum appendicibus conſideratam. Ideò dixero, electionis ius æquius eſſe iure primogenituræ, ſi præciſè alterutrum conſideretur. Ceterùm experimur ex electione tot inconuenientia, ſeditiones, tumultus, & non raro velitationes exoriri; vt propterea primogenituræ ius oporteat commendari, ac condemnari Principum ac Regum electiones. Ideò ſi rigoroſè placeat loqui, dicito ius electionis eſſe melius, non tamen vtilius. Reſpublica autem conſeruationi ſuæ quærit vtilia, non autem bona, quæ aliàs fuiſſent nociua.

Ex



XLIII. Ex his in formâ ad obiectionem: Concedo primum enthymema; nego autem ſubſumptam Min. nempe: *Atqui fauorabile eſt Regno poſſe Regem eligere*; quia, vt expendebamus, non niſi plurima in electionibus patitur populus, non niſi ad anguſtias redigitur talis Reſpublica.

Ad primam probationem confiteor, in electionibus populi relucere ſummam auctoritatem libertatemque, ſed accidere ſummas diſcordias: cumque concordiâ Reſpublicæ puſillæ creſcant, diſcordiâ diſſipentur vel maximæ; inde eſt quòd concordia debeat præponi auctoritati libertatique: vel ſi tanti hæ faciendæ, nullas habeat leges Reſpublica, ſine quibus haberet auctoritatem liberiorem. Ergo ſi admittuntur leges (quamuis populi diminuant libertatem) quà conſeruatrices; etiam concordia, & quod hanc alit ius primogenituræ, libertati Reipublicæ debet præponi: concordia enim tuetur Prouincias, ac ditiones adauget.

XLIV. *Dignior non ſemper eligitur.* Ad ſecundam eiuſdem Minoris probationem, nego ſemper digniorem eligi; quia ſæpè Electores ſubornati aut amicitiâ, aut pecuniâ, aut aliâ circumſtantiâ allecti, monſtra præficere conſueſcunt: vnde in hoc vniuocus eſt vterque modus. Ceterùm in hoc electionis ius meritò improbatur, quòd ſcateat litibus, iurgijs, contentionibus, quibus patrimonij ius deſtituitur: ergo præponi debet electiuæ patrimonialis Regum ac Principum ſucceſſio.

XLV. *Creator vix poteſt obedire creaturæ.* Ad tertiam, negare Aſſumptum debet quiſque politicæ rei non ignarus. Non facilè obedit populus electo Regi: eſt enim illius creator (verè, quia Regem creat) & indignum iudicat creatorem ſupponi creaturæ. Huic conceptui adiungito quod addidi num.41. Nec contra eſt Sapientiæ teſtimonium. *Pátere*, ait Sapiens, *legem quam ipſe tuleris.* Non exprimit, an facilius ſit hanc pati quàm illam, quam tulerit Antiſtes alius: ab arguente autem non obligatio vna, ſed & facilitas debuiſſet demonſtrari.

XLVI. Ariſtoteli atque Peripateticis iam ſuprà num.42. abundè ſatisfeci; quia licet electionis ius verè ſit melius, vtilius eſt

here-

hereditarium: Politica autem non bona commendat, ſed vtilia; aliàs & vrbes incenderet, quia ignis, calor, lux, ſunt nobilior ſubſtantia & qualitates, quàm tabulæ, lapides, frigus, obſcuritas: ceterùm ab incendijs abſtinet, non quà malis, ſed quà inutilibus ac nociuis.

## OBIECTIO TERTIA.

XLVII. *Antiquitas facienda magni.* MAgni facienda eſt antiquitas æternùm venerabilis; magni publicarum rerum communio; magni regiminis perilluſtris imitatio. Multa Regna antiquitus, non pauca inpræſentiarum per electionem deferuntur. Ergo, turbatis Luſitaniæ rebus, eligendus Rex fuerat, qui vniuerſa ſedaret. Elegerunt Antonium: is fuerat igitur legitimus Rex Luſitaniæ.

XLVIII. Minor liquidò conſtat ex ijs quæ ſcribunt M. Tullius *lib.3. de Legibus*, Gloſſa *verb. Condita. in l. Ex hoc iure. vbi Paulus num. 17. ff. de Iuſt.* Panormitanus *in cap. Intellecto. col.3. de Iure iur.* Iuſtinus *libr.1.* Antonius Corſetus *de Pot. Reg. p.1. q.1.* Guilſielmus *d. verb. Condidit. n.31.* Couarruuias *d. c.1. n.4.* D. Thom. 1.2. *q.105. art.1. ad 2.* Caſtro *vbi ſuprà*, Soto *de Iuſt. lib.1. q.1. art.3.* Melchior Palaez à Meris *de Maioratibus &ælioramentis Hiſp. p.4. q.1. à num.46.*

XLIX. Eadem Minor liquidiùs conſtat ex auitis moribus Hiſpaniæ; qui magis vrgent. Primi huius regionis Reges à populo fuerunt electi: his deuiuentibus, non filij, non conſanguinei, quà tales, ſuccedebant, ſed illi vnicè qui à populis eligebantur; & hoc vtique per plures annos. Aſſero ex Garibayo *in Compend. Hiſt. Hiſpaniæ à libr.8.*

L. *Regum electio in Concilijs decreta.* Chriſtiani contemnere non debemus decreta Conciliorum, quæ vniuerſalis Eccleſia magni facit. Atqui in pluribus Gothorum tempore celebratis decernitur electio Regum, interdicitur quæcumque alia delatio; ergo debuerat Luſitania ſibi Regem eligere, & non permittere aliquem iure hereditario coronari: aliàs enim minùs ſe exhiberet Catholicam & Eccleſiæ obedientem, quæ audijt ſemper





inter Prouincias reliquas Catholiciſſima. Minorem probo. Regum electiones inſtituit Concilium Toletanum IV. *Canone vltimo*, Toletanum V. *Canone 3.* Toletanum XII. *in principio.* Ita probat lex prima; cui conſonant non paucæ aliæ, quæ in libro, cui Epigraphe, *El Foro Iuzgo*; quarum verba recenſet Molina *libr.1. de Primogen. Hiſp. c.2. nu.2.* Hos Conciliorum nuperrimè citatos Canones expendit atque ediſſerit Couarruuias *d. c.1. num.7.* Palaez *d. n. 46.* & nouiſſimè Ioannes Garcia Gallecus *libr. de Expenſ. & meliorامentis c.16. num.17.*

LI. Nec valet dicere, hos mores eſſe à balbutiente Heſperidum Regione conſeruatos, poſtmodum abſoletos; quia etiam recuperata Hiſpania elegit ſibi Pelagium, Ouiedi atque Legionis Regem (legi in Garibayo *in Hiſt. Hiſp. Compendij libro 8. c. vltimo*, Palaez *de Iuſt. & iur. obtinendis ac retinendis*, Nauarro *p.6. §.7. & §.9.* & *in d. c. Nouit. not.3. num.117.* Couarruuiâ *d. c.1. num.1. & 7.*) etiam D. Garciam Ximenez Nauarræ Regem (Garibayus notat *d. Compendij libro 21. c.7.* Nauarrus *vbi proximè.*) tandem Luſitanorum Regem D. Afonſum Henriquez. Conſtat ex ſuâ Chronicâ *c.16.* ex Garibayo *l.34. c.10.* Mariz, Brandaon, & alijs.

LII. *Obiectioni tertiæ reſpondetur.* Satisfactio. Vt huic obiectioni reſpondeam, admitto, olim Hiſpanos ſibi Reges & Duces elegiſſe, nego nunc poſſe facere. Ratio: conſuetudo quæ tunc vigebat, vt ſuprà num.49. probabatur, iam perijt per contrarium vſum, qui inpræſentiarum perſtat. Sanè mores delentur vſibus contrarijs, iuxta regulam iuris. *tex. in l.2. C. Quæ ſit longa conſuetudo? c. vlt. de Conſuetud. cum vulg.*

LIII. Reliquum, nec Conciliorum Canones, qui num.50. citabantur, cogunt reuerti ad vomitum: ſunt etenim lege particulari reuocati latâ tempore Pelagij Regis; quâ ſancitum, ne in poſterum Reges eligerentur. Huius legis meminit Molina *libr.1. c.12. n.13. & in Annotationibus n.2. & 3.* & ante eum Burg. *in Proœmio ad Legem Tauri nu.51.* Quòd

ſi Luſitania non veniat legibus communibus Hiſpaniæ iudicanda, mores hi antiquiſſimi, hi Conciliorum Canones nulli ſunt facti Luſitanorum lege latâ in primis Comitijs, cùm primum Afonſus Henrici Comitis filius acclamaretur inuictiſſimus Rex Luſitaniæ. Legis expreſſa verba dedi ſuprà num.27. Quòd ſi contra Conciliorum Politicos Canones non dari crediderís ſæcularem aliquam auctoritatem, concedo tuæ ſententiæ, licet falſæ; & addidero etiam eos à Pontificibus fuiſſe reuocatos, & annullatos, concedentibus diadema Regiè-Luſitanum Afonſo Henriquez & ipſius ſucceſſoribus. Vide ſuprà num. 23. 24. 25. & 26.

LIV. *Potuerunt Reges eligi in Hiſpaniâ: quando? cur?* Ad ea quæ num. 51. aſſumebantur, dico, ſtirpem veterum Regum tyrannide Africani populi deletam eſſe; atque ideò liberùm fuit Regnis recèns à ſeruitute extractis eligere ſibi Monarcham. Ceterùm, non hominem, ſed Genealogiam Pelagij atque Garciæ elegerunt, vt ſatis liquet ex Chronologis. Nihilominùs quidquid ſit de Regibus Nauarræ & Legionis, Afonſus Henriquez non fuit electus à populo, nec Dominus antiquæ Luſitaniæ, nec nouæ: illius enim præerat Dominus iure patrimonij; huius ſimiliter, ſed iure belli. A populo ſolùm accepit denominationem Regis extrinſecam, non rei dominium, non ſereniſſimam auctoritatem. Vide quæ expendo ſuprà num. 22. & deinceps.

## OBIECTIO QVARTA.

LV. MAgni faciendam argutè antagoniſta dixerat perilluſtris regiminis imitationem: ecquis non credat Illuſtriſſima, Pontificium, Cæſareum? Pontificem nemo ignorat à Cardinalibus, ab Electoribus Germaniæ Imperatorem creari: de illo *c. Licet. de Elect. c. Vbi periculum. cum alijs eodem titul. in 6.* de hoc *tex. in c. Venerabilem. de Elect. c. Ad Apoſtolicæ. vbi Gloſſa pæn. de Re iud. in 6.* Lege Reſtaurum Caſtaldum *in Tract. de Imper. q.8 n.5.* Hiſtoriam Pontificalem *p.2. ſub Vitâ Greg. V. c.74.* & alios: ſunt enim plurimi qui de hac materiâ curioſa volumina ediderunt.

RESPON-



LVI. *Satisfactio.* RESPONDEO, eſſe peculiares rationes, propter quas in ſupremis his dignitatibus electio debeat tolerari, vt conſtat *ex text. in d.c. Licet. de Electione. d.c. Vbi periculum. eodem titulo. in 6.* Doctores ibi iunctâ regulâ *c. Accipiamus. de Pact. c. Ad extirpandas. de filijs Presbyterorum.* Conſtat etiam *ex text. in c. Venerabilem. verſ. Inſuper. de Elect. Clement. 1. poſt princ. de Iur. iur.* vbi multi Doctores. Has eaſdem rationes ediſſerunt Franciſcus Burſatus *conſ. 108. à princip. libri 1.* Auguſtinus de Ancho *de Poteſt. Papæ, q.2. art.3. & q.37. art.5.* Petrus del Monte *in Tract. de Monarchiâ, cap. Expeditis. q.2.* Buridanus *in Ariſt. Politic. l.3. q.23. & 25.* Sanè rationes, quæ ab his Auctoribus ex textibus citatis expenduntur, ſunt peculiares in Pontificatu & Imperio, & non habent in Regum ſucceſſione locum. Ceterùm nec debeo omittere, tot inconuenientia in electione Pontificis vel Imperatoris Eccleſiam experiri, vt curauerit diminui numerum Electorum, qui iam vtrolibet adſunt pauciſſimi: & fortaſſis aliquando videbimus Imperium deferri iure genituræ, vt nihil dicam de Pontificatu, vbi deficienti matrimonio ius ſanguinis non habet locum. His igitur conſideratis, conſeruans ſeueritatem ſcholaſticam, ad formam argumenti reſpondeo:

*Iuris Pontificij auctoritas.* Magni eſt facienda iuris Pontificij & Cæſarei imitatio executioque? Diſtinguo. quando deficit ius proprium Regni, concedo: aliàs nego; quia contra leges Prouinciæ non habent alienæ auctoritatem. Ideò, conceſſâ Minori, nego Conſequentiam; quia cùm Luſitaniæ Regnum habeat leges proprias, quibus filius inſtituitur ſucceſſor Patri, non licet contra has Cæſareis ſubſcribere, vel Pontificijs.

## OBIECTIO QVINTA.

LVII. COncedit nobis Actor, Regnum hoc à Patribus deferri ad filios; his tamen deficientibus, deuolui ad populum auctoritatem creandi atque eligendi Regem. Probat hoc; quia poſt mortem Ferrandi elegit populus Ioannem I. Con-



ſtat

ſtat ex Chronico *p.* 1. *c.*187. Ita Garibayus *l.*34. *c.*40. ita & Baldus *in d. c. Venerabilem. nu.* 13. *de Elect. & conſ.* 271. *Caſus. lib.*1. Emmanoël à Coſtà *de Succeſſione Regni Portug. pag.* 141. *verſ. Denique.* Huius electionis inſtrumentum perſtat ex Comitijs Conimbricenſibus nunc in Turre *do Tombo libro* 4. *dos direitos Reais, fol.*1. *&* 4.

LVIII. *Satisfactio.* RESPONDEO, Regem Ferrandum in Luſitanorum ſententiâ nec reliquiſſe filios, nec affines, qui poſſent ſuffici legitimè iure ſanguinis vel hereditatis: probat latiſſimè Ioannes das Regras *in Comitijs Conimbricæ*: refertur in Chronico Ioannis I. *Part.* 1. *ex c.* 179. *ad* 185. *& deinceps.* Idcircò decernitur, in dictis Comitijs non ſolùm deficere vltimi poſſeſſoris filios, ſed etiam conſanguineos; ac ideò ſtatus Regis declaratur eſſe vagus, ac ideò poſſe ſibi nouum Regem eligere ſub quibuſcumque conditionibus. Conſtat ex publico inſtrumento, quod factum fuit in eâdem electione; cuius tranſſcriptum authenticum obtulit Infans Catharina. Conſtat iterùm *ex Chronici Parte* 1. *c.*180. Hoc ita debuiſſe fieri aſſerit Baldus *d. conſilio* 271. *lib.*1. *& in c. Venerabilem. n.*13. *de Elect. & in c. Cùm in Magiſtr. ad finem, de Elect. & in l. Ex hoc iure. q.*3. *ff. de Iuſti.* recenſet Acoſta *de Succeſſ. Regn. pag.* 141. *verſ. Denique. & pag.* 195. *verſ. Mihi.* Corſetus *de Poteſt. Regis p.*1. *q.*2. *n.*4. Martinus Laud. *in Tract. de Princip. q.*175. Coſmus *in Prooemio Pragm. verb. Primog.* Tiraquellus *de Iure primog. q.*13. *op.*9. *n.* 2. *&* 3. Antonius Gomezius *in l.*40. *Taur. n.*4. Mencha *Illuſtr. controuerſ. c.* 22. *n.*12. Probatur ex l.9. tit.1. Part.2. vt notat Gregorius *verb. No auiendo. & in lege* 2. *eiuſdem tit. verb. El mas propincuo pariente.* Verè potuerunt populi tunc temporis creare Regem, nunc non poſſunt. Ratio: Creauerunt Ioannem & eius Succeſſores, vt ex Chronico liquet: non enim erant legitimi Regum aliorum Succeſſores. Atqui modò reperiuntur Succeſſores legitimi: non ergo indigent electione, vt Regno præficiantur, *text. in c. Licet. de voto. & in d. c. Grandi. de Supp. negl. prælat.*

Dicis,



Dicis, tunc temporis fuiſſe veros Regni heredes, nempe D. Agnetis de Caſtro, Petri I. Vxoris, & D. Mariæ huius Petri Sororis filios: his excluſis, eligitur Ioannes Auiſenſium Magiſter: ergo electio hereditario iuri præualet.

Dicendum ab Antonianis eſt, poſt Ferrandi mortem non fuiſſe conſanguineos legitimos; tum quia Agnetis filij erant nothi, tum quia Petri Sorores carebant filijs: cuius oppoſitum probaui ſuperiùs Libro III. & IV. quòd ſi admittatur alterutrum, nempe vel Agnetem vel Mariam legitimos habuiſſe filios, aſſerendum eſt, Ioannem I. non potuiſſe eligi; ac ideò ipſum fuiſſe Regem intruſum, ac ipſius poſteros, ni præſcripſerint, tyrannos eſſe. Perlege ea quæ ediſſero Libris citatis tertio & quarto, in quibus iſta tractantur ex profeſſo.

## OBIECTIO VLTIMA.

IN Comitiorum paragrapho quinto reperimus hæc verba: *Si mortuus fuerit Rex ſine filijs, ſi habeat fratrem, ſit Rex in vitâ ſuâ; & cùm fuerit mortuus, non erit Rex filius eius, ſi non fecerint eum Epiſcopi, & Procurantes, & Nobiles Curiæ.* Atqui mortuus eſt Sebaſtianus Luſitanorum Rex ſine filijs; non habebat fratrem proprium, ſed fratrem Aui, & iſte fuit Rex in vitâ ſuâ: ergo cùm fuerit mortuus, filius non erat futurus Rex, & à fortiori nec conſanguineus eius, ſi non fecerint eum Epiſcopi, Procuratores, atque Nobiles Curiæ. Tunc ſic: Epiſcopi, Procuratores, & Nobiles, creauerunt Regem Antonium, non Philippum: non ergo hic, ſed ille eſt legitimus Rex Luſitaniæ. LIX.

RESPONDEO, aſſerens hanc obiectionem ex capitibus multis laborare. Primò ſupponit textum legis eſſe ſatis authenticum, de quo legendus eſt Brandao *in Monarchia Luſitana tertiâ Parte libr.*10. *cap.*13. *anno* 1143. ex quo non potero non ſubijcere præcipua verba: *Iulguei,* ait, *ſer neceſſario propolò com a intereza que tem, porque naõ corra deſpois por certo, o que he ſomente prouauel ainda em razão da Hiſtoria.* LX. *Satisfit obiectioni ſextæ.*



hoc,

hoc eſt: *Indicaui eſſe neceſſarium proponere hoc* (nempe *inſtrumentum*) *expoſitâ auctoritate quæ ei debetur, ne pòſt habeatur certum, quod in re Hiſtoricâ debet ſolummodò haberi probabile.* Atqui in rebus probabilibus poſſumus eligere quamlibet partem: ergo hæc Comitia, quà contra nos, poſſumus explodere; quà pro nobis, admittere. Ex illis igitur nihil conuincitur contra Regem Catholicum.

LXI. Præterea, licet admiſerimus textus catholicam auctoritatem, in ſpecie non agit de caſu controuerſiæ præſentis: primò, quia loquitur de Rege qui habeat fratrem; & neque Sebaſtianus neque Henricus Rex habuerunt fratres cùm deuiuerent: ſecundò, quia de filio, quem Henricus non habuit: tertiò, quia poſtulat in electione Epiſcoporum, Procuratorum atque Nobilium voces, qui abſuerunt in creatione Antonij; ſed & hoc petit trutinam penitiorem, atque ideò adæquatioris intelligentiæ gratiâ controuerſiam ſequentem inſtituamus.

Hæc Regna deferri hereditariò, non tamen iure ſanguinis, inferiùs iterùm probo Diſp. 5. num. 7. Vide etiã Diſp. 4. Quæſt. 3. per totam.

## ARTICVLVS IV.

*Etiamſi populus habuiſſet ius creandi Regem, Antonius, quà electus, non eſſet Luſitanorum Rex.*

LXII. *Hypotheſis.*

DVo in Epigraphâ ante examen reperio verè contradictoria. Hucuſque non potuiſſe populos ſibi Regem eligere poſt mortem Henrici demonſtraui: quid ſi potuiſſent? ſanè ſi quidpiam contrà nos, nihil pro Antonio: cur? quia non fuit à populo electus vniuerſo.

Dices: In rebus antiquis ſtandum eſt Hiſtoricorum auctoritati; atqui Anonymus iuris Antoniani explanator recenſet Antonium à populis electum fuiſſe, ergo temerè diffitebimur.

*Antoniani iuris vindex debilis.*

Reſpondeo, illum auctorem nullius eſſe auctoritatis, non ſolùm quà Anonymum, ſed quà facti ignorantem: ſuperiùs demonſtraui difficultatem nullatenus hunc percalluiſſe, & ſic ex aliorum confusâ relatione fabellas potiùs



tiùs quàm Hiſtoriam publicis typis euulgaſſe. *Vide iſtius libri 5. Prolog. §. 9.*

Ceterùm, ne ſim ita ſeuerus, concedamus auctoritatem LXIII.
Scriptori; ſint omnia certa quæ recenſet: poſſit populus creare quemlibet in Regem; non inde ſequitur creauiſſe Antonium. Nec Anonymus vſquam id dixit. Non grauabor tranſſcribere formalia verba, quamuis fugiam officium Amanuenſis, quod recentiores tanti faciunt. Ait Anonymus Antoniani iuris explanator pag. 32. §. Itaque.

*Condonatio.*

*Itaque ſine morâ, cùm Antonius diutiùs reluctari non poſſet, tres eiuſdem loci* (nempe *Sanctaremenſis*) *Ordines, Clerus videlicet, Nobilitas, & Populus iurant Antonium in Regem, erigentes haſtam cum inſignibus regalibus; additis quoque ſolemnijs, quæ de more eius populi eligendis Regibus adhiberi conſueuerunt: eumq́, multo applauſu inde deducunt ad templum quoddam eius loci, quod vocatur* Sancto-milagre, *& ad alia loca conſueta; deinde verò, ac poſtremò in Regium Palatium. Horum autem omnium, quæ ibidem gerebantur, conſcripta fuerunt in domo Ciuicâ Acta quædam publica; quæ & ab omnibus præcipuis trium Ordinum viris fuerunt ſubſignata,*&c. Hic eſt Achilles pro Antonianis.

*Antonius non fuit verè electus.*

Ceterùm hæc non eſt electionis legitimæ vera ſolemnitas. Si crearetur Antonius Sanctaremenſis Prætor (*Corregidor* audit Hiſpanè) ſufficeret ab oppidanis ſolummodò deligeretur: ceterùm creabatur non oppidi Magiſter, ſed totius Monarcha Luſitaniæ; ergo à Clero, Nobilibus, & Populis, non Sanctaremi vnius, ſed totius Regni debuerat nominari, nempe ex communi Pronuntiato: *Qui præſideat omnibus, ab omnibus eligi debet.*

Tanti faciendus eſt completus Electorum numerus, vt LXIV.
Afonſus Henriquez electus Rex in campo Ouriquio ab vniuerſis, nuſquam abuſus ſit coronâ, nec Regiam exercuerit ipſe auctoritatem, quouſque iterùm in Comitijs publicis electus eſt. Cur? Reſpondeat Brandao *in Monarch. Luſit. libr. 10. c. 14. §. 2.* vbi: *Não ha inconueniente algum, que tendo*

*tendo ja os pouos de Portugal leuantado por Rey a o Infante D. Afonſo Henriquez tornaſen neſtas Cortes dar ſeu conſentimento, porq na batalha do Campo de Ourique, aonde a primeira vez foi acclamado, ſe não acharão preſentes os Procuradores das cidades, & villas, faltarão alguns Prelados, & ainda, que aſsiſtiſſe a mayor parte da nobreza, todauia muitos auião de faltar, como os Alcaides das Fortalezas, os Capitães fronteiros das terras de Leão, & Galiza aonde a guerra duraba, & aſi par mayor ſolennidade, & perpetuidade deſta eleição foi neceſſario acharemſe preſentes os tres eſtados do Reyno, em nome de todo elle, & approuarem o titulo Real del Rey D. Afonſo.* Latinè: *Non erat inconueniens, quòd poſtquam Populi Infantem Afonſum Henriquez creauiſſent Regem, iterùm in his Comitijs conſenſus Statuum peteretur. Ratio eſt: quia in Campo Ouriquio, vbi primò Rex à Populis eſt acclamatus, non fuerant præſentes vrbium Procuratores, nec Prælati aliquot; quia etiam licet intereſſent plures Nobiles, non poterant non defuiſſe aliquot, quales Gubernatores & Capitanei Caſtrorum, quæ in limitibus Legionis & Galiziæ, vbi adhuc bella graſſabantur. Ideò igitur ad huius electionis maiorem ſolemnitatem & perpetuitatem, fuit neceſſarium congregarentur tres ſtatus Regni, & præſentes totius Regni nomine approbaſſent Regium titulum ipſius Regis Afonſi.*

Fuerat neceſſarium, ait hic Auctor, Regni ſtatus integro numero coniungi, & ideò creationem in Campo Ouriquio factam fuiſſe nullam. Ideò Lamegi Comitijs coniunguntur Clerus, Nobilitas & Populi totiùs Regni Luſitaniæ. Qui Clerici? Qui Nobiles? Qui Populi? Reſpondeat textus Comitiorum: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Trinitas inſeparabilis, quæ nuſquam ſeparari poteſt. Ego Afonſus Comitis Henrici & Reginæ Tareiæ filius, magniq; Alfonſi Imperatoris Hiſpaniarum nepos, ac pietate diuinâ ad Regium ſolium nuper ſublimatus; quoniam nos conceſsit Deus quietari, & dedit victoriam de Mauris noſtris inimicis, ac propterea habemus aliquam*

Textum integrum Comitiorum reperies ſuprà Libr. 2.



*aliquam reſpirationem; ne fortè nos tempus non habeamus poſteà, conuocauimus iſtos, Archiepiſcopum Bracharenſem, Epiſcopum Viſenſem, Epiſcopum Portuenſem, Epiſcopum Colimbrienſem, Epiſcopum Lamecenſem, Viros etiam noſtræ Curiæ infrà poſitos, & Procurantes bonam prolem per ſuas ciuitates, per Colimbriam, per Vimaranes, per Lamecum, per Viſeum, per Barcellos, per Portum, per Trancoſum, per Chaues, per Caſtrum-regis, per Bouzellas, per Parietes-vetulas, per Sonam, per Coluilhanam, per Monte-magiore, per Iſgueiram, per Villa-regis; & pro parte Domini Regis Laurentius Vanegas, & multitudo ibi erat de Monachis, & de Clericis: & congregati ſumus Lamecum in Eccleſiâ S. Mariæ Almacaue; ſeditq; Rex in ſolio Regio ſine inſignijs Regijs, & ſurrexit Laurentius Vanegas Procurator Regis, & dixit:*

*Congregauit vos Rex Afonſus, quem vos feciſtis in Campo Auriquio, vt videatis bonas litteras Domini Papæ, & dicatis, ſi vultis, quòd ſit ille Rex. Dixerunt omnes: Nos volumus quòd ſit Rex.*

Hæc Comitia celebrata fuiſſe eſt certiſſimum; an autem ſub his verbis, dubitent qui maluerint: aſſerunt enim Antoniani, imò hoc vtuntur inſtrumento, vt mulieres à Luſitaniæ Regno eliminent; ſed, vtrùm iuſtè, aptiori loco examinabimus: reliquùm, noſtrâ intereſt certiores fieri, quinam in electione Regis potuerint actiuam obtinere vocem. Recenſetur vnus Archiepiſcopus, Epiſcopi quatuor, Nobiles Curiæ indiffiniti, & Procuratores, non vnius, ſed ciuitatum ſedecim: & quia in Campo Ouriquio aliqui ex his defuerant, creatio Regis Afonſi inibi facta ab ipſo Rege & populis (vt notat Brandao iam citatus) iudicabatur nulla. Atqui Antonius fuit electus à Clero vnius Sanctaremenſis ciuitatis; in quo cùm non exprimatur Epiſcopus, fortè non erat: non fuerunt præſentes ſedecim illi Procuratores, neque Nobiles Curiæ, ſed populus (non populi) tumultuans & fluctuans potiùs, quàm conſulens ſibi vel Regno. Ergo non habuit

LXV. *Antonius eligitur ab vnâ ciuitate.*

Ii hæc

hæc electio ſolemnitates & voces ſufficientes, vt legitima iudicaretur.

LXVI. Nec valet dicere, hos omnes Epiſcopos & Procuratores non fuiſſe neceſſarios: primò, quia eſt alienum ab omni ratione, inque rebus minoris momenti hucuſque inuiſum, videlicet ab vnicâ ciuitate eligi Monarcham totius Regni. Vt tributa vniuerſalia imponantur exiganturque, vocantur vrbium Procuratores; & hæc ſunt nulla ſine illorum conſenſu: & eſſet canonica electio Regis, quam tumultuariè celebraſſet vnica ciuitas inconſultâ Regni vniuerſitate, hoc eſt, nominatis Epiſcopis & Procuratoribus vrbium præcipuarum?

LXVII. *Congregauit vos Rex* exſtat in textu, vtpote & Electores; omnes interrogantur, omnes reſpondent: ergo omnes illi habent vocem actiuam in hoc caſu. Atqui illa electio quæ fit ab vno, cùm deberet à ſedecim, eſt in omnium ſententiâ nulla: ergo cùm talis fuerit Antoniana, nulla debet ab omnibus citra quæſtionem iudicari.

*Occurritur ſatiſfactioni.* Nec ſufficit, ſi addant Antagoniſtæ, hanc ſolemnitatem in primâ electione fuiſſe requiſitam, non tamen in alijs; quia habemus in iure certiſſimè-communem regulam, *Vbi eſt eadem ratio, idem & ius debet ſeruari*: atqui in qualibet electione erat par ratio, ergo par numerus Procurantium ac Epiſcoporum.

LXVIII. *Electionum modus.* Præterea, ipſa Comitia decernunt electionum futurarum methodum. Speculare: textus ſic §. 5. *Si mortuus fuerit Rex ſine filijs, ſi habeat fratrem, ſit Rex in vitâ eius; & cùm fuerit mortuus, non erit Rex filius eius, ſi non fecerint eum Epiſcopi, & Procurantes, & Nobiles Curiæ. Si fecerint Regem, erit Rex; ſi non fecerint, non erit Rex.* Nota; noto. Epiſcopos & Procurantes recenſet, non Epiſcopum, non Procurantem: ergo ſi fecerunt Antonium Regem, erat Rex; ſi non fecerunt, non erat Rex: atqui Epiſcopi & Procurantes vrbium non creauerunt ipſum, ergo non erat Rex.

Præter



LXIX. *Duo ſolùm Reges electi in Luſitaniâ.* Præter rationes poſitas (quæ euidentes & claræ) vſus confirmat ea quæ diximus; quia duo ſolùm Reges electi ſunt in Luſitaniâ, Afonſus & Ioannes, vterque ſui nominis primus: ille ſanè ad merum Regis titulum, quia aliàs erat Princeps, & Dominus; is ad titulum atque iuriſdictionem: neuter tamen ſine Epiſcopis, Nobilibus atque Procuratoribus. De Afonſo iam vidimus: de Ioanne breuiter videamus. Ecquos? Chronicon vulgare, Chronicon Nonij Aluarez Pereira, Garibay *quartam Partem, vbi de Vitâ Ioannis*, Illeſcas *libr.* 6. Volaterranum *libr.* 2. Petrum de Mariz *in variæ Hiſt. Dial.* 4. Horum apud vltimum *Dial.* 4. *mihi fol.* 125.*b. Quando el Rey Dom Ferrando faleceo, acharãoſe os Prelados, & Fidalgos, & Pouos de Portugal em muyta confusão, anteuendo os grandes infortunios & calamidades, que a o Reyno eſtauão ameaçando a cerca da Peſſoa, que em ſua Coroa lhe hauia de ſoceder.* Nempe: *Cùm obijt Ferrandus Rex, hærebant Epiſcopi, Nobiles, & Populi in ſummâ confuſione, præuidentes grauia infortunia calamitateſq; Regno imminentia, acturi de perſonâ quæ debuiſſet in Coronâ ſuccedere.* Ecce tractat de Succeſſore eligendo non vna ciuitas, non vrbs vnica, ſed Prælati, hoc eſt, Epiſcopi, Nobiles ac Populi, hoc eſt, Procuratores totius Regni.

LXX. *Notatione dignum.* Addam *ex pag.* 128.*a.* id quod magis mirabile quibuſque videbitur; id quod magis diruet fundamenta iuris Antoniani. *Se ajuntarão*, ait Marizius, *em eſta cidade Coimbra, os Fidalgos & Prelados do Reyno, & Procuradores das cidades & villas de elle, a que a honra da Patria mais lembraua, para em Cortes determinarem o que mais conuinha. E quando para o miſmo o Meſtre d'Auiz veyo a eſta cidade foy recebido nella com procisſão ſolenne, & demais de hũa legua acompanhado de grande numero de moços, & mininos da cidade, que de ſi meſmo mouidos ſahirão d'ella * * * Os quaes com grande alegria vinhão em tropel correndo diante delle, bradando em altas vozes: Portugal, Portugal, por el Rey Dom João noſſo Rey, que em boa hora venha.* Nempe ad litteram: *Congregati ſunt*



*in*

*in hac Conimbricenſi ciuitate Nobiles & Epiſcopi Regni, necnon vrbium & ciuitatum Regni eiuſdem Vicarij ſeu Procuratores, illi ſcilicet qui maioris erant in Patriâ auctoritatis, vt in Comitijs decernerent quid expediret. Ceterùm, cùm eâdem de cauſſâ Magiſter d'Auiz (nempe Joannes) venit in ciuitatem, exceptus fuit ſolemni applauſu; quem per longam leucæ diſtantiam comitabantur adoleſcentum atque puerorum concurſus numeroſus, qui ſuâ ſponte egreſſi tumultu hilari venienti præcurrebant, acclamantes: Luſitania, Luſitania, eſt pro Rege Ioanne, Rege noſtro, qui ingreditur felici auſpicio.* Quis ambigat? plauſus is maior, atque illo ſolemnior, qui electioni interfuit Antonianæ. Hîc aderant Regni Primates Eccleſiaſtici ſæcularesque, qui abfuerunt Antonianæ creationi. Conuocati erant ad Comitia, non tunc. Erant omnes requiſitæ circumſtantiæ hîc, non inibi. Igitur, vtrâque conſideratâ acclamatione, debes aſſerere, magis fuiſſe efficacem eam quâ Ioannes Rex declarabatur, eâ quâ nuperrimè Antonius. Atqui illa non ſuffecit vt Ioannes eſſet Rex Luſitaniæ, ergo nec illa, vt Antonius. Minorem probo ex eodem Marizio: *E aſi*, immediatè ſubiungit, *acompanhado, entrou na cidade quaſi triumphando; que foy como prenuncio de felice ſucceſſo, com que d'aquelle die em diante ſuas couſas forão acompanhadas.* id eſt: *Hoc igitur perilluſtri comitatu ingreditur in vrbem ceu ouans; quod ipſi augurium feliciſſimum, index proſperitatis, quæ in poſterum fauit ſuis partibus.* Vide quanti fecerit illam acclamationem in ipſis Comitijs Luſitania. Non audiebat illa noui Regis electio, ſed augurium quodpiam politicè ſuperſtitioſum. Ideò non audijt Ioannes Rex, quouſque anno 1385. non à tumultuario populo, ſed à Prælatis Regni maximis, à Principibus, atque vrbium Vicarijs, in eiuſdem Emporij templo, in honorem D.Franciſci erecto, vbi Comitia illa habebantur, eligitur, & publicatur. Notat ipſe Marizius *Dial.4.pag.128.a.* Huius triumphi exſtat deſcriptio apud Auctores veteres. Teixera comparauit & Ioannem & Antonium ſimiliter; ſed concipiens

*Acclamatio non eſt electio.*



cipiens adulationem, monſtrum peperit. nempe: *Ipſomet & eodem tempore recenſetur & illud de infantulâ octimeſtri, quæ à cunis, in quibus inuoluta iacebat, ſe erigens, in vocem hanc erupit, Portugal, Portugal, por el Rey Dom Ioam. Eiuſdem generis exemplum ante electionem Antonij in ciuitate Sanctaremenſi ab infantulo, multis audientibus & ſpectantibus, perhibitum eſt. Ne porrò eorum omnium, quæ Henrici Cardinalis, & Portugalliæ Regis, Gubernatorum, & Antonij tempore contigerunt, fides abrogetur, Lectorem monitum velim, me eorum non auritum, ſed oculatum teſtem extitiſſe.* Hucuſque Teixera in Compendio de ortu Portugalliæ; & in margine citat Garibay *Part.4. libr.34. cap.39.* Ceterùm, quid ad hoc miraculum reſpondeam? Solent, ne capiantur, ad ſacra confugere ſcelerati; ſic & illiterati. Non eſt Scholaſticæ ſeueritatis chimæris huiuſcemodi acquieſcere; ac ideò ad argumentum deſumptum ex portento reſpondeo, hoc miraculum aut leui aut nullo fundamento eſſe aſſertum: & debet ideò, quod facilè dicitur, faciliùs denegari. Vide ea quæ de hoc miraculo dixi Libr.1. in Vitâ Ioannis I.

*Miracula an vera?*

## CONCLVSIO.

EX ijs igitur manifeſtè concluditur: Primò, Populos non potuiſſe creare ſibi Regem poſt obitum Sereniſſimi Henrici Cardinalis. LXXI.

Secundò, Antonium non fuiſſe electum à Populis Regni, ſed à vulgo tumultuante vnius vrbis, abſentibus ferè omnibus legitimis Regni Electoribus, nempe Epiſcopis, Principibus, Procuratoribus.

Hinc autem, Antonium iure electionis non fuiſſe legitimum Regem Portugalliæ. Hæc concluſio eſt contra Scheuolam & Ludouicum de S.Marthâ, qui hoc electionis titulo volebant Antonium Luſitanorum Regem eſſe.

Hanc enucleaui quæſtionem ex auctore illo, qui Antoniani iuris propugnator. Ex quo colligo, falli eoſdem Scheuolam & Ludouicum, cùm (*ibidem pag.720.*) aſſerunt, à tribus

Scheuola & Ludouicus de S.Marthâ in Hiſtor. domus Franciæ Tom.2. libr.27. pag.720.

bus Regni Statibus electum fuiſſe; cùm conſtet ex declaratione ipſius Antonij, non à Regni, ſed à Sanctaremenſis oppidi Statibus, & his tumultuantibus, illegitimeque congregatis, creatum eſſe.

*Vlyſſiponenſis confirmatio.*

Nec iuuat illa, quæ acta fuit Vlyſſipone, confirmatio; quia non ſolùm illegitima, ſed & violenta. Hæc veritas vt clarior euadat, aliqua ex Iacobo Aug. Thuano diligentiſſimo Scriptore annotentur. Hic Auctor in Hiſtoriæ ſui temporis libro LXX. aſſerit *pag.*391. à duobus tantùm Epiſcopis, qui hac viâ vnicâ fauores ſperare poterant, electum eſſe: ergo non à toto Clero. Addit *paginâ eâdem*, dum inaugurationis cærimoniæ agerentur, deductum eſſe ad templum, acclamandum Regem; hinc traductum ad ædes publicas, quæ clauſæ inuentæ debuerunt non reſerari, ſed effringi: ergo nec totum Regnum, immò nec totus Sanctaremenſis populus, dum Rex crearetur, nec totus Vlyſſiponenſis populus, dum confirmaretur, Antonij partes ſequebatur.

*Antonius tumultuariò Vlyſſipone acclamatur.*

Præterea Comitia erant congregata, & extra hæc Antonius ſalutatur. Conſidera Thuani *pag.* 392. hæc verba: *Ille* (puta Ioannes Tellez) *qui Antonio in occulto fauebat, & nihilominùs intempeſtiuè ab eo factum putaret, quòd, contemptâ Rectorum & Comitiorum auctoritate, Regia inſignia ſumpſiſſet*. Præterea ipſe Ioannes Tellez apud eumdem Thuanum *pag.* 393. declarat ad Rectores, quòd quaſi populari ſeditione Antonius Vlyſſipone ſalutaretur Rex, culpâ in vrbis Præfectum reiectâ. Sed ſi benè conſideres, timore actus permiſit vrbis Præfectus Antonianorum inſolentiam, cauens ſibi, ne occideretur à proditore ſubornato, vt Ferrandus de Pinâ, qui ab Antonio Suarez Domini Antonij iuſſu interimitur; quia erat ex Primoribus Vlyſſiponenſibus, & Catholico Regi fauebat.

*Ferrandi de Pinâ mors.*

QVÆ-



# QVÆSTIO II.

## *Vtrùm Dominus Antonius fuerit legitimus Principis Ludouici atque Iolentæ filius; ac perinde legitimus Monarcha Portugalliæ.*

### ARTICVLVS I.

*Præmittitur ſtatus controuerſiæ. Certior fit Antonius matrimonij à ſuis Parentibus contracti.*

SEbaſtiano ad ſidera morte pulchrâ tranſlato, ſufficitur LXXII.
Henricus Cardinalis ætate iam prouectior, Inuictiſſimi Emanoëlis Filius, & Ioannis ac Ludouici (qui Antonij Parens) Frater. Paulò autem pòſt miro quodam modo Antonius ab Africanâ captiuitate liberatus redit in patriam; honorificentiſſimeque excipitur non ſolùm ab Henrico Rege, ſed & ab omnibus Regni Primoribus, nec non à gente populari. Erat ſuauis ingenio, præditus virtutum elegantiâ; ideò ab omnibus intenſiùs amabatur, contemplantibus in iuuenis indole imaginem neſcio quam Aui Emanoëlis Regis.

*Henricus heres Sebaſtiani.*

Intermiſerat ſtudia Theologica, vt comes iret Sebaſtiano in tranſmarinâ expeditione; non ſcientiarum amorem, quibus maximè delectabatur. Tales in re litterariâ profectus fecit, vt & libros ſcripſerit rapientes hominum admirationem. Inter alios ille ex meâ ſententiâ celeberrimus eſt cui Epigraphe, *Pſalmi Confeſſionales*, quos iuſſu Excellentiſſimi D. Emanoëlis de Portugal, eiuſdem Antonij primogeniti, Hiſpanos feci; alij feliciore ſpiritu in linguas diuerſas tranſtulerunt. Sanè eſt liber corrigendis vitijs & moribus reformandis aptus.

*Antonij ingenium atque deuotio, qualia?*

Dum Antonius, contemptis armis, quæ aduerſo Marte LXXIII.
geſtauerat in Mauritaniâ, ad Muſas redux iterùm ſtudet Theologiæ, quidam ex miniſtris ſuis paternis non mediocris auctoritatis vir indicat, fuiſſe inter Ludouicum Principem

*Antonij Mater Iolenta, aliàs Violantia: idem nomen eſt, ſed dialectus diuerſa.*

cipem & Iolentam, parentes ſuos, matrimonium legitimum, quamuis clandeſtinum: additque rei adhuc extare aliquot teſtes fide dignos, & aliorum qui deuixerant poſtumè-authenticas declarationes: nec referre, id nuſpiam explicitum fuiſſe à Ludouicò Principe, varias ob cauſas. Antonius enim ſacerdotio, non autem Regno nutriebatur: cumque plurimi eſſent heredes, qui & Antonium præcederent, non expediebat, vt nimia coniugij illius diſparitas exponeretur.

LXXIV. Rem aperit Antonius Patruo Regi Henrico; rogatque vt de hoc negotio dignetur inquirere; concederetque, vt exhiberet teſtes & inſtrumenta, quibus rei veritas deprehendi ac publicè conſtare poſſet: quo nimirum ceſſarent omnes controuerſiæ, diſſidia, & bella; quæ alioqui poſſent exoriri inter illos, qui poſt ipſius mortem hoc vel illo iure contenderent ſceptrum habere. Cùm enim eſſet vnigenitus Infantis Ludouici, ſecundi Filij Emanoëlis, probatâ legitimâ natiuitate (vt ipſi videbatur) neceſſariò excludebantur omnes alij, qui vel à filiabus vel aliquo minore inuictiſſimi Emanoëlis Filio prouenirent.

LXXV. *Henrici timor.* Audijt Rex Henricus; & timens, ne ipſe probatâ legitimâ genealogiâ Regno deponeretur (fortè in eâ erat ſententiâ, vt crederet in Luſitaniæ Regio maioratu beneficium prodeſſe repræſentationis) vel vt ſibi conſuleret, vel vt Antonij liberam audaciam condemnaret, indignabundus eum ab aulâ eliminat, atque in exilium mittit. Ille obtemperat,& diſcedit Conimbricam,34. leucis ab Vlyſſipone diſſidentem. Inde per Procuratorem ſuum offert libellum ſupplicem, conceditur que à Rege agi in publicâ Curiâ, examinarique, vtrùm Antonij parentes legitimè fuerint coniuncti.

Iſta omnia ſic recenſere aſſolent aſſeclæ ſectæ Antonianæ: ſanè veroſimilia. Cur abnegem? ita reperio mandata typis publicis; quæ licet non habeant infallibilem auctoritatem, vix crederem non accidiſſe: opus enim erat, & Antonium



tonium ſuum intentum in cauſsâ Regni explicaſſe, & Henricum, contra quem agebatur, non ægrè ferre.

Inſtituatur ergo controuerſia, & rationes pro Antonio LXXVI.
proponantur. Cui? Olim, vt conſtat ex explanatione iuris Antoniani *paginâ* 10. & ex Teixerâ *in Compendio de Ortu Portugalliæ, fol.* 25. *§. Ludouicum,* D. Emanoëli Dalmada, Angrienſi Epiſcopo,& tunc temporis Conſeruatori-Iudici Melitenſium;quia cùm Antonius eſſet Prior de Crato,Iudicem neminem alium poterat habere competentem. Rationes igitur, quæ pro Antonio militant, ſpeculemur.

*Agitur cauſſa Antonij.*

## ARTICVLVS II.

*Rationes, quibus Antonij Procurator in Curiâ Eccleſiaſticâ D. Emanoëlis Dalmada, Angrienſis Epiſcopi, Iudicis-conſeruatoris priuilegiorum Ordinis Melitenſis, nitebatur conuincere, Ludouicum duxiſſe Iolentam legitimi ſub nexu matrimonij.*

INfantem Ludouicum & Iolentam legitimo thoro concubuiſſe probaturus Antonij Procurator, exponit primò tres oculatos teſtes, qui exactè depoſuerunt ſe præſentes fuiſſe, dum matrimonium inter Ludouicum Infantem Iolentamque celebraretur. Teſtium horum nomina ſupprimit Texeira, vel quicumque compoſuit illum libellum qui inſcribitur,*Expoſitio iuris D. Antonij Luſitanorum Regis*,&c. Sed ipſe Antonius in Commentarijs (quos manu propriâ ſcripſit, ſuum ius & ſuæ fortunæ hiſtoriam vberrimè declaraturos, quos dono Excellentiſſimi D.D.Emanoëlis de Portugal, eiuſdem Antonij filij, apud me conſeruo) nominatim id explicat. Affirmat teſtes fuiſſe Antonium-Carolum, ipſiuſque vxorem Guiomaram Gomeziam, & Sebaſtianum Braſium. LXXVII. *Ratio prima.*

Secundò producitur cuiuſdam Ruy Celemæ (Salemam Antonius iam citatus nominat) teſtamentum. Fuerat integerrimus dum ſupereſſet vir, & æſtimationis non vulgaris, *Secunda.*

Kk tum

tum apud Ludouicum Infantem, tum etiam apud Regem Henricum. Is igitur inſtrumento ſuæ vltimæ voluntatis declarat, ſe ſemper intellexiſſe, ac pro comperto habuiſſe, matrimonio legitimo coniunctos eſſe Ludouicum Iolentamque. (Is etiam addidiſſe dicitur rationes aliquot, quibus hæc veritas penitiùs dilucidaretur.) Exponitur iſtius vltimæ declarationis finis, motiuumque factum eſſe conſcientiæ exonerandæ cauſsâ: quia cùm iam is eſſet morti proximus, non poterat in re tanti momenti non exponere veritatem.

LXXVIII *Tertia.* Tertiò producitur Ludouici Infantis teſtamentum, quo inſtituit Antonium filium ſuum heredem vnicum in omnibus ſuis bonis, non modò patrimonialibus, verùm etiam in quibuſdam iuribus patronatus magni momenti, quæ eidem Ludouico à fratre ſuo Ferrando, eiuſque Vxore, teſtamento legata fuerant.

*Quarta.* Quartò exponuntur aliquot teſtes fide digni, qui aſſerunt, Regem Ioannem III. Fratrem dicti Ludouici, cùm primùm Patri ſufficeretur deuiuenti, donaſſe Antonium ſtemmatibus ſui Patris, iubens vt illis vteretur abſque aliquâ labe, aut lineâ obliquè-dedecorâ, vt nothi plerumque facere tenentur.

## ARTICVLVS III.

### *Epiſcopum Emanoëlem iudicem incompetentem eſſe.*

LXXIX. HÆ ſunt rationes, quibus ſuadebat Antonij Procurator Infantem Ludouicum ac Iolentam fuiſſe * confarreatos. His conſideratis, Epiſcopus Emanoël Dalmada, aſſumptis ſecum alijs quibuſdam Iudicibus eiuſdem Ordinis, tulit ſententiam, quâ diffiniebatur, Antonium non eſſe μητρόξενον, ſed genitum thoro legitimo. Addit Antonij Procurator, hanc ſententiam fuiſſe confirmatam ac pronuntiatam, ſecretò tamen, in Cancellariâ eiuſdem Ordinis.

* Confarreati, *legitimo matrimonio iuncti.*

*C. Tacitus apud Hadrianum Iunium in ſuo Nomenclatore.*

Sanè, quidquid ſit de ſententiâ, Iudex erat incompetens & illegitimus, ſi de cauſsâ Regni tractabatur. Si Antonius ad dignitates Melitanas adſpiraret, & quà nothus à prouiſoribus excludereretur, in Cancellariâ Ordinis debuiſſet hæc controuerſia examinari. Reliquùm, agebatur de Luſitanâ Monarchiâ: erat lis merè Politica; ex eius reſolutione dependebat Regni vel ſucceſſio legitima, vel aliàs tyrannica vſurpatio: non ergo expediebat regimini Luſitaniæ Politico, hanc controuerſiam ab Eccleſiaſtico quopiam Antiſtite determinari.



In hac ſententiâ fuit Cardinalis Rex, qui diffinitionem latamque Epiſcopi Emanoëlis Dalmada ſententiam expoſuit eſſe nullam; & poſtulat à Summo Pontifice Romano, vt cauſſam ad ſe reuocaret: ſed quam? LXXX.

*Sententia Regis.*

Explanator ille Anonymus iuris Antoniani, quem frequentiſſimè citare oportet, aſſerit pag. 12. Henricum poſtulaſſe à Pontifice, quò minùs cauſſam natalium Antonij Romam euocaret, examinaretque, vtrùm eſſet legitimus Succeſſor in Regno Luſitaniæ. Ceterùm tum falli ex ipſius verbis colligo; quia ſimul Henricus poſtulat à Pontifice, atque Comitia celebrat. Sanè ab illo, vt cauſſam huius ſententiæ examinaret, hoc eſt, vt Epiſcopum Emanoëlem corriperet, qui, vltra ſuæ auctoritatis Eccleſiaſticos terminos, in re Politicâ auſus fuiſſet ſententiam ferre illegitimus, imò illegitimam. Sanè hæc, vt in ijs de Succeſſore diſputaret: idcircò citari iuſſit Philippum Catholicum Regem Caſtellæ, quà natum ex Iſabellâ Emanoëlis Luſitanorum Regis Filiâ; quæ (vt expoſuimus) Carolo V. Germanorum Imperatori nupſerat; Principem quoque Parmenſem, quà tutorem Filij, quem habuit ex Mariâ Eduardi Filiâ, Regis Emanoëlis Nepte; Catharinam Barganciæ Ducem, ac eiuſdem Eduardi Filiam; Ducem Sabaudiæ, quà Beatricis Filium, Emanoëlis Nepotem; nec non ipſum Antonium, quà Filium Infantis Ludouici. Indicit, vt omnes per Procuratores adſint, & motiua iuris exponant. Addebat ſenior Rex, ſe id in Comitijs determinari velle antequam obiret; promittebatque ſe conſtituturum eſſe adminiſtratores,

*Vt cognoſceret hanc cauſſam, non indigebat Rex Henricus Pontificis auctoritate.*

*Citantur competitores.*

tores, qui poſt eum id decernerent, ſi contingeret, quòd ante ipſius obitum non poſſet hæc difficultas expediri.

## ARTICVLVS IV.

*Comitijs Generalibus Luſitaniæ aliàs competere in quæſtionibus de Regno diffinire, in præſenti non item: quid cauſſa? Pontifex illegitimus Iudex; Henricus Rex non competens, quia pars.*

LXXXI. *Non vult comparere Catholicus.* Agitur reus Catholicus Caſtellæ Rex, quòd recuſaret his Comitijs per ſe aut per Legatum intereſſe, aſſereretque ſe nolle committere ius ſuum peregrinis iudicibus, qui ab Henrico fuiſſent conſtituendi; præcipuè cùm à doctiſſimis Iureconſultis inſtructus fuerit, ſibi, & non alij, ius competere ad Regnum Portugalliæ: quod ius, ſi ei in illis Comitijs negaretur, ſuo tempore recuperaturus erat per vim & arma.

LXXXII. Hæc citatus ab Henrico Philippus reſpondiſſe dicitur. An in hoc falluntur, an fallunt Antoniani? quî aſſeram? quî negem? Sanè non probant, verùm inſanè publicant.

*Condonatio.* Demus igitur hæc eſſe vera. Reſponderit Caſtellæ Rex, quæ ipſi circumferunt: an condemnandus? Porrò vniuerſi peregrini, qui fuerant Coronæ candidati, permittere non poterant hanc cauſſam à Luſitanis iudicari: erant enim ſuſpecti iudices, maximè cum Librorum liminibus affigerent ex 3. Reg. 1. *Domine mi Rex, in te oculi totius reſpiciunt populi, vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te.* Paſſio ſuſpectos reddit Iudices. Patriæ amor eſt paſſio naturalis; ergo in cauſsâ communi magnum erat periculum, vt Iudices ſe permitterent congenitæ paſſioni, ac Luſitanum Regem præponerent iniurij peregrino.

LXXXIII. *Peregrini quis verus Iudex.* Dicis inde ſequi, Hiſpanum (verbi cauſsâ) non eſſe competentem Iudicem, quando Hiſpanus litigat cum aliquo alienigenâ; quia non poterit exuere paſſionem Patriæ; cumque non ſit indifferens, ferendæ ſententiæ non eſt aptus.

Reſpondeo, diſcrimen reperiri maximum in cauſsâ communi,



muni, atque in particulari. Litiget alienigena cum Hiſpano de fortunis, eſt cauſſa peculiaris: Iudex non eſt pars; ſuâ non refert, ſuperet is an ſuperetur; & ideò habet Politicam indifferentiam, vt poſſit ſeruare integritatem. Reliquùm, cùm agitur de Regno, cauſſa eſt communis; naturâ duce malumus ſubeſſe conterraneo Principi, quàm peregrino: illi Iudices diffinituri erant non aliorum Regem, ſed & ſuum: ergo legitimâ ex cauſsâ poterant candidati exteri Luſitanos Iudices quoſcumque recuſare.

Prætereà hi Iudices ex alio capite veniebant recuſandi ab Antonio: ipſe enim non ſolùm de Regno decertabat cum alijs, ſed & cum Rege Henrico; quia, probato legitimo ſuorum parentum matrimonio, debuiſſet in Antonij opinione deponi ſtatim ipſiſſimus Cardinalis Rex. Non ergo tenebatur Antonius admittere arbitros Iudices, conſtitutos à contrariâ parte; ſicut nec Rex Henricus Iudices, quos ipſe Antonius nominaſſet. LXXXIV. *Erant & alio titulo incompetentes Iudices.*

Confuſum chaos! Melitenſis conſeruator non eſt competens Iudex. Comitia Luſitanorum ſunt legitima, habent ſententiam ferendi auctoritatem, verùm ex iuſtâ cauſsâ recuſantur: ad quem igitur appellandum erat Iudicem competenter-legitimum, vt exponeret diffinitiueque enodaret ancipitem difficultatem? LXXXV.

Illum non præuidit Henricus; & idcircò iuſſit Antonio Conimbricæ exiſtenti, vt veniret ad Curiam, iuraturus ſeſe obtemperaturum ſententiæ eſſe quæ in Comitijs ferretur: addebatque, collitigantes vniuerſos eidem ſententiæ ſubſcripturos. Se excuſat Antonius; conſentit verò, vt ipſe fatebatur, coactus, non tamen ſine proteſtatione. *Mandatum indictum Antonio.*

In hoc edicto Henrici plurima video digniſſima conſideratione. Mandatum eſt collitigantis partis, res quæ iubetur eſt iniuſta; quia vel erant Iudices legitimi, vel illegitimi: ſi primi, ante iuramentum teneretur eorum ſententiæ ſubiacere; ſi ſecundi, non poterat cogi vt iuraret obedientiam Iudicibus non competentibus. Addo, Antonium LXXXVI. *Mandati cenſura.*

 poſt

poſt iuramentum præſtitum non teneri obedire huiuſcemodi arbitris; quia coactus iurauerat, ex metu Regis, qui terrêre poterat conſtantem virum : ergo nondum Iudex competens in cauſsâ natalium Antonij exponebatur. Sed ſubijciam aliquid minùs conſultè exhibitum à Rege Cardinali Henrico.

LXXXVII. *Promiſſio ex metu inualida.* Præſtiterat iuſiurandum Antonius, promiſerat ſe obediturum eſſe Iudicibus Comitiorum; & hoc, vt diximus, ex metu Regis. Alterâ die Rex Henricus Antonio notificari curat diploma quodpiam Pontificis Romani, quo in illis Comitijs, & præcipuè in Antonij cauſsâ, ipſe Henricus ſupremus & vltimus Iudex auctoritate Apoſtolicâ conſtituebatur. Iubet pòſt ipſi Antonio, vt Procuratorem conſtitueret, qui coram ſe cauſſam ageret, vtque nihilo ſeciùs intra diei naturalis ſpatium triginta milliaribus ſecederet ab Vlyſſipone.

LXXXVIII. *Rex non poterat eſſe Iudex in illâ cauſsâ.* Ad hæc Antonius, Regem, ait, in hac cauſsâ Iudicem eſſe non poſſe, vtpote qui contra ſe monſtrauerit intimum odium. Probabat in particulari. Dicebat, ſuum Procuratorem Gentium iure conceſſum, & ipſius Regis auctoritate electum, detineri in vinculis, ne partes ſuas liber ſollicitaret. Sed recuſatio ex hac parte non tenuit; quia Rex ſe ab odij ſuſpicione liberauit, aſſerens, ſe inconſulto dictum Procuratorem captum fuiſſe, iubenſque vt ſtatim priſtinâ donaretur libertate.

LXXXIX. *Error Antonij.* Herculè efficaciùs procederet in ſuâ recuſatione Antonius, ſi ex capite duplici Regis tribunal non admitteret: primò, quà conſtituti à Pontifice; ſecundò, quà partis. Sanè, Pontificem non potuiſſe ei dare talem auctoritatem, liquet: quia ipſe Henricus, quà Rex, ni aliàs eam perderet, habebat legitimam; & nullam, quà cōſtitutus à Pontifice, cùm nec is aliquam in cauſsâ Regni merè Politicâ obtineret. Certè, quà pars, iuſtè recuſabatur; quia collitigator ex iure naturę & poſitiuo Iudex eſſe non poterat. Nihilominùs Henricus Rex Epiſcopi Emanoëlis ſententiam, quà Iudex, declarat eſſe nullam.



Obſtupuit Luſitania Iudicis & partis vnionem hypoſtaticam. Antonij Procurator Romano Epiſcopo mittit libellum ſupplicem, quo enarrat rei tragœdiam; petitque vt aduerſus ſententiam tam iniquè latam iuris remedio ſubuenire decerneret, inhiberetque Regi, ne vigore eiuſdem ſententiæ contra Antonium procederet, aut quidpiam durius declararet. Hoc libello accepto, Pontifex confeſtim diploma edi iubet, quo declarauit, hanc à Rege latam ſententiam eſſe nullam, eâ potiſſimùm de cauſsâ, quòd Rex temerè ad cauſſæ diffinitionem feſtinaſſet; cùm videlicet ſuperioribus litteris, quibus rei cognitio Regi commiſſa fuerat, ſolùm permitteretur, vt coram eo poſſent produci teſtes, inſtrumenta, & huiuſcemodi alia, quibus Antonius cauſſam ſuam probare niteretur; indiceretùrque, vt cauſſa ipſa cum actis vniuerſis ad Pontificem remitterentur, laturum ſententiam vltimam in hac quæſtione. Intimatur Pontificium diploma Regi Henrico ab Antonij Procuratore. Henricus eum in exilium ablegat: & qui anteà perperàm in re merè Politicâ cognouerat Pontificis auctoritatem, proprio damno doctior diffinit, de ſucceſſione Regum non poſſe decernere Summum Pontificem; & ideò, non obſtante Pontificis inhibitione, progreditur: declaratio nihilominùs Henrici contra Antonium perennat; is in nullo tribunali auditur. XC. *Antonij libellus.*

## ARTICVLVS V.

*Iudex competens in hac difficultate quis?*

NOn competebat huius cauſſæ ſententia Epiſcopo Emanoëli, imò neque Pontifici, quia erat ipſa Politica. Regi poſſet competere, ni eſſet pars; poſſet Comitijs, ni exteri ad Regni faſtigium aſpirarent. Qui ergo ſuperſunt legitimi Iudices determinandi? herculè ex iure nulli; atque ideò debuiſſet hæc quæſtio diffiniri per arbitros, ſi ſuſpicione liberi reperirentur. Qui igitur tales? vbi reperiendi? XCI. *Incompetentes iudices excluſi.*

riendi? Erant plurimi qui ſe ad Coronam ius habere crediderant, & arbitri non poterant eligi, niſi ex omnium compromiſſione & votis. Qui igitur grati vniuerſis? Sanè fuerat arbitrorum electio difficilis, & ab ijs neutiquam probanda, qui ſine arbitris ſuum ius valuiſſent obtinere. Quid ergo faciendum in re ambiguâ, tantique momenti?

XCII. *Doctrina notatione digna.* Deficientibus Iudicibus qui Petro dent latâ ſententiâ quod ſuum eſt, poteſt talis Petrus conſulere Doctores Iuris, exponere cauſſas ſincerè, ſine colore aut fuco, & eorum expectare ſententiam: condemnatus ſubſcribat: quòd ſi ſententia intento faueat, & Doctores decreuerint illas fortunas pertinere ad ipſiſſimum, ſanè vigore iſtius ſententiæ non tenebuntur antagoniſtæ reſtituere; poterunt enim alios ſimiliter Clariſſimos Doctores conſulere; ipſi autem licebit vel clanculò, ſi fieri poſſet, vel publicè, ni maiora inconuenientia emanent, ſuas ſedulus fortunas vſurpatas, aut vſurpandas tyrannicè, legitimè recuperare.

XCIII. *Deficiebat verus Iudex in cauſſâ hac.* Deficiebat competens tribunal in hac cauſſâ, vt expoſui. Conſulebat Rex Henricus Primores Regni congregatos in publicis Comitijs, Philippus Doctores Salmanticenſes & Complutenſes. Sicut Henricus non tenebatur ſtare Complutenſium decretis, ita nec Philippus diffinitioni Comitiorum; ideò optimè illorum auctoritatem recuſauit, aut potiùs non cognouit, vt vidimus in limine Articuli quarti. Si Doctores illi Salmanticæ & Compluti declaraſſent eſſe Antonium legitimum Filium Infantis Ludouici, ac perinde Succeſſorem Sebaſtiani immediatum in Regnis Luſitaniæ; Rex Catholicus ſtatim quieuiſſet, nihil contra Antonium molitus, quin imò pro ſuâ clementiâ generoſâ ipſi fuiſſet auxilio, vt, depoſito Henrico, Luſitano diademate coronaretur. Ceterùm doctiſſimè ſancta Theologorum atque Iure-conſultiſſimorum Synodus declarauit, immediatum Succeſſorem Sebaſtiani eſſe Henricum; poſt hunc, Regem Catholicum, Antonium eſſe nothum; ergo tutiſſimâ conſcientiâ potuit Catholicus Rex tolerare, fouere ac conſer-



conſeruare Henricum, eliminare Antonium, ac ipſe Portugalliæ redimiri Coronâ inuictè-feliciſſimâ.

Reſtat igitur inquirere, vtrùm Synodi Hiſpanæ, quæ, vt diximus, Doctoribus vtriuſque facultatis coaleſcebat, & iuſſu Regis Catholici coniungebatur, diffinitio fuerit ingenua: quia ſi talis, nulla remanebit difficultas; ſin Synodus condemnanda ſit, erit & Regnum reſtituendum vel Antonio, vel cuiuis alteri. *Decreta Athenarum Hiſpaniæ an ſincera?*

## ARTICVLVS VI.

*Rationibus Art.* II. *adductis, conantibus probare Antonium legitimo matrimonio natum eſſe, ſit ſatis.*

HEnricus, vt ſatisfaceret rationibus, quas ipſius Procurator expoſuerat, perſuaſurus Antonium fuiſſe Filium legitimum, dixit igni: *Domine vim patior, reſponde pro me.* atque iuridicam informationem pro Antonio Reſponſalis Pyroſophus mandauit flammis. Teſtor Anonymum Antoniani iuris explanatorem *pag.* 20. *in fin.* Ignis omnia diſſoluit; rationes attamen igne fortiores perennarunt. A Doctorum Hiſpanicâ Congregatione penitus diſſoluebantur ſic. XCIV. *Informatio Antonij comburitur.*

Ad primum dicitur, ex illis tribus teſtibus, vnum atteſtationem ſuam reuocaſſe, aſſerendo ſe non vidiſſe, ſed audijſſe ſolummodò. Quis de hoc igitur dubitet? audierat ſanè vel ab Antonio, vel à duobus alijs. Hunc teſtem ceciniſſe palinodiam, non diffitetur ipſe Antonius in ſui iuris explanatione pag. 20. Sanè huius teſtis mendacium inſolens non potuit non reddere ſuſpectos duos alios, quibus erat conteſtis, & cauſſam Antonij ex parte maximâ non labefactare. Accidit, quòd & teſte Thuano *libro* 70. *pag.* 387. Antonius ipſe ſubornauerit Antonium Suarez, vt Vlyſſippone occideret Ferrandum de Pinâ, virum maximæ auctoritatis: ergo qui muneribus & vnum & alterum conduxit, potuit & reliquos teſtes ſubornaſſe. XCV. *Primæ rationi ſatiſfit.* *Ferrandus de Pinâ occiditur.*

Ll Sanè

XCVI. Sanè contra opinionem omnium, duorum teſtium productio, qui non fuerunt legitimè examinati, nullam vim potuit obtinere, neque vrgere Catholicum, vt deſiſteret ab expeditione Luſitanâ.

*Secundæ rationi reſpondetur. Scripturis poſtumis quanta auctoritas?*

Ad ſecundum reſpondetur, ſcripturis poſtumis hominum priuatorum non dari plurimam auctoritatem, ni aliàs conſtet non potuiſſe alterari, aut corrumpi. Ceterùm, eſto, demonſtrent Antoniani illud eſſe teſtamenti Autographon; reſtat examinanda littera. Ipſum non vidi, illam non legi; verumtamen admitto credulus, eſſe vt ab Antonio in ſuæ Explanationis pag. 11. citatur. *Is verò* (nempe *Ruy Celema) teſtamento ſuo declarauerat ſe ſemper intellexiſſe, ac pro comperto habuiſſe, quòd matrimonium interceſſerat inter eumdem Ludouicum & Iolentam; addens etiam quaſdam rationes quibus hoc ſatis conuinci poterat*, &c. Citaui verba expreſſa: ſed nondum intelligo, quid pro ſe vtile in ijs repererit Antonius.

XCVII. *Exponitur teſtamenti littera.*

Non aſſerit *Ruy Celema* ſe fuiſſe præſentem matrimonio, non ſe vidiſſe, ſed ſe ita credere, ita intelligere: quid noſtrâ? non eſt ipſe cauſſæ huius conſtitutus Iudex, vt ex eius ſententiâ debeamus condemnari.

Nec valet dicere, illa verba æquiualere Iuridicis; atque ideò ipſum dicere *ſe intellexiſſe*, pro *ſe vidiſſe*: nec valet, inquam; tum quia non debemus admittere vocum abuſum; tum etiam quia ex rationibus, quas addebat, conuinci poterat non intuitiuè, ſed rationabiliter philoſophari, ac perinde non ipſi maiorem debemus dare fidem, quàm ipſius rationibus: hæ nullæ declarantur, ergo non debemus ſubſcribere. Addo, debere eſſe friuolas atque inefficaces, quæ ab Antonio, alias ſatis inutiles ediſſerente, contemnuntur.

XCVIII. *Rationi tertiæ reſpondetur.*

Tertiò, producebatur Ludouici Infantis teſtamentum, quod aptiùs debuiſſet occultari. Cur ergo crederem, Infantem Ludouicum in mortis articulo, in teſtamento publico, legitimum fuiſſe Antonium (ſi talis eſſet) noluiſſe declarare, maximè cùm inſtaret periculum ne Ioannes ſine herede ſecederet? Herculè non poterit ſe aſſerere legitimum Filium Antonius, quin incuſet crudelitatis ſummæ Patrem, malentem Filium priuare Regno, quàm Matrimonium confiteri.



XCIX. *Inſtantia præcluditur.*

Illud quod ſubſumitur ſæpè ab Antonianis *in Explanationis pag.* 9. nempe, non declarauiſſe Antonium eſſe legitimum, quia erant plurimi heredes, qui & Antonium præcederent, eſt friuolum, ac planè falſum; quia Antonium (ſi is legitimus eſſet, & faueret in cauſsâ huiuſcemodi Repræſentatio) ſolummodò præcedebat Sebaſtianus Ioannis Filius; & non legitur eiuſdem Ioannis Filius alter: ergo erat in morali periculo ſucceſſio Ioannis; igitur ſi eſſet legitimus Antonius, non poterat non explicari.

*ex Ludouici Infantis teſtamento.*

A Ludouico inſtitui heredem Antonium non refert; vel ſi refert, potiùs noſtrâ, quàm ſuâ: quia ſi eſſet legitimus, eſſet heres ex iure, & non indigeret nouâ aliquâ inſtitutione: herclè indiguit, vt patet ex ipſo teſtamento; ergo non fuit legitimus. Hoc autem publicari oportet, nempe in Ludouici teſtamento Antonium non ſolùm non declarari legitimum, ſed expreſſis verbis vocari Filium naturalem. Conſtat ex ipſo teſtamento, quod Antoniani tanti faciunt. Hæc clauſula citatur à Licentiato Afonſo Lucena, & à Doctore Felice de Texeira, *in allegationibus pro Infante Catherinâ, illatione ſecundâ, num.* 18.

*Rationi quartæ ſit ſatis.*

Ad quartum dico, illud priuilegium habendi Stemmata Gentilitia ſine lineâ aut ſegmento, naturalitatis notâ, non ſufficere vt fiat legitimus, qui aliàs non eſſet: quia vt plurimùm haberet legitimationis efficaciam, de quâ iam diſputo. Ceterùm ex eodem priuilegio conuincitur quodammodò illum legitimum non fuiſſe. Ratio: quia ſi eſſet talis, non indigeret tali priuilegio, vt Stemmatibus integris vteretur.

## CONCLVSIO.

COncluditur ergo ex ijs quæ diximus, Primò, Antonium fuiſſe ὑπόβλητον, vel παρθενιὸν vt plurimùm, non verò legitimo connubio genitum. C.

 Secundò,

Secundò, quà legitimum non potuiſſe adſpirare ad Coronam Regni Portugalliæ; vtpote qui talis politicè non erat.

Conſultò dixi politicè; quia licet reuerà legitimus filius Infantis eſſet, non eſſet filius politicus: & filij politici ſolummodò ſuccedunt Patri. Doceri vis, quos nominem filios politicos? Filium politicum eum dico, qui talis probatur, vel ex communi omnium opinione, vel ex teſtimonio aliquorum, qui fuerint fide digni. Filium non politicum dico illum, qui, licet filius ſit, Petri verbi gratiâ, nec vt talis cognoſcitur, nec poteſt ſuam geneſin probare. Eſto, Antonius legitimus fuerit filius Infantis Ludouici; ceterùm politicè talis non eſt, quia nec talis à populo cognoſcebatur, neque probabatur talis eſſe. Ergo, licet ſupponatur eſſe certum, Antonium ex thoro legitimo eſſe genitum; eſt tamen improbabile, vt vidimus: atqui cordatus nemo acquieſcere poteſt opinioni improbabili, ergo nec ſequi Antonij partes: hæc enim pars ex ſuppoſitione quòd fuiſſet vera, nec habet digniores teſtes, nec probationes penitiores; ac propterea, qualis anteà fuerat, remanet improbabilis.

*Filij in verum & politicum diſtinctio.*

*Propoſitio certa poteſt eſſe improbabilis.*

Ceterùm, Antonium fuiſſe illegitimum demonſtrat mihi Achilles hic. Sereniſſimus Infans Ludouicus fuit Dux de Bejâ, Dominus de Septâ, & de Maurâ, Couillaniâ, & Almadâ, & Comes ſtabilis in Luſitaniâ: ergo ſi Antonius fuiſſet filius legitimus, omnium horum titulorum poſſeſſionem hereditariò poſſideret. Atqui hanc non obtinuit; ergo non erat filius legitimus Principis Ludouici.

*Achilles contra Antonium.*

CI.

### *Ex hypotheſi quòd fuiſſet legitimus.*

*Sententia Scheuolæ & Ludouici de S. Marthâ.*

Scheuola & Ludouicus de Sanctâ Marthâ *in Hiſt. genealogicâ Domus Regiè-Francicæ Tomo 2. libr. 27. pag. 718.* aſſerunt, Antonium fuiſſe legitimum Principis Ludouici ex Iolentâ (ſiue Violantiâ) filium: ex eo colligunt, quòd non admiſerit in Vxorem Mariam Angliæ Reginam, nec Barbaram

Barbaram



Barbaram Sigiſmundi Regis Poloniæ filiam, ex impedimento ſecreto, nempe quòd iam Iolentam duxiſſet in Vxorem. Additque, Antonium in Ludouici teſtamento non vocari filium naturalem (*ibidem.*) Subiungit reuerà fuiſſe Luſitanorum Regem (*pag. 719.*) nempe iure electionis (*pag. 720.*) ac perinde Henrico præferendum eſſe (*pag. 720.*)

Supponamus igitur, Antonium fuiſſe legitimam Principis Ludouici ſobolem, quod erat improbabile. Supponamus etiam in teſtamento Patris non vocari filium naturalem, vt contra veritatem (quam num. 99. expreſſi) ab his auctoribus aſſeritur; imò demonſtretur eſſe legitimum: quid inde? *Impugnatur.*

Primò, ex hac hypotheſi non debuiſſet præferri Henrico Cardinali. Ratio: quia ſi anteponeretur, maximè ob repræſentationis beneficium, hoc non habet inpræſentiarum locum; ergo Antonius Henrico non fuerat præponendus. Minorem inferiùs *Libr. 5. Diſp. 7. per totam* demonſtrabo.

Secundò, etiam ex hypotheſi, quòd Antonius fuiſſet legitimus Iolentæ & Ludouici filius, non debuiſſet Catholico Regi anteponi, vtpote ſeniori in æquali conſanguinitatis gradu conſtituto, vt colliges ex his quæ ediſſeram *eadem Diſput. 7. num. 60.*

# QVÆSTIO III.

## *Vtrùm Antonius, quà legitimatus, habeat ius ad Regnum Luſitaniæ?*

### ARTICVLVS I.

### *Status Controuerſiæ. Legitimationis efficacia quanta?*

Vidiſti Antonianas eſſe rationes fragiles, quas refutauimus: à diſſolutione fiunt nullæ; ante hanc, vix aliquæ. Licentiatus Afonſus de Lucena, & Doctor Felix de Texeira, qui ius Infantis Catharinæ propugnarunt, dedi- CII.

*Hoſtis rationes nunquam ſunt contemnendæ.*



gnati

gnati ſunt ijs ſatisfacere; ſed ego non dedignor, ne alicui fortiores videantur.

Sanè non pauci ex Antonianis, videntes ſe non poſſe probare Antonium non eſſe Filium nothum, ad legitimationem confugerunt, aſſerentes eum habere ius ad Portugalliæ Regnum, quà donatum legitimatione. Sed à quo? non ipſi reſpondent eodem modo. Alij enim prætextu deuotionis ad Pontificem Summum recurrunt, & ab hoc ediſſerunt Antonium, aliàs nothum, fuiſſe legitimatum: alij Politicæ rei peritiores imponunt Luſitaniæ Regibus, quòd eum nothiſmi notâ ſuâ munificentiâ liberauerint.

CIII. Mi Deus! ipſe Antonius in ſuâ Explanatione legitimationis non meminit; atque ideò nemini eſſem iniurius, ſi illam eſſe crederem chimæricam prorſus, & falſam. Scipio Dupleix in Hiſtoriâ Henrici III. Francorum ac anteà Polonorum Regis, fatetur Antonium nothum fuiſſe; eum tamen donat titulo Regis propter legitimationem Pontificiam. Hanc non ſufficere demonſtrabo inferiùs num. 105. Eam non habuiſſe conſtat, tum aliunde, tum præcipuè ex Epiſtolâ ipſius Antonij ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum datâ ſextâ Februarij (annus non exprimitur in protocolo Epiſtolæ quod eſt apud me; ſed in libr. 2. Commentariorum, in quibus ipſe Antonius ſuam hiſtoriam deſcripſit manu propriâ, quos etiam apud me conſeruo, præfigitur in titulo Ann. 1582.) Aſſerit in principio huius Epiſtolæ, ſe titulo electionis adſpirare ad Coronam: addit, Pontificem commiſiſſe examen de matrimonio Principis Ludouici & Iolentæ, Legato ſuo Apoſtolico Alexandro Furmentio, ſed hunc non tuliſſe ſententiam. Conqueritur de Summo Pontifice, diras contra eum explodit; ſed legitimationis non meminit. Ergo numquam hoc titulo Antonius ambiuit Coronam Luſitaniæ. Innocentius non Antonio fauebat, ſed Philippo, in tantum vt Antonij litteris dedignaretur reſpondere. In dorſo huius Epiſtolæ manu eiuſdem Antonij leges iſtam periodum:

*Scipio Dupleix in Hiſtoriâ Henrici III. Franciæ atque Poloniæ Regis aſſerit, Antonium nothum fuiſſe, ſed à Pontifice legitimatum.*



*Eſta carta foi dada na mão do Papa Grigorio XIII. e a leò: não reſpondeò a ela, mas amtes dexou eſta baralha emtregue à fortuna, e ventura do ſucceſſo de cada hum deſtes dous Reis, que ſe aparelhauão cada hum com ſua armada pera ſe irem buſcar & combater.* Loquitur ſemper de ſe in tertiâ perſonâ, vt in Comm. Iulius Cæſar. Reliquùm, cùm videam eſſe innumeros ita credulos, vt ſine diſcrimine fabulis quibuſuis aſſentiantur, concedo vltrò, Antonium impetraſſe legitimationem à Regibus, & à Pontifice; quam nuſquam exhibent. Eſto, conceſſerint: quid inde? an ideò habere poterat ius ad Regnum Luſitaniæ?

Dicis: Legitimati Patribus ſuccedunt ex teſtamento, & ab inteſtato, iuxta id quod docet Textus *in l. Qui prouincia. §. 1. ff. de Ritu nuptiar. dict. Auth. Quibus modis nat. effic. ſui. §. Illud.* vbi expreſsè reperi hæc verba: *Nihil à legitimis differentes.* quod pro legitimatis doctiſſimè expendit Rojas *c. 23. à princ. & n. 49.*

Reſpondeo, legitimationem in ijs bonis prodeſſe, quæ poſſunt legari in teſtamento, nec habent neceſſarium ſucceſſorem. Vnde in maioratibus ſi quis legitimaret Parthenium, aut nothum grandiorem primo Filio legitimo, non faceret quo minùs legitimatus legitimo præponeretur; quia maioratus non poterat in teſtamento legari, cùm haberet ex legum intemerandis regulis neceſſarium & certum ſucceſſorem. Atqui Corona Regia non poterat ab Henrico aut Pontifice in teſtamento legari; ergo nec legitimatus præcellere debet legitimos. Porrò nec ea, quæ poſſunt liberè legari in teſtamentis, debuiſſent potiùs ad legitimatos quàm ad legitimos venire; niſi fortè ex grauiſſimis cauſſis, de quibus in lege citatâ ediſſerunt Iuriſconſulti. CIV.

*Legitimatio in quibus proſit.*

Hæc ratio in genere probabat legitimationis efficaciam; & ideò in genere, ſed adæquatè, ſatisfecimus: reſtat inſtituere rationes poſitiuas, quibus ſingulatim nec Catholicè-ſummum Pontificem, nec Luſitaniæ Reges potuiſſe

tuiſſe Antonium legitimare ad Luſitaniæ Sceptrum, liquidiùs demonſtretur.

## ARTICVLVS II.

### *Non ſufficere Pontificis legitimationem.*

CV. *Eccleſiaſtica auctoritas exoſa quando? cur?* NEceſſarium eſt hîc agere de poteſtate Papæ, cuius auctoritatem exoſam reddiderunt nonnulli potiùs Catholici adulatores, quàm hæretici. Ipſa eſt Sereniſſimè maxima, non indiget prærogatiuis fabuloſis; vt ſit illuſtris nec ſpes præmij cogere debuiſſet ſcriptores, ne Regibus iuſtè concederent, quæ iniuſtè Pontifici negarent; aut è contra. Securis acta in ferrum retunditur, vt pòſt nec arboribus ſuperſit intercidendis apta: non ſecùs Eccleſiæ auctoritas, ſi extra cancellos iuriſdictionis ab ambitioſis miniſtris aliquot agatur, retunditur, vt poſteà vix benè audiat, cùm à pijs legitimo obiecto applicatur. Dei vnius potentia eſt infinita: ipſe eſt vniuerſorum Dominus, tam in ſpiritualibus quàm corporalibus. Hanc poteſtatem communicauit hominibus, finitè tamen. Pontifici Eccleſiaſticam dedit, Regibus politicam & ſæcularem. Ita Gloſſa *verb. Habeat poteſtatem. in c. Venerabilem.* 13. *qui fil. ſint leg.* ſubſcribunt Anton. *n.* 11. Abbas *n.* 22. & reliqui Iure-conſultiſſimi *ibidem*, Bartolus *in l. Cunctos populos. n.* 41. *C. de ſummâ Trinitate. & in Auth. Ex complexu. in fine. Co. de Inceſt. nupt.* Eſtque communis opinio recepta inter Auctores, & in praxi apud plurimos, quos refert Rojas *d. c.* 23. *nu.* 115. Molina *lib.* 3. *c.* 2. *num.* 11. Palaez *vbi ſuprà, Part.* 1. *quæſt.* 58. *n.* 10. Quam opinionem amplectuntur Theologi; ita vt vix quiſpiam aliter probabiliter philoſophari valeat.

*In Pontifice perſona duplex.* Nec vidiſſe proderit temporalia plurima decerni à Papâ; quia in eo conſiderare licet duas perſonas ſupremas, Eccleſiaſticam, & ſæcularem. Illam agit in totâ Eccleſiâ, hanc ſolummodò in patrimonio Eccleſiaſtico, hoc eſt in territorio quod ſæculariter ſubditur ipſi, non quà Romano



Romano Epiſcopo, ſed quà Regi, ſiue ſupremo Domino.

Conſideratâ igitur primâ, nempe Eccleſiaſticâ auctoritate, aſſero, potuiſſe Pontificem legitimaſſe Antonium ad quaſlibet dignitates merè Eccleſiaſticas, putà Cardinalatum, Abbatiam, Prioratum, & reliquas: ceterùm, ad Politicè-ſæculares nullo modo potuiſſe; vt nihil interim dicam de his quæ mixtim ex Eccleſiaſticâ ſæculariqúe auctoritate coaleſcunt: atqui Regia dignitas non eſt Eccleſiaſtica, vt intendunt hæretici, ſed merè politica, & terrena; ergo ad dignitatem huiuſcemodi non proderit Pontificis legitimatio. CVI.

Conſideratâ autem ſecundâ, nempe ſæculari Pontificis auctoritate, credidero, poſſe Papam legitimare quemlibet ad officia ſæcularia habenda non in Hiſpaniâ, ſed in Eccleſiæ territorio; quia in hoc Pontifex eſt ſupremus, & Politicè-ſæcularis Dominus; in illâ ſæculariter eſt ipſe nullus.

Præterea, quoad Coronam Regiam, nec in ſuo poteſt territorio nec extra quempiam legitimare. Extra non poſſe, quî ambigas? extra territorium Eccleſiæ nullam habet, vt demonſtrauimus, ſæcularem auctoritatem. Nec in eodem id poſſe conſtat; quia qui in Eccleſiaſticis diſponendis non à creaturâ, non à ſæcularibus legibus directè alligatur, ſed ab vnâ ratione, in ſæcularibus pendet à populi conſenſu, conſuetudine, vſibus, exemptionibus, & præcipuè ab Imperatorum & Regum donationibus, à diplomatum conditionibus, regulis; quibus non permittitur Summo Pontifici legare Eccleſiæ patrimonium, nec quempiam ad illud habendum legitimare, habilitare. Sed de hoc alibi, quia noſtrâ non intereſt examinare, quam poteſtatem ſæcularem & qualem habeat Pontifex in territorio Eccleſiæ; ſufficit demonſtrauiſſe, in Luſitaniâ illum nullam habere ſæcularem. CVII. *Pontifex nequit legitimare ad Regnum.* *Scipionis Dupleix error notatus.*

## ARTICVLVS III.

*Regum Luſitanorum legitimationem non prodeſſe.*

CVIII. DEbuiſſent ſanè fingere Antoniani iuris motiua vtilia, & efficacia. Quid prodeſt chimæricis atque fictitijs theoricis confundere practicam Iuris? Volebant Antonium à Pontifice fuiſſe legitimatum; non probarunt. Aſſenſum præbui non rationis, non auctoritatis, ſed meræ vrbanitatis gratiâ; vltrò conceſſi quod iudicabam falſum: quoniam inutile, & in cauſsâ Regni non poterat illis prodeſſe. Notarunt aliqui Pontificiæ legitimationis inſufficientiam, & ideò recurrerunt ad Reges. Antonium aiunt à Ioanne, à Sebaſtiano Regibus, à Ludouico Infante legitimatum fuiſſe. Quî probant? vnde cogemur credere? ſanè ipſi dicunt, & hoc quia credunt conducere ad ſuæ fauorem cauſſæ. Addo, Antonium nuſquam aſſeruiſſe ſe legitimatum eſſe à Pontifice, nuſquam à Regibus, vt ſui iuris Explanationem legens videre poteris. Ceterùm, examinis vlterioris gratiâ, demus, legitimauerint eum prædicti Reges; Regis Henrici declaratio, quâ nothus exponitur, non habuerit quampiam auctoritatem. Quid inde? Si benè examines, non inde ſequitur, Antonium fieri capacem Coronæ Portugalliæ. Vt hoc aſſeram, habeo fortiſſimas rationes: ſi ſubſcribis, lege; & confirmaberis in ſenſu vero: ſi diſſentis, perlege; & ad veram ſententiam reduceris.

*Antonius nec à Rege nec à Pontifice legitimatus.*

CIX. Legitimationum Iura in eo ſunt, vt filij Parthenij habeantur quaſi legitimi erga Patres, non verò erga Conſanguineos, *tex. in l. Communium. in princ. d. Auth. Qui mod. nat. §. Filium.* Ergo per legitimationem canonicè-iuridicam eſſet Antonius heres Ludouici Patris ſui, tam earum rerum quæ poterant legari, quàm earum quæ deberent deferri ab inteſtato; non autem ideò eſſet neceſſarius heres Cardinalis Regis Patrui ſui.

CX. Nec dicas: Sufficit textus hos eſſe intelligendos de legitimatione factâ per oblationem Curiæ, non verò per reſcriptum Regis. Vide *text. in d. Auth. Quibus modis. §. Quapropter.* Bartolum & Baldum *in d. l. Communium*, & aliquos, quos citat Couarruuias *de Sponſal. 2. p. c. 8. §. 10. n. 2.* Rojas *vbi ſuprà n. 40.* Antonius de Gamâ *deciſ. 3. num. 7.* Verè etenim hi textus intelligendi veniunt tam de legitimatione factâ à Curiâ, quàm à Principe aut Rege. Non ſum in hac ſententiâ ſingularis; ſubſcribo Baldo *in l. Cùm in ſpurijs. n. 6. C. de Adoption.* Antonio *in d. c. Per tres. nu. 3. Cod. Inofficioſo.* & ibi. Iaſ. *n. 6. verſ. 4. Limitata.* Palaez, Rub. citato à Couarruuiâ dicto in loco. Nec hos auctores in hac ſententiâ videri velim temerarios; & ideò expendam breuiter motiua & fundamenta.

Primum. Vbi eſt eadem ratio, idem ius debet eſſe, vt admittunt catholicos Iure-conſulti. Atqui vtriuſque legitimationis eſt eadem ratio; ergo idem ius. Si igitur legitimatio à Curiâ ſolùm prodeſt, vt parentis defuncti bona accipiat, non autem alicuius affinis cognatiuè collateralis; fieri non poterit, vt legitimatio à Rege habilitet, vt quis patruo ſuccedat, aut alij cuipiam conſanguineo. CXI.

*Iuris analogia.*

Confirmatur. Si inter vtramlibet legitimationem aliquam poſſis notare differentiam, ea erit maximè, quam notauit Paulus Caſt. *in l. Ex fact. in fine principij, ff. de Vulg.* & poſt alios non paucos Tiraquellus *de Iure primog. q. 34. n. 51.* nempe eſſe fauorabiliorem legitimationem illam, quæ fit per oblationem Curiæ, illâ quæ per reſcriptum Principis: ergo ſi Curialis non ſufficit, vt aliquis ſuccedat patruo, à fortiori non ſufficiet Regalis, ſiue Principalis. CXII.

*Confirmatio.*

Poſui auctorum teſtimonia vt intentum conuincerem: ſed & ijs deficientibus non ſuperarer. Vſus fortior auctoribus fauebat mihi. Legitimationes plurimas conceſſerunt inuictiſſimi Monarchæ Luſitani: forma eas concedendi extat hodie in Turre *do Tombo libr. 1. da leitura noua das legitimações fol. 1.* ibi expreſſiſſimis verbis exponitur, *que os legitimados poſſam ab inteſtado ſocceder à ſeu pai & mãi ſomente.* CXIII.

*mente.* nempe, *poſſe legitimatos ſuccedere ab inteſtato ſuo patri & ſuæ matri ſolummodò, non tamen alijs*; puta, cognatis, conſanguineis.

CXIV. *Legitimus & legitimatus concurrunt: qui?* Exuberat memoria quapiam non contemnendâ circumſtantiâ; quæ, licet hîc ſuperſit, eſt digniſſima cognitu, atque frequens in praxi. Quando legitimi & legitimatus aliquis in bonis quibuſlibet ſuccedunt patri, legitimus, qui minus recipiat, debet plus excipere quàm legitimatus, *tex. in d. l. Communium. §. vlt.* & *in d. Auth. Quibus mod. nat. §. Et quoniam variè*, vbi legere eſt expreſſa verba, *Ita tamen, vt non amplius habeat vno horum, qui ab initio* (hoc eſt *à geneſi*) *legitimi ſunt, & inter omnes minus habente.* Subſcribo Baldo *in c. Per tuas. n.2. de maior.* Alex. Iaſ. Dec. Tiraquell. & alijs, quos citat & ſequitur Molina *libr. 2. cap. 11. à n. 19.* iudicans eodem modo philoſophandum eſſe de legitimatis per reſcriptum Principum; additque, hanc opinionem eſſe communem omnibus. Eiſdem ferè verbis nobis fauet Dec. *Conſ.* 393. *col.* 2. Zucard. *in l. Poſtumo. n.* 44. *C. de Contra. tabul.* Hanc ſententiam eſſe communiorem, ac perinde tutiorem, docet Ruin. *Conſ.* 107. *num.* 10. *libr.* 3.

CXV. Ex his conſtat, Antonium, quà legitimatum, aut à Curiâ aut à Rege, nempe ab illâ per oblationem, ab hoc per reſcriptum, non poſſe inſtitui heredem patrui.

CXVI. *Hypotheſis.* Supponamus, omnes Coronæ Regiæ candidatos eſſe Henrici Cardinalis Regis Filios, Antonius ſit natu maior, ſitque legitimatus oblatione Curiæ, ſeu, ſi malis, Regis reſcripto; quis tunc temporis ſufficeretur in Regno Cardinali Regi?

CXVII. Videretur tibi quòd Antonius; quia per legitimationem fit habilis, vt ſuccedat Patri: ſed falleris; inſtituendus in tali caſu legitimorum ſenior: ratio eſt, quia, vt conſtat ex Auth. *Quibus mod. nat. §. Et quoniam variè.* nullus filius legitimus poteſt recipere minus quàm legitimatus: atqui ſi Antonius in Regno ſuccederet, aliquis, imò omnes legitimi eſſent peioris conditionis quàm legitimatus, atque minus



minus acciperent; ergo in tali caſu non poſſet in Regno ſuffici Henrico Regi.

CXVIII. *Quæſtio incidens.* Vt penitiùs legitimationis percalleas efficaciam, interrogas, vter eſſet Regis deuiuentis ſucceſſor, ſi ſupereſſet Filia legitima, & Filius iuridicè-legitimatus? Reſpondeo, Filium legitimatum non eſſe præponendum legitimæ filiæ: ſequor tum alios, tum præcipuè Molinam *libr.* 3. *c.* 2. *n.* 7. & *c.* 5. *n.* 75. vbi addit hanc eſſe communem opinionem, Sarmientum *libr.* 1. *Select. c.* 8. *n.* 12. Perez *ad l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *Ord. pag.* 95. *col.* 1. Tiraquellum *de Iure primog. q.* 34. *n.* 52. qui & adlegat plures auctores.

CXIX. *Legitimatio Antonij inutilis.* Addo, Antonio ad nihil proficere talem legitimationem, hoc eſt eſſe nullam, & ex vi illius nullatenus potuiſſe ſuffici Ludouico Parenti in bonis fortunæ quibuſcumque. Demonſtro ſic: Nullus poteſt à Rege legitimari ſine conſenſu ſui Patris: Ludouicus Infans non præbuit conſenſum, vt Antonius legitimaretur; ergo non potuit legitimari; ac perinde, ſi tali à Rege donatus fuerit priuilegio, legitimatio eſt nulla. Conſequentia eſt legitima; ſolùm dubitas de antecedentibus.

CXX. Maiorem probo *ex text. in d. Auth. Quibus modis nat. §. Illud. verſ. Si verò is. & verſ. Generaliter.* Conſentio Abbati, Dec. Anto. Capyc. & alijs, quos citat Rojas *d. c.* 33. *num.* 23. Couarruuias *d. c.* 8. *§.* 2. *num.* 13.

Minorem monſtro; quia in legitimatione Antonij nullus fuit conſenſus Infantis Ludouici. Colligo; quia Infans eum inibi vocat non legitimum, non legitimatum, ſed Filium naturalem, hoc eſt parthenium, nempe ex virgine & non ex nuptâ obtentum.

CXXI. *Condonatio.* Præterea, condonemus Antonium eſſe legitimatum ex conſenſu Infantis Ludouici; ſequamur minùs probabilem illam ſententiam, quàm contra ferè omnes Doctores ediſſerit Bartolus *in d. l. Communium*, poſſint legitimati ſuccedere in bonis non ſolùm parentum, ſed etiam cognatorum conſanguineorumque; quid ipſis non concederem, vt fa-



uerem

uerem Antonio? his autem omnibus conceſſis, adhuc nullum Antonio ius ad Regnum Luſitaniæ: ratio eſt, quia Bartolus, & qui illi ſubſcribunt, ſolùm agunt de bonis patrimonialibus quæ poſſunt diuidi, non autem de Maioratibus qui pendent à voluntate Inſtitutoris, qui creditur non habuiſſe intentionem admittendi alios quàm legitimos ad ſucceſſionem, vnde creditur excluſiſſe Nothos, Parthenios, Spurios etiam legitimatos. In feudis conſtat *ex text. in d. c.* 1. *§. Si quis. verſ. Naturales.* Hic textus in ſpecie eſt tam clarus, vt coëgerit huic ſententiæ ſubſcribere Doctores plurimos, quos recenſet Petrus Dueñas *Reg.* 360. *à princ.* Couarruuias *d. §.* 2. *n.* 27. Iulius Clar. *verb. Feudum. q.* 82. Ceterùm, in bonis Coronæ hanc habet ſententiam Ordinatio *libro* 2. *dict. tit.* 17. *§.* 10. quæ confirmari poterit ex formâ legitimationum Regni. Hanc ſententiam optimè extendit ad Maioratus atque Patrimonialia Palaez *d.* 2. *p. q.* 1. *à princ.* vbi citatis pluribus addit, hanc eſſe ſententiam communiſſimam. (De Eccleſiaſticis, vide Baldum *in l. Generaliter. §. Cùm autem. n.* 2. *C. de Inſt.*) Ibidem Iaſ. num. 19. (nota benè) aſſerit hanc ſententiam habere neminem contradictorem. In eâdem non pœnitebit perlegiſſe Iaſ. *in l.* 2. *n.* 205. *C. de Iure emph.* Ruinum *Conſ.* 150. *lib.* 1. Iulium Clar. *verb. Emphiteuſis. q.* 31. Ordinat. *libr.* 4. *tit.* 62. *§. antepen.* Eſtque in praxi in Luſitaniæ Regnis.

CXXII. *Illegitimi excluduntur à Maioratu.* Huius inſufficientiæ ratio euidentiſſima, contra quam recalcitrat ſapientum nullus, eſt hæc: Illegitimi Nothi, Parthenij, & alij qualeſcumque à Maioratu excluduntur, licet in eius inſtitutione nulla eorum fiat mentio; quia cùm Inſtitutor ſit Heros nobilis, & plerumque in dignitate conſtitutus, debet cenſeri, voluiſſe admittere ex ſuâ poſteritate ſolùm legitimos, & excludere Nothos atque Parthenios vniuerſos. Atqui Inſtitutor cenſetur etiam noluiſſe admittere legitimatos; ergo & iſti veniunt excludendi. Minorem certam eſſe aſſerit Baldus *Conſ.* 203. *ad med. libr.* 5. & probat *ex text. in d. verſ. Naturales.* ei ſubſcripſit Alex. *Conſ.*



*Conſ.* 94. *n.* 5. *libr.* 1. & alij plures quos recenſet Tiraquellus *de Nobilitate, n.* 15. Molina *libr.* 3. *c.* 3. *n.* 32. vbi addit, citra controuerſiam eſſe hanc communem opinionem; imò ſubiungit, nec vnum eſſe auctorem qui ſubſcribat contrariæ.

Hinc contra Antonium analogiſmus efficax. De illegitimis atque legitimatis quoad Maioratum eodem modo debemus philoſophari. Regnum eſt Maioratus, quia non niſi maiori datur Filio; ergo in Regni ſucceſſione non differt illegitimus à legitimato. Subſumo. Atqui Antonius, quà illegitimus, non erat Regni verus heres; ergo neque quà legitimatus. Omnia ſunt certa & clara. Quòd ſi ſubſumptam iſtam neges, refutaberis aptiore loco, Quæſtione ſubſequente. CXXIII. *Regnum eſt Maioratus.*

Demus ergo Antonio, legitimatum poſſe ſuccedere non Patri ſolùm, ſed & Patruo in quibuſcumque dignitatibus; nec ideò ſequitur poſſe in Regiâ: ratio eſt, quia cùm hæc ſit ſuprema, poſtulat expreſſam mentionem; atque ideò, ni expreſſis verbis dicat Rex, *Legitimamus Antonium ad Regiam dignitatem*, legitimatio non proderit, vt in Regno ſuccedat. Ita reſoluit Baldus *in l. Eam, quam. n.* 44. *C. de Fidei commiſſis*, & *in c. Per venerabilem. n.* 13. *qui filij ſint legit.* quem ſequitur Chaſſenius *in Catal. glor. Part.* 1. *conſider.* 77. *fol.* 29. *col.* 3. Gregorius Lopez *in libr.* 4. *tit.* 15. *Part.* 4. *verb. Todas las honras.* CXXIV. *Condonatio.*

Demus ampliùs Antonio, ipſius legitimationem habere expreſſam clauſulam per quam reddatur habilis ad Regnum, adhuc remanêret inhabilis: ratio, quia nec Pontifex Romanus, nec aliquis terrenus Rex, poteſt quempiam legitimare ad Regnum, ſi datur aliquis eiuſdem Regis conſanguineus, qui legitimus ſit heres illius Regni. Ita poſt Innocentium reſoluit Dominicus *in d. c. Grandi. num.* 10. quem ſequuntur plurimi quos citat Molina *libr.* 2. *c.* 11. *num.* 22. Coſta *de Succeſſ. Regn. pag.* 150. Antonius à Gamâ *deciſ.* 228. *à num.* 13. Burgos *in Proœmio ad Leges Tauri, num.* 326. CXXV. *Condonatio altera.*

Demus

CXXVI. *Condonatio tertia.* Demus etiam, Regem habere auctoritatem habilitandi & legitimandi Antonium ad Regnum; adhuc non prodeſſet talis legitimatio. Cur? quia in tali legitimatione non conſenſit Rex Catholicus, ac reliqui Emanoëlis Nepotes, qui aſpirabant ad Regnum. Eorum conſenſum requiri breuiter demonſtrabo. Attende. Bartolus *in l. Gallus. §. Et quid ſi tantùm. n. 14. ff. de Lib. poſt.* Couarruuias *de Sponſal. 2. p. c. 8. §. 9. n. 7.* Molina *libr. 3. c. 3. n. 10. & 26.* Sarmientus *d. c. 8. n. 7.* Andreas de Iſernia *ex Gloſſ. verb. Legitimi. in d. verſ. Naturales, ex text. in l. 2. §. Si quis à Principe. ff. Ne quid in loc. publ. c. Super eo. de off. de leg.* Alex. *Conſ. 60. n. 2. lib. 2.* & Antonius Roſellis, & alij qui apud hos citantur, diſertè aſſerunt, non requiri conſenſum conſanguineorum collateralium, ad hoc vt proſit legitimatio, quæ fit ſuperſtite atque conſentiente Patre, habilitans dictum illegitimum ad ſucceſſionem in bonis patrimonialibus. Rationem petis? dabo. Quia de illis poterat Pater liberè diſponere, & legare cuicumque peregrino; & ideò cùm nullum ius habeant conſanguinei ad talia bona, non requiritur illorum conſenſus. Hinc ego deduco. Ergo ſi conſanguinei habuiſſent ius ad illa bona, ita vt Pater ille non potuiſſet ea legare peregrino, non teneret legitimatio, quæ ad talia bona fieret ſine conſenſu aliorum, qui erant heredes neceſſarij. Atqui Rex non poteſt Regnum legare cui voluerit; eſt enim ſupremus Maioratus, qui heredes neceſſarios infert: igitur ſine horum conſenſu non potuit Antonius ad Regnum legitimari à Ioanne, aut Sebaſtiano, Luſitanorum Regibus. Subiungo iterùm. Atqui nec Philippus Catholicus, Caſtellæ Rex, nec reliqui, qui ad hanc Coronam adſpirabant, aſſenſum ſeu conſenſum in legitimatione huiuſcemodi præbuerunt; ergo non tenet talis legitimatio. Hæ illationes ſunt immediatæ, & efficaces. Eliciebantur ante me ab Antonio de Gamâ *vbi ſuprà num. 15.* Molinâ *d. num. 10.* aſſerente *ibidem*, non prodeſſe talem legitimationem, ſine illorum conſenſu omnium qui habent ad talem rem ius, aut in re, aut ſaltem in ſpe: quod eſt valdè notandum.



Volo finem imponere huic quæſtioni, aſſerens, nullo vſu in contrarium, leges citatas & opiniones horum Iure-conſultiſſimorum abrogari, imò roborari auitâ & perenni conſuetudine. Nam cùm Ioannes I. legitimaretur à Populis ad faſtigium Regiæ dignitatis, ſupponebatur, nullum eſſe legitimum Fernandi conſanguineum vltimi Poſſeſſoris; quia aliàs ad Regnum non habilitaretur: ſed de hoc iam ſuprà. CXXVII. *Vide ea quæ diximus Libro 2. & 3.*

Præterea, & hoc efficaciùs vrget: Ioannes II. intimè diligebat Dominum Iörgium ſuum Filium; potuit eum legitimare ad bona mobilia, *text. in c. Per venerabilem. §. Inſuper. qui filij ſint legit.* deſiderauit habilitare ad Regnum, non tamen potuit; quia inde oriretur præiudicium cônſanguineo ſuo Emanoëli, qui pòſt, contempto illegitimo Iörgio, ſuffectus eſt Ioanni II. deuiuenti.

## CONCLVSIO.

Sit ergo notum omnibus & manifeſtum: Primò, Antonium nec à Pontifice, nec legitimatum fuiſſe à quopiam Rege Luſitaniæ.

Secundò, Pontificem potuiſſe eum legitimare ad Prioratum *do Crato*, aut aliam Eccleſiæ dignitatem; non verò ad Coronam Politicam, & ſæcularem.

Tertiò, Regem non potuiſſe reſcribere huiuſcemodi legitimationem ſine Infantis Ludouici conſenſu, in præiudicium partis.

Quartò, neque partem (nempe Philippum II. & reliquos Emanoëlis Nepotes) neque Ludouicum Infantem conſenſum præbuiſſe.

Ac tandem, inde Antonium virtute legitimationis non fuiſſe Regem Luſitaniæ.

# QVÆSTIO IV.

## *Vtrùm Antonius, quà illegitimus, habeat ius ad Coronam inuictæ Portugalliæ.*

CXXVIII. AD ſummas anguſtias reductos vides Antonianos. Infantis Ludouici Filium, quà electum, non eſſe Luſitaniæ Regem, ſuprà fuit demonſtratum. Obſtupuere Antoniani, aliàs hoc titulo tutiſſimi, ex conſilio quorumdam Pariſienſium. Deuicti in hoc conflictu bellicè-rationali, noluerunt cauſsâ cedere, ſed ſuum Antonium legitimum eſſe aſſeruerunt; quod demonſtraui falſum eſſe. Ne porrò comprehendantur in mendacio, ſe exponunt; dicuntque, Antonium legitimum fuiſſe politicè, hoc eſt, legitimatum. Sanè hoc nec verum nec ſufficiens. An iam conuicti ſententiam antiquam diffitentur? minimè. Multi equidem pertinaciâ præcipite eò venerunt, vt aſſererent palàm, eſſe illegitimum, nihiloſeciùs non eſſe à Regno eliminandum; quia illegitimi (quidquid ſit de Regionibus alijs) Monarchæ fiunt in Regno Luſitaniæ.

*Status quæſtionis.*

Propter horum ſententiam opus fuit hanc vltimam quæſtionem addere, vt nihil remaneat inconcuſſum; vtque liquidiùs pateat, quiſnam ſit Succeſſor legitimus Cardinalis-Regis in Regno Luſitaniæ.

### ARTICVLVS I.

#### *Illegitimos non habere ius ad Regnum Luſitaniæ.*

#### RATIO PRIMA.

CXXIX. REgnum Luſitaniæ defertur non iure electionis, ſed iure hereditario, quaſi hereditas ab inteſtato, vt ſuprà Quæſt. 1. demonſtraui: atqui illegitimi non poſſunt ſuccedere ab inteſtato in bonis Fratrum, aut conſanguineorum ſui Patris; ergo Antonius, vt illegitimus, non potuit ſuccedere in Regno Fratri Patris ſui Henrico Regi-Cardinali.

*Reges Luſitani ſufficiuntur Maioribus hereditariò.*





Minorem probo *ex text. in l. Communium. 9. in princ. & in l. vltima, & inibi gloſſa vlt. in princ. C. de Natural. liber. text. in Authent. Quibus modis nat. effic. ſui. §. Filium verò. col. 7.* Eam propugnat Cygnus *in Authent. Itaque. Co. Commun. de Succeſſ.* Ang. Plat. Abb. Dyn. & alij plures, quos citat & ſequitur Antonius Gomezius *in l. 9. Taur. à num.* 47. Petrus Dueñas *Reg.* 366. *n.* 8. Rojas *in Epit. c.* 20. *n.* 43. Gregorius Lopez *verb. Parientes. ex l. vlt. tit.* 13. *Part.* 6.

CXXX. Dices: Sicut ſe habet legitimus ad legitimum, ſic ad illegitimum illegitimus: atqui legitimus poteſt legitimo Patruo ſuccedere; ergo illegitimus illegitimo. Subſumis: Atqui Henricus erat illegitimus; ergo illegitimus Antonius debebat ſuccedere illegitimo Henrico.

*Sophiſma.*

Reſpondeo, hanc obiectionem ſophiſticè plauſibilem naſci ex imperitiâ rei Hiſtoricæ, atque Iuris ciuilis. Primò enim falsò aſſeritur, Henricum fuiſſe nothum, cùm conſtet ex Scriptoribus vniuerſis eſſe Filium Regis Emanoëlis, ex Mariâ, tertiâ Regum Catholicorum Filiâ, atque ſecundâ eius vxore. Secundò, eſto, Henricus ſit illegitimus: Nothus non eſt ſucceſſor Patrui etiam nothi, *gloſſ. 3. in Leg. 2. ff. Vnde cognati.* Hanc ſententiam eſſe communem omnium aſſerit Antonius Gomez *d. n.* 47. Rojas *vbi ſuprà n.* 45. Couarruuias *de Sponſal. 2. p. c. 8. §. 10.* Antonius de Gama *deciſ. 73. à princ.* & Ordinat. *libr. 4. tit. pen. vbi (por parte de ſua Mãi.)* Vnde in formâ ad rationem reſpondeo negando illam Maiorem.

CXXXI. Prætereà, illegitimos non poſſe ſuccedere in Regno, conſtat ex *c. Grandi. in princ. de Supplem. neglig. Prӕl. in 6.* vbi, *ſi abſque legitimo decederet filio.* & ibi, *ac legitimi filij ſui.* & iterùm, *legitimo filio, ſi quem habuerit.*

Hoc autem intelligendum eſſe etiam de Regno Luſitaniæ probat & rationis vniuerſalitas, & quæpiam Innocentij IV. Bulla, quâ decernitur Regi Sancio II. ſine legitimis Filijs deuiuenti Succeſſor Afonſus Boloniæ Comes, Frater Regis. Vnde liquet, illegitimos Regis Sancij Filios non poſ-

ſe ſuccedere in hoc Regno. Ita expreſsè leges Hiſpaniæ *l.*2. *tit.*15. *Part.*2. *ver. E aun mandaron.* vbi qualitas Succeſſoris eſt hæc, quòd ſit *Fijo, o Fija, que ouieſe de ſu Muger legitima.* nempe, *Filius, aut Filia, quem, vel quam habuerit ex legitimâ Vxore.* Inde notauit Petrus Lopez *in ver. Pero. verb. El Fijo mayor.* Conſentiunt iſta omnia cum doctrinâ Baldi *in l. Eam, quam. num.*43. *C. de Fidei commiſſ.* & aliorum, quos recenſet Rojas *in d. c.* 20. *num.* 115.

CXXXII. *Ratio à fortiori.* Hîc notatione digniſſimum, non ſolùm concludi ex capite *Grandi,* illegitimum non poſſe ſuccedere in Luſitaniæ Regnis ſuo Patri; ſed à fortiori, nec poſſe ſuccedere Patruo, cui eſt conſanguineus ratione ſui Patris. Conſtat hoc etiam ex multis teſtimonijs; quia ex Iure communi poterat Filius naturalis in aliquibus rebus ſuccedere ſuo Patri, *tex. in Auth. Licet. ver. Ab inteſtato. C. de Natural. lib.* confirmat ex alijs textibus Rojas *in d. Epit. c.*13. *n.*2. & Antonius Gomezius *in d. l.*9. *n.*4. *&* *l.*9. *tit.*13. *Part.*6. Sed iſtud iam eſt limitatum, præcipuè quoad conſanguineos, *Ord. libr.*4. *tit.*71. *§.* 1. & ideò illegitimus non ſuccedit conſanguineis Patris ſui morientibus ab inteſtato, *tex. in. d. §. Filium.* & *in d. l. vlti.* vt ex illis optimè intulit Antonius Gomezius *d. n.* 47. *col.*2. Hinc ego: Minùs poteſt illegitimus ſuccedere Patruo, quàm Patri: atqui Antonius Patri ſuo, ſi fuiſſet Rex, non potuiſſet ſuccedere; ergo nec Patruo Regi.

## RATIO SECVNDA.

CXXXIII. *De filijs naturalibus.* VEritas hæc ipſa confirmatur. Filij Naturales non poſſunt ſuccedere parentibus in feudis: conſtat *ex c.*1. *§. Siquis per triginta. ver. Naturales. ſi de feud. defuncti cont. ſit.* Ita ſenſit Bartolus *in l. Ex facto. §. Si quis rogatus.*1. *n.*9. *ff. Ad Trebell.* & multi alij, quos refert Rojas *vbi ſuprà d. c.*20. *n.*87. & Molina *lib.*1. *c.*4. *n.*48. Atqui in opinione omnium, Regnum Portugalliæ habet rationem feudi; ergo nequeunt in illo ſuccedere Filij Naturales. Minorem probo ex noſtro Antonio Brandão in Monarchiæ Luſitanæ



næ lib. 10. c.11. cui Epigraphe, *Do tempo que Portugal pagou feudo, ou cenſo a Igreja Romana.* Latinè: *De tempore quo Luſitania pependit feudum Romanæ Eccleſiæ.* vbi in confirmationem tranſſcribitur inſtrumentum Fratris Gundiſalui Hiſpani, Nuntij Pontificis Romani. Prætereà hoc Regnum ex liberalitate Afonſi Henriquez, qui & primus Luſitanorum Rex, factum fuit in feudum Abbatiæ Claræ-uallis. Perſtat in Alcobaciæ archiuo Protocolon in membranâ, ex quâ dependent Regia Stemmata impreſſa in cerâ candidâ. Incipit: *In nomine Domini, quoniam quidem.* & ante medium: *Conſtituo, & conſtituta fore decerno, ordinando, & mandando omnibus & ſingulis ſucceſſoribus meis, in hereditatem huius Regni legitimè intrantibus, vt ſingulis annis eidem Sanctæ Eccleſiæ de Clare-ualle, quæ eſt Ciſtertienſis Ordinis, poſita in Regno Franciæ in Diœceſi Lingonenſi, tribuant in modum feudi & vaſallitij* 50. *marabitinos auri probati, & boni.* & pòſt: *De feudo ſeu vaſallitio Altare B. Mariæ reparabunt; Abbas verò Bernardus & eius Succeſſores in perpetuum huiuſmodi feudum annuatim habebunt in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis.* & ſtatim: *Si quis verò contra hoc vaſallitium & feudi teſtimonium aliquid attentauerit,* &c. Reperietur huius Inſtrumenti tranſſumptum fideliter extractum apud Brandãonem *libro* 10. *Monarch. Luſ. c.*12. *mihi fol.*140.

In hoc teſtimonio plura obiter veniunt adnotanda. Pri- CXXXIV.
mum, ex illis verbis *in hereditatem*, hoc Regnum non iure electionis, de quo ſuprà num.31. non iure ſanguinis, de quo inferiùs, ſed deferri ad poſteros ſolummodò iure hereditario.

Secundum, marabitinos non eſſe eiuſdem valoris ac nunc ſunt, ſed multò nobilioris: quis enim crederet, cùm legit in Hiſtorijs veteris Hiſpaniæ, dotes Principum congruas eſſe marabitinorum quindecim, Heroinas virgines tam vili pretio donatum iri matrimonio? Fuerunt marabitini aurei ponderis non ignobilis. Sed interrogas, quanti? Reſpondeo ex Autographo quod extat in Turre *dò Tombo,*

 quod

quod & reperitur apud Brandão *in Monarchia Luſitan. libr.* 10. *c.* 11. quinquaginta & ſex marchas auri facere 3360. marabitinos; ac perinde marcha auri quælibet continet ſex marabitinos: atque, vt colligitur ex Epiſtolâ Regis Afonſi ad Innocentium II. & ex Innocentij reſponſione (apud eumdem Auctorem ibidem c. 10.) marcha continet duas vncias auri. Ergo marabitinus continebat duos trientes vnius aureæ vnciæ.

Sed vt ad litteram expendendam veniamus, ex his quæ expoſuimus non poteris diffiteri eſſe feudum Eccleſiæ Romanæ, & Monaſterij Claræ-uallis, illuſtriſſimæ Regionem Luſitaniæ: atqui illegitimi non poſſunt parentibus ſuccedere in feudis; ergo neque in Regno Luſitaniæ. Atqui Antonius eſt illegitimus, ergo impos Coronæ Portugalliæ.

*Feudum duplex, ſpirituale & temporale.* Dicis, Feudum bifariàm poſſe conſiderari; videlicet, temporaliter & ſpiritualiter. Addis, illa teſtimonia quæ adduxi, de hoc vltimo, non autem de primo eſſe intelligenda. Admitto: accinis mihi *libr.* 5. *diſp.* 1. *&* 2. Sanè & illa verba *legitimè intrantibus*, quamlibet aliàs poſſis exponere, quis ambigat congruere propoſito; & eſſe, quaſi diceretur, *legitimis intrantibus*: ſed dum hæc perpendis, ſubiungam aliam rationem robuſtiorem.

## RATIO TERTIA.

cxxxv. Naturales non poſſunt Patribus ſuccedere in Maioratu, ni in talis Maioratus inſtitutione expreſſis verbis admittantur: atqui Regnum Luſitaniæ eſt Maioratus, hoc eſt, debetur non eligendo, ſed Maiori; ergo in Regno Luſitaniæ illegitimi non debent ſuccedere, niſi ab Inſtitutore (nempe Afonſo Henriquez primo Luſitaniæ Rege) in inſtrumento fundationis diſertis verbis admittantur. Atqui nullus hucuſque verba inſtitutionis inuenit quæ illegitimis faueant; ergo non ſunt hîc ad ſucceſſionem admittendi. Atqui, vt demonſtrauimus, Antonius fuit illegitimus; ergo non habuit ius ad Regnum.

Maxi-



Maximam illam propoſitionem, nempe illegitimos à cxxxvi.
Maioratibus excluſum iri, ni expreſſis verbis ab Inſtitutore ipſo admittantur, ediſſerunt & probant Ioannes le Cerier & Gregorius Lopez, quos refert & ſequitur Molina *l.* 1. *c.* 4. *n.* 48. *&* *libr.* 3. *c.* 3. *n. vlt.* Tiraquellus *de Iure primog. q.* 34. *n.* 59. & alij, quos recenſet Palaez *vbi ſuprà Part.* 2. *q.* 2. *num.* 1. & Ioannes Garcia *d. libr. de Expenſis c.* 3. *n.* 21. *col.* 2. Et conſtat ex Legibus Tauri *leg.* 40. ibi enim ſucceſſor exponitur *Fijo, o nieto, deſcendiente legitimo.* videlicet *Filius, nepos, & poſteri legitimi, non alij.* Et ne hoc perperàm quis de ſucceſſione directâ, quâ Filius ſufficitur Patri, non autem de indirectâ, quâ quis ſuccedit Patruo (& is eſt caſus præſens; quia Henricus Rex Patruus erat Antonij) intelligeret, ſubiungitur: *Pero aun en la ſucceſſion de los Maiorazgos a los tranſuerſales.* id eſt, *Legem hanc habere vires in ſucceſſione Maioratuum etiam tranſuerſali.* Propter eamdem rationem illegitimi à feudo ac Maioratu eliminantur: nempe, quia intelligitur Inſtitutor ſolùm voluiſſe admittere legitimos, non parthenios & nothos. *Conſtat ex reg. Iuris in* 6. *& ex text. in l. Lutius.* 99. *§. Lutius.* 2. *in fine. ff. d. Legat.* 2. *iuncto textu in c. Si gens. ver. De tali.* 56. *diſt.* Ita reſoluit *Azorius in Summâ, C. Ex quibus cauſis infam. irrog.* & alij multi quos citat Tiraquellus *de Nobilit. c.* 15. *num.* 14. Rojas *vbi ſuprà, c.* 15. *n.* 8. Palaez *d. n.* 1. Antonius à Gama *vbi ſuprà, n.* 2. Et hoc præcipuè, quando Inſtitutor eſt vir nobilis: non enim cenſendus eſſet Afonſus Henriquez, aut alius ſimilis qualitate, velle Regni ſui Maioratum ad ſpurios aut illegitimos transferri. Coſta *in §. Et quid ſi.* 5. *p. nu.* 7. *& in c. Si pater.* 1. *p. verb. Si abſque liberis. à n.* 34. Padilla *in l. Cùm acutiſſimi. n.* 31. *C. de Fidei commiſſ.* Molina *libr.* 3. *c.* 3. *à n.* 41. Tanti Iuriſconſulti faciunt legitimorum ſucceſſionem, vt excludant illegitimos, etiam ſi defunctus ſit ignobilis, dummodò ſit nobilis heres, & in dignitate conſtitutus. *Gloſſ. in d. §. Si quis rogatus. verb. Ex volunt.* Subſcribunt Alex. *ibi n.* 3. *& in Conſ.* 2. *n.* 5. *lib.* 1. vbi alios citat, Dec. *in c. In præſentiâ.*

*ſentiâ. num.* 42. *de Probation.* & alij quos refert & ſequitur Tiraquellus *de Nobilit. c.*23. *n.*14.

RATIO QVARTA.

CXXXVII. ILlegitimi non poſſunt ſuccedere in bonis Coronæ; ergo à fortiori non poterunt ſuccedere in ipsâ Coronâ. Conſequentia eſt euidenter legitima; Aſſumptum conſtat ex *Ord. do liuro* 2. *tit.*17. *§.*1. *& ſeq.*

RATIO QVINTA.

CXXXVIII. Loyas de las Partidas. LEges, quæ vocantur *de las Partidas*, receptæ ſunt in Regno Luſitaniæ, cùm non contrariantur Regni legibus. Atqui *l.* 2. *tit.* 6. *Part.* 7. decernitur expreſsè, illegitimos non poſſe ſuccedere in Regno, hæcque lex nulli Luſitanæ opponitur; ergo illegitimus in Luſitaniâ non eſt Regni Succeſſor. Citati doctrinæ Azorij adiunge *l.*2. *Co. de Dignitat. libr.* 12.

RATIO SEXTA.

CXXXIX. REgnum Luſitaniæ eſt inſtitutum pro filijs & poſteris Afonſi Regis. (Conſtat ex primis Comitijs *§.*3. *Viuat Dominus Rex.* apud Brandãonem Abbatem Vlyſippon. Ciſt. Ordinis, *in Monarch. Luſit. l.* 10. *c.*13. *Parte* 3.) Atqui illegitimi politicè non ſunt Filij, ſed iudicantur quaſi non agnati, neque conſanguinei, imò nec poſteri illius familiæ, illius Inſtitutoris; ergo non poſſunt eſſe Succeſſores. Liquet conſequentia; quia non poſſunt Inſtitutori ſuccedere, qui non ſint eius poſteri. Minorem probo *ex text. in l. Si ſpurius.* 4. *ff. Vnde cognati. & in §. Vulgo. Inſtit. de Succeſſ. cogn.* Vnde & conſentit Bartolus *in l. Pronuntiatio. §. Familiæ. n.*1. *ff. de Verborum ſignific. & in l.*1. *C. de Dignitate. d. l.* 12. Imò hæc ſententia eſt communis Doctorum, aſſerente Tiraquello *de Nobilit. c.*15. *n.*12. *& de Retract. tit.*1. *§.*1. *gloſſ.*8. *n.* 6. Rojas *d. c.*20. 116. Molina *libr.*1. *c.*4. *n.* 46. & liquet ex Ordin. *libr.*2. *tit.*37. *§.* 11.

Præ-



Præterea liquet, illegitimos politicè non eſſe Gentiles & poſteros primi Inſtitutoris, quia familia internoſcitur per ſtemmata; his autem directis & non interlitis vti non poſſunt illegitimi: docet Bartolus *in l. vlt. C. de Verb. ſignif.* & *in Tract. de Inſignijs & armis, col.*3. quem ſequuntur alij multi, quos recenſet Tiraquellus *de Nobil. c.*15. *n.*13. & 25. Molina *libr.*1. *c.*4. *num.*47. Rojas iam citatus *num.*22. & Ord. *tit.*37. *§.*3. CXL. *Illegitimi non ſunt filij Politici.*

RATIO SEPTIMA.

DEmonſtrabitur hoc ipſum & penitiùs & clariùs ex reſcriptis, ac Regum Luſitaniæ Teſtamentis aliquot, in quibus cùm agitur de ſucceſſione, ſemper excluduntur illegitimi. In Chronico Regis Fernandi coniunguntur Populi ad Comitia electuri Regem. Cur? noueris ex c. 95. ibi expreſſa verba: *Et não leixando filho lidimo.* & c. 146. *Ou de outra qualquer molher lidima.* & ibi: *Sem lidimos filhos.* & poſt: *Outros legitimos deſcendentes.* & infrà: *Ou d'outra ſua lidima molher.* hoc eſt; *Quia obierat ſine filio legitimo, aut legitimis poſteris, ex Vxore legitimâ,* &c. CXLI. *Ex autographis.*

Inſtrumentum etiam exaratum in Comitijs Conimbricenſibus, in quibus creatus fuit Ioannes I. Rex, proderit: ex eo notaui hæc verba; nempe, non habuerat Fernandus *filho, ou filha, lidimo, & tal, que de dereito podeſſe herdar os ditos Reinos* id eſt, *filium, aut filiam legitimam, & talem, qui iure potuiſſet hereditare hoc Regnum.* CXLII.

Confirmatur ex Regis Ioannis Teſtamento, quod ſuæ Apologiæ inſeruit Infans Catharina. vbi lego: Creatus ſum Rex, cùm Fernandus non haberet *Filho, ou Neto lidimo,* & cet. *ſegun ſe requere per direito & coſtume em ſocceſſão deſtes Reinos, & Senhorios.* hoc eſt, *Filium, aut Nepotem legitimum, vt requirit ius & conſuetudo in ſucceſſione iſtius Regni.* Aſſeritur (vides) illegitimos non ſolùm iure, ſed & conſuetudine & praxi excludi à ſucceſſione Regni.

Confirmatur iterùm ex Epiſtolâ quapiam Afonſi V.

Oo ex

ex quâ cenſentur legitimi heredes Luſitaniæ: qui? *os que delle fiquem Filhos, ou Filhas, legitimamente naſcidos.* pòſt: *D'outra qualquer minha legitima Molher.* & iterùm: *Da Princeſa ſua legitima Molher.* hoc eſt, *qui ſuperfuerint Filij, aut Filiæ, legitimè-nati —— ex aliâ qualibet meâ legitimâ Vxore —— ex Principe ſuâ Vxore legitimâ.* Ergo ex his Inſtrumentis liquet, illegitimos non eſſe capaces Coronæ Luſitanæ.

## RATIO OCTAVA.

CXLIII. *Ab exemplis.*

PRobabo & hoc exemplis pluribus. Multi fuerunt illegitimi excluſi à Regni prætenſione in Hiſpaniâ. Qui? Primò, Regina Caſtellæ D. Beatrix Filia Fernandi Regis non ſucceſſit Patri ſuo, quia erat (vt aliqui ſentiunt) illegitima. Item excluſos legimus à ſucceſſione Infantes, Ioannem & Dionyſium, Fratres Regis Fernandi, & Regis Petri, & D. Agnetis de Caſtro. Id conſtat ex omnibus Hiſtorijs, & præcipuè ex Chronico Regis Ioannis I. *p.* 1. *c.* 182. & 185. Tertiò, ipſe Rex Ioannes I. ſi illegitimi potuiſſent ſuccedere, ſtatim poſt mortem Fernandi inconſultis Populis clauum Regni obtinuiſſet: atqui non fuit Rex, quouſque crearetur à Comitijs. conſtat ex Chronici *c.* 188. (Hîc obiter notari velim, Populum petijſſe à Pontifice Maximo legitimationem ipſius Ioannis, non vt eſſet Rex in politicis; ad hoc enim ſupererat reſcriptum Populi; cùm hæc nòn eſſet contra partem: ſed ſanè vt frueretur Ioannes gratijs, & indulgentijs, & priuilegijs ſpiritualibus, quæ conceduntur Monarchis, Principibus ac Filijs legitimis Regum. Conceſſit legitimationem Bonifacius Pont. Max. Hanc adiunxero, vt cognoſcatur non omnibus nota virtus legitimationis Pontificiæ.) Quartò, ambiebat Ioannes II. intentiſſimè Coronam Luſitaniæ Filio ſuo naturali Georgio, vt conſtat ex eius Chronico, *c.* 51. nihilominùs fatetur ſe id non poſſe ex iure facere; & ideò declarat conſobrinum ſuum Emanoëlem legitimum Regni Succeſſorem. Ergo iure & legibus Luſitanis interdicitur vt illegitimi ſuccedant.

*Corona ſpiritualis quæ?*

RA-



## RATIO NONA.

VLtimo ſeruaui loco rationem fortiſſimam, quæ ſit Achilles huius difficultatis. Habebam, dum hæc ſcriberem, Protocolon Teſtamenti D. Antonij, ipſius manu propriâ deſcripti, ab Excellentiſſimo D. Emanoële de Portugal ipſius Filio nuperrimè communicatum. Ab initio ad §. 5. præloquitur de Deo Optimè-Maximo. Ipſo §. 5. Teſtamentarios nominat Didacum Botello, qui ex Concilio ſtatus, & Prouiſor bonorum Regis, * Scipionem de Figueredo & Vaſconcelos, etiam ex eodem Concilio. Agit §. 6. & 7. de loco ſepulchri; & §. 8. 9. & 10. inſtituit Miſſarum numerum. §. 11. declarat debita ſoluenda, & hoc ad §. 14. & explicatiùs in appendice Teſtamenti. ſed §. 14. dicit:

CXLIV. *D. Antonij Teſtamentum.*

** Hic Scipio, qui aliàs Cyprianus; ſed propter conſtantiam animi ab Antonio Luſitanicè non* Cyprião, *ſed* Cipião *affini nomine vocitabatur.*

*Por quanto os vſosfructos, que pertenecem aos Reys de Portugal, è outros moueis, que elles podem deixar, è dar à quem qui ſerem, eu os não logrei por el C. Rey de Caſtella entrar no dito Reyno com mão armada *** mando ſe procurem pera com elles ſe comprirem os legados è obrigacões, que deixo neſte meu Teſtamento.* Hoc eſt: *Siquidem vſusfructus, qui pertinent ad Luſitaniæ Reges, & mobilia illa bona, quæ ipſi poſſunt legare, atque donare cui maluerint, non poſſideo; ex eo quòd armatus intrauerit in Luſitaniam Catholicus Caſtellæ Rex, iubeo procurent, & exigantur, vt, ijs exceptis, poſſint ſatisfacere legatis & obligationibus, quæ relinquo in iſto Teſtamento.* Poſt ipſius mortem vult exigantur à Catholico Caſtellæ Rege vſusfructus, & mobilia bona, non Regnum: cur? quia ſciebat illud non deberi Emanoëli, aut Chriſtophoro, illegitimis ſuis Filijs. Sed clariùs §. ſequenti.

*Antonius nullos habuit filios legitimos.*

*E porque el Rey de Caſtella,* ait Antonius, *ou qualquer outro Rey, que eſtiuer en poſſê dos ditos Reinos de Portugal por ventura eles não queira reſtituir os rendimentos, que me pertenecião como a verdadero Rey & Senhor dos ditos Reynos *** em caſo que os ditos meus Filhos ou por guerra, ou por qualquer*



*outra*

*outra via poſsão auer algua parte, ou conquiſtas dos ditos Reynos de Portugal, quero que as poſſeão em quanto realmente, è com effecto não forem entregues dos ditos bens è rendas, que me forem deuidas tee à hora de minha morte, aſi antes de Rey, como deſpoes de o auer ſido: è ſenda ſatisfeitos largaram as partes que tiuerem tomadas à o Rey, que antão o poſeuir, o qual lhes mando ſob pena da maldicão de Deus, e da minha.* Sim primò huius periodi Interpres, vt poſteà Commentator: *Sed quia Rex Caſtellæ, aut quicumque alius, qui præerit Portugalliæ Regnis, fortè nolet reſtituere reditus illos, qui annui ad me ſpectabant, vtpote ad legitimum Regem & Dominum illius Regionis * * * * ſi Filij mei armis aut alijs medijs quibuſcumque ſubiugauerint hæc vel Regna vel illorum partem, volo vt ſubiugata aut accepta poſsideant, quoad acceperint pretij quantitatem, quæ ad me ante Regnum pertinebat, & poſteà penderetur Monarchæ: ceterùm, cùm primùm ſit illis ſatisfactum, cedent ciuitates, quas ſubiugauerint, Principi à quo exceperint: hoc autem ipſis ego præcipio ſub pœnâ diuinæ indignationis, & meæ.* *Antonij pietas.*

CXLV. *D. Emanoël non habet ius ad Regnum.* Ex hac Antonij vltimâ declaratione conſtat, nec Dom. Emanoëlem, nec Chriſtophorum (qui hodie anno 1638. ſuperſunt, ille Bruxellæ, is Pariſijs) habere in ſententiâ Antonij illorum Patris aliquod ius ad Regnum, nedum probabile; quia aliàs non interdixiſſet illis ſub præcepto ſtrictiſſimo partium illarum, ſi ſubiugarentur, retentionem. Quæro; quare D. Emanoël non ſuccedit Antonio in Regno? aut fallor, aut ſolùm ex hac vnicâ cauſsâ, quia non eſt legitimus. Hinc ego ad Antonium. Ergo illegitimus eſt incapax Coronæ Luſitanæ; atqui à collitigantibus, à propugnantibus, ab omnibus ſupponitur Dominus Antonius eſſe illegitimus; ergo nullum ius habet ad Regiè ſublimem dignitatem.

A R-



## ARTICVLVS II.

*Aliquot Rationes enodantur.*

PRIMA OBIECTIO. Hìc non agitur, dicunt aduerſarij; de ſucceſſione directâ, quâ Filius ſufficitur Parenti, ſed de indirectâ, quâ ſufficitur Affini alicui; Henricus enim non Pater eſt Antonij, ſed Patruus: atqui illegitimus quiſque ſuccedere poteſt ſuo Patruo; ergo Antonius Henrico. Minor probatur ex Gloſsâ *verb. Participium. in Auth. Quibus modis nat. effic. ſui. §. vlt.* quem locum ita intelligit Bartolus *in l. Si is qui ex bonis.* vbi Ianſ. *n.* 3. *ff. de Vulgari.* Baldus, & alij multi, quos refert & ſequitur Rolandus *Conſ.* 87. *à num.* 16. & 24. Rojas *d. c.* 20. *n.* 47. & eſt communis, ex ſententiâ Molinæ *lib.* 1. *c.* 13. *n.* 16. & *libr.* 2. *c.* 11. *n.* 33. CXLVI. *Succeſſio directa & indirecta.*

Mirabar, cùm viderem tot Auctores illuſtres contradicere doctrinæ ſuperiùs explicatæ num. 132. vbi demonſtrauimus, illegitimos Filios, nec Parentibus, nec Patruis, nec Patruelibus ſuffici poſſe in Maioratibus, niſi expreſsâ clauſulâ in inſtitutione ipſi admittantur. Ceterùm hi Auctores non docuere contrarium; hìc enim agunt de re diuersâ, vt dici ſolet, toto cælo. Agunt de herede inſtituendo in Teſtamento; & dicunt à Patruo, aut à quolibet Affini tranſuerſali poſſe aliquem illegitimum heredem inſtitui in Teſtamento. Atqui Regnum non poteſt legari; ſed deferri oportet vt hereditas ab inteſtato, vt *in Quæſt.* 1. *huius Diſp.* ediſſerui; ergo hi Auctores non fauent Antonio, vt adſpiret ad Regnum Luſitaniæ. CXLVII.

OBIECTIO ALTERA. Illegitimi poſſunt ab inteſtato ſuccedere ſuis Matribus, & quibuſlibet Maternis conſanguineis; *text. in l.* 2. *l.* 4. *l. Modeſtinus. ff. Vnde cognati. §. Nouiſsimè. Inſt. ad Orfic. §. Vulgo. Inſt. de Succeſſ. cogn.* Atqui ius nouum tollit quamcumque differentiam inter agnatos & cognatos, hoc eſt inter Paternos atque Maternos conſanguineos, *tex. in Auth. de Her. ab inteſt. §. Si verò neque. verſ. Nullam.* CXLVIII.

 *col.* 9.

*col.*9. Ergo illegitimi poſſunt ab inteſtato ſuccedere Paternis conſanguineis; ergo illegitimus Antonius Patruo.

Si de Maioratibus agat, negatur & Maior & Minor, ac ideò in eodem ſenſu vtraque ſubiecta Conſequentia; quia textus illi non agunt de Maioratibus, ſed de alijs bonis, quæ ibi ſatis clarè explicantur.

## DISPVTATIONIS RESOLVTIO.

CXLIX. HIs igitur examinatis, Concluſio ſit certiſſima, *Antonium non fuiſſe Regem Portugalliæ.* Demonſtro illud hoc modo.

Si Antonius fuit Luſitanorum Rex, fuit vel quà electus à Populis, vel quà Filius legitimus Infantis Ludouici, vel quà legitimatus à Pontifice, vel quà à Rege, vel quà illegitimus.

Atqui nec Populi potuerunt eum creare (probo nu. 12.) nec de facto crearunt (probo num. 62.) nec ipſe fuit legitimus (probo q. 3. num. 102.) nec Pontifex eum ad Regnum legitimare potuit (probo num. 105.) nec ſufficiebat Regum legitimatio (probo num. 108) imò neutram habuit (probo num. 103.) nec quà illegitimus eſt capax Coronæ Luſitanæ (probo num. 128.)

Ergo nullo titulo poteſt adſpirare ad hoc Regnum.

## COGNITIONE DIGNISSIMA HYPOTHESIS.

SVpponamus, Diſputationis gratiâ, Antonium aliquo titulo, qui hucuſque latuit, fuiſſe legitimum Regem Luſitaniæ: interrogas, quiſnam hodie eſſet legitimus Monarcha Regni?

Reſpondeo eſſe Regem Caſtellæ, & hoc non tantùm in meâ, ſed etiam in ipſius Antonij ſententiâ. Nam, vt vidimus num. 144. in ſuo Teſtamento indicit filijs ſuis, ne talia Regna poſſideant, ſed cedant legitimo ſuo Poſſeſſori; quia cùm non habuerit Filium legitimum, & illegitimi, ipſo Antonio confitente, nequeant in Coronâ ſuccedere, hinc erat, quòd Regnum, deuiuente Antonio, ad legitimum



mum propinquiorem deuolui deberet; Caſtellæ autem Rege propinquior erat nemo.

## APPENDIX.

MAneat igitur integrum ex ipſius Antonij ſententiâ, fuiſſe Regem legitimum Luſitanorum Catholicum Regem Philippum, huius nominis ſecundum in Caſtellâ, primum attamen in Luſitaniâ. CL.

Conſtet etiam ex ipſius Antonij decreto diffinitioneque in Teſtamenti n. 16. poſt ipſius mortem Luſitaniæ Regnum non ad ſuum Filium Emanoëlem, ſed ad Poſſeſſorem pertinere: is eſt Caſtellæ Rex: ergo iam Philippus III. & IV. non ſolùm ex meâ ſententiâ, ſed ex declaratione ipſius Antonij fuit & eſt legitimus Rex Luſitaniæ.

## CORONIS.

PLacuit Diſputationem claudere examine & expenſione verborum cuiuſpiam Hiſtoriographi, Domino Chriſtophoro de Portugal filio Antonij adulantis. Fuit Scipio Dupleix diligentiſſimus Hiſtoriographus Chriſtianiſſimi Regis, ac Pariſienſis Conſiliarius. Hic in Henrici III. Franciæ & Poloniæ Regis Vitâ tractat conditionem* deplorabilem (ſic loquitur) Domini Antonij: & anno 1580. num. 19. ſic ait: CLI.

*Emanoël, qui a eſpouſé Emilie de Naſſau, ſœur du Comte Maurice, s'eſtant n'agueres mis au pouuoir de l'Eſpagnol, demeure decheu de tous ſes droits par clauſe expreſſe inſerée au Teſtament du Roy Antoine, qui desherite ſes-dits Enfans, au cas qu'ils traicteront ou s'accorderont auec les detenteurs de ſon Roiaume, ſans le conſentement du Prince, ou Eſtat, en la protection duquel ils ſeront. Tellement que tout le droit du Roiaume de Portugal eſt deuolu & transmis au Prince Chriſtofle, ſon Frere puiſ-né, le quel eſt perfectement affectionné à la France.* hoc eſt:

* Deux Fils, Emanoel & Chriſtofle, ſucceſſeurs de ſa condition deplorable.

*Emanoël, qui duxit Æmiliam de Naſſau, ex eo quòd contractum*

*tractum fecerit cum Hiſpano, perdidit quidquid iuris habuerat ad Luſitaniæ ſceptrum; & hoc ex expreſſâ clauſulâ inſertâ Regis Antonij Teſtamento, quâ exheres exponitur Filiorum ille, qui conuentionem fecerit cum retentoribus ſui Regni ſine conſenſu Principis aut Status, ſub cuius protectione ſit. Idcircò totum Luſitanici Regni ius deuoluitur ad Principem Chriſtophorum, fratrem minorem natu Emanoëlis, ſuſpicientem amantemq; profectus Regni Gallici.*

CLII. *Hypotheſis multiplex, & falſa.*

Supponit Dupleix falſa plurima, ex quibus inferat concluſionem chimæricam. Supponit primò, Antonium fuiſſe Regem; cuius contrarium iam eſt ſuperiùs demonſtratum. Supponit ſecundò, DD. Emanoëlem & Chriſtophorum eſſe legitimos Antonij filios; quod falſum eſſe conuicimus ex ipſius Antonij Teſtamento (ſuprà num.145. ad 147.) Supponit tertiò, D. Emanoëlem ſine conſenſu Statuum Hollandiæ, ſub quorum fuerat patrocinio, conuentionem feciſſe cum Catholico Rege; quod etiam eſt omnino falſum: coniunctis enim Statibus in ædibus publicis valedixit; & lacrymis, quaſi ſingulorum frater (habebat etenim ingenij & morum innatam ſuauitatem) ab omnibus dimiſſus eſt. Supponit quartò, clauſulâ expreſſâ Teſtamenti Antoniani declarari exheredem, ſi ſine Statuum Hollandorum licentiâ acquieſceret Catholici Monarchæ voluntati; & hoc etiam eſt falſum. Indicit Antonius Filijs ſuis modum conueniendi cum Monarchâ Catholico. dabo formalia verba: *Lhes mando ſob pœna da maldição de Deus, e da minha, ſe não acorden ſem primeiro terem dele enteira ſatisfacão dos ditos bens, ou aquela que aos Reys e Principes de que forem aſſiſtidos, e a meus Teſtamenteiros parecer ſe deben contentar com ela.* Nempe: *Præcipio ipſis* (Emanoëli & Chriſtophoro) *ſub pœnâ diuinæ indignationis, & meæ, ne conueniant* (cum Catholico) *quin priùs ab ipſo acceperint ſatisfactionem integram, aut ſaltem congruam, Regum aut Principum iudicio, ſub quorum patrocinio fuerint*, &c. Ecce non declarat exheredem fore, qui non obedierit, ſed præcipit rigidè, vt obediat.

*D. Emanoëlis ſuauitas.*

*Antonius in Teſtamenti n.16.*

Hinc



Hinc conſtat, quidquid iuris Antonius habere poterat ad Luſitaniæ Regnum, non ad Chriſtophorum tranſmiſſum eſſe, ſed in Emanoële remanere; ſed cùm iam demonſtrauerim, Antonium nullo titulo adſpirare potuiſſe legitimè ad Coronam, demonſtratiuè inferam, nullum ad ipſam ius nec in D. Emanoële nec in D. Chriſtophoro inpræſentiarum ſupereſſe. Ceterùm, condonans Scipioni Dupleix quidquid aſſerit, argumentor ſic: D. Emanoël in tuâ ſententiâ, Scipio, non habet ius ad ſceptrum Luſitanicum, ſed D. Chriſtophorus; is obijt ſine liberis: ergo iam non ſuperſunt Antoniani, qui poſſint de Coronâ contendere.

*D. Chriſtophorus non habet ius ad Regnum Luſitaniæ.*

## CONSILIVM.

CLIII. *Probanda ab Antonianis.*

Admonerem nihiloſeciùs Antonianos, vt rationibus penitioribus, ſi fieri poſſet, conuincerent, Ludouicum Principem ac Iolentam thoro legitimo coniunctos fuiſſe; quia hoc hucuſque non eſt probatum; & ſi probaretur, non vergeret in Catholici Regis detrimentum, vt ſuprà oſtendi num.101. iſtius Diſputationis: probarent deinceps, D. Emanoëlem fuiſſe legitimum Antonij filium; cuius oppoſitum videtur conuinci ex Teſtamento, vt ſuperiùs expendebam num.144. quoniam ipſe à me conſultus Excellentiſſimus D. Emanoël aſſerit ſe eſſe filium legitimum Antonij, & adducit rationes aliquot, quæ in iudicio prodeſſent. Ex his duabus præmiſſis, ſi probentur, elicitur, D. Emanoëlem habere ius ad Regnum Luſitaniæ? non; quia impos iuris ad ſceptrum ipſe eſt: quòd ſi compos, ſufficerent Epiſtolæ ad me datæ, vt demonſtraretur Catholico Regi ceſſiſſe. Elicitur ex his quid ergo? eſſe Excellentiſſimum D. Emanoëlem legitimum ac verum Ducem de Bejâ, Dominum de Septâ, Maurâ, Couillaniâ, & Almadâ, Comitem in Luſitaniâ Stabilem, & omnium bonorum tam mobilium quàm radicalium, quæ habuerat Princeps Ludouicus, heredem.

*Illatio pro D. Emanoële.*

CLIV. Etiamſi nec D. Antonius nec ipſius Filius Excellentiſſimus D. Emanoël eſſet legitimus, potuiſſet is adſpirare ad

Pp Patro-

*D. Emanoël an Comes de Marialuâ?*

Patronatum Comitatus de Marialuâ: quia D. Antonius in vltimæ voluntatis inſtrumento §. 22. ſic ait: *Declaro maes, que por morte do Senhor Infante Dom Luis meu Pae, que eſtà em gloria, me ficou de Patrimonio o Padroado da Condeſa de Marialua, quero que os ditos meus filhos Dom Manoël, e Dom Chriſtouão o poſſuão ambos igualmente.* Dabo Latinè: *Declaro etiam pertinuiſſe ad patrimonium meum, ob obitum Domini Infantis Ludouici Patris mei, qui eſt in gloriâ, Patronatum Comitatus de Marialuâ; idcircò decerno, & volo, Filios meos, Emanoëlem & Chriſtophorum, poſſidere eum bipartitione æquali.* Ad hunc Patronatum poteſt adſpirare D. Emanoël, non Chriſtophorus. Ratio; quia Emanoël eſt fideliſſimus ſubditus Hiſpaniæ Regis, alter eſt ſub Chriſtianiſſimi Monarchæ auſpicijs, & nunc temporis bellum contra Galliam iuſtiſſimè fuit declaratum: quòd ſi melioris conſilij compos ſubſiſteret Hiſpaniæ Regi, tunc potuiſſet & ipſe adſpirare ad Marialuanum Patronatum, iuxta præſcriptum Teſtamentum.

*Vterque obijt anno 1638. nempe D. Emanoël 22. Iunij, D. Chriſtophorus 20. diebus antè.*

CLV. *An bona ex Cratenſi Prioratu acquiſita ad D. Emanoëlem pertineant?*

Poteſt etiam idem Excellentiſſimus D. Emanoël prætendere integram poſſeſſionem omnium bonorum, quæ ex Cratenſi Prioratu Antonius acquiſierat. Conſtat ex Protographo vltimæ voluntatis Antonij, quod apud me eſt; & in §. 21. continet hæc verba: *Declaro que eu tinha hum breue de Papa Gregorio XIII. pera poder teſtâr de todos bens que poſſuiſſe acquiridos aſi das rendas do meu Priorado do Crato, como de qualeſquer outras, que me ficaſſen por minha morte; o qual breue tinha em hũ eſcritorio, que me tomaron no campo d'Algantara juntamente com outros papeis.* Latinè: *Declaro me impetrauiſſe priuilegium à Gregorio Decimotertio Papâ, quo mihi concedebatur legare in Teſtamento bona qualibet acquiſita aut à Prioratus Cratenſis reditibus, aut aliunde, quæ poſſiderem in articulo mortis. Hoc priuilegium cuſtodiebatur in ſcrinio, quod captum eſt in * campo de Algantarâ ſimul cum alijs autographis & inſtrumentis.* Petendum id foret priuilegij extractum à Romanâ Curiâ; vbi inter acta Gregorij XIII. fortè reperietur. Præ-

Huius priuilegij iterùm fit mentio in eiuſdem Teſtaméti §. 25.

* *Caſtillianicè*, Campo de Alcantara.



*An D. Emanoël ſit Dominus de Hericeira?*

Præterea, D. Antonius emerat oppidum, quod vulgò dicitur *Hericeira*, ſitum inter Vlyſſiponem & Setubal; hoc etiam Excellentiſſimus D. Emanoël repetere poteſt à poſſeſſoribus, quà inſtitutus Heres in Teſtamento Patris.

Habet D. Emanoël, vt in genealogiâ Inuictiſſimi Regis Emanoëlis videris, duos filios; prior eſt nomine Emanoël, poſterior Guillielmus-Ludouicus. Politicè ille moritur, & omnia quæ habebat vel in iure vel in poſſeſſione, tranſſcripto publico (donationem inter viuos nominant) conceſſit alteri, nempe Domino Ludouico de Portugal-Naſſau-Saxoniâ; ac propterea is eſt politicè iam Primogenitus, & vnicus D. Emanoëlis ad titulos prædictos heres. CLVI.

Huius Operis in Libro 1.

*D. Guillielmus-Ludouicus de Portugal, qualis?*

Eſt D. Guillielmus-Ludouicus ingenio præſtans, præditus morum venuſtate, etiam, cùm in tenui fortunâ, magnificus & liberalis. Heros inclytus, per quem Deo auſpice inuicta Hiſpania victorias felices obtinebit.

# DISPVTATIO IV.

## *Vtrùm Regina Chriſtianiſſima D. Catharina habuerit ius legitimum ad Coronam Regni Portugalliæ.*

EXCLVSVS eſt demonſtratiuè Antonius, pauciores ideò huius Coronæ candidati; inter illos digniſſima & Sereniſſima Perſona eſt Chriſtianiſſima Regina Galliæ. Examinare igitur conuenit, an ſicut ferè omnes alios excedit dignitate, ita etiam iure. I.

## QVÆSTIO I.

### *An Chriſtianiſſima Regina Galliæ, quà mulier, veniat excludenda à Coronâ Luſitaniæ.*

AGit Epigraphe in ſingulari de Galliæ Reginâ, ſed doctrina non poterit non eſſe vniuerſalis: examinabimus curioſitate ſedulâ, vtrùm Feminæ Luſitanæ poſſint Regibus in Coronâ ſuccedere. Huius ambi- II.

 guæ

guæ Quæſtionis diſſolutio eſt inpræſentiarum maximè neceſſaria: ſi enim Feminæ in hoc Regno ſtatuerentur Coronæ & Regiæ Dignitatis incapaces, reliqui, qui ſuperſunt, Regiæ Coronæ Candidati καθολικῶς excluderentur. Cauſsâ cederent, Franciæ Regina Chriſtianiſſima, & Sereniſſima Infans-Dux Catharina; quia Feminæ. Fuiſſent expertes etiam iuris Iſabellæ Imperatricis Filius Rex Catholicus, Sabaudiæ Dux Filius Beatricis, & Rainutius Parmenſis Mariæ Filius: omnes? cur? quia, excluſis eorum Matribus, quarum vel titulo vel repræſentatione ad ſummum huius Regni faſtigium adſpirabant, venirent & ipſi excludendi; &, remanente ſine legitimis heredibus Coronâ, potuiſſent Populi poſt Henrici obitum (non aliter ac poſt obitum Ferrandi præſtiterunt) in Comitijs legitimis eligere Regem Luſitaniæ.

*Ex excluſione Feminarum eliminarentur à lite hac qui?*

## ARTICVLVS I.

*Debere admitti Feminas in ſucceſſione Regnorum Luſitaniæ.*

III. QVæſtioni difficillimæ quæſitor ſedulus, & reſolutor breuis, Concluſione vnâ vel aliâ ſatisfaciam.

*Concluſio prima.* Prima. *Poſſunt Feminæ ſuccedere Regibus in hac Coronâ Luſitaniæ.*

*Altera.* Secunda. *Chriſtianiſſima Galliæ Regina Catharina, ac perinde alia Catharina Dux Bargantiæ, quà Feminæ, non ſunt incapaces, vt ſuccedant Henrico Monarchæ-Cardinali.*

*Tertia.* Tertia. *Catholicus Caſtellæ Rex, Sabaudiæ Dux, & Rainutius Parmenſis, ratione ſuarum Matrum non ſunt excludendi à Regno Luſitaniæ.*

Duæ Concluſiones vltimæ pendent à primâ; quòd ſi hæc demonſtretur, & reliquæ manent demonſtratæ.

Sanè Feminæ poſſunt in Coronâ ſuccedere; ita tamen, vt nuſpiam præponantur Viris. Ratio eſt; quia nec redduntur inhabiles iure communi, neque particulari: vel qui id aſſerat, oſtendat alicubi textum Mulieres excluden-



cludentem; interim Concluſio demonſtrabitur fortiſſimis analogiſmis.

### PROBATIO PRIMA.

BAldus *Conſil.* 271. *Caſus. lib.* 1. & Emanoël da Coſta *de Succeſſ. Regni pag. mihi* 170. agens de ijs Regnis peculiariter, aſſerunt, in ſucceſſione Feminas non excludi. Idem probant in communibus terminis Iuris non ſolùm de Regno Luſitaniæ, ſed & de quibuſcumque alijs, in quibus non excludantur lege patriæ, Cynus *in Auth. Poſt Fratres. Cod. de Legit. hered.* Ioannes Andreas, & alij, *in c. Dilecti. de Arbitr.* vbi & Berous *nu.* 49. *&* 50. Anchar. *Conſil.* 339. *col.* 3. *num.* 21. Baldus *in l. In multis. ff. de Statu hom.* & alij, quos allegat & ſequitur Burgos *in Conſ.* 29. *in princ.* & ante hunc Tiraquellus *q.* 10. Boër. *Conſil.* 10. *n.* 3. Antonius Gomez *in l. Tauri* 40. *num.* 8. Gregorius *in l.* 2. *verb. La hija mayor. tit.* 15. *Part.* 2. Mainerus *in l.* 2. *num.* 4. *&* 17. Gagnolus *l. eâdem* 2. *n.* 4. *ff. de Reg. iur.* Emanoël da Coſta *de Succeſſ. Regni mihi paginâ* 171. Vantius *de Nullitate. d. tit. Ex defectu iuriſdict. delegatæ. num.* 93. Molina *libr.* 3. *c.* 4. *num.* 5. Perez *ad l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. Ordinat. *pag.* 115. *col.* 1. Palaez *dictâ q.* 6. *à num.* 2. IV.

Prætereà, in Hiſpaniæ Regnis admittuntur Feminæ ad ſucceſſionem: atqui ex Ordinationis tit. 2. §. 1. ex *text. in c. Cùm olim. de Conſuetudine. c. Super eo. & ibi gloſſ. vltim. de Cenſibus. c. Super eo. & ibi gloſſ. penult. de Cogn. ſpir.* & ex ſententiâ Doctorum, nempe Pauli Caſtr. *Conſil.* 159. *col.* 2. Aret. *Conſ.* 44. Iaſ. *in l. De quibus. n.* 6. *ff. de Legibus.* Roch, quem ſequitur & citat Burſatus *Conſ.* 46. *num.* 33. *libr.* 1. necnon Boër. *deciſ.* 263. *nu.* 9. conſtat, quòd in controuerſijs quibuſlibet ex legibus Hiſpaniæ debeamus iudicare, quotieſcumque lis maneat anceps ex legibus & iure Luſitaniæ: ergo Feminæ non debent in Luſitaniâ excludi à ſucceſſione Regni. Conſequentia eſt legitima: Maiorem probo. Regnante Petro huius nominis quarto, congregati V.

*Feminæ heredes ſunt apud Hiſpanos.*



fuerunt

fuerunt ad Comitia viri totius Regni doctiſſimi, nempe viginti-duo, ex quibus Iacobus Butricar. & cum eo alij nouemdecim litteris & ſanctitate illuſtres, decreuerunt, conſtare ex iure Hiſpano Feminas admittendas eſſe: hocque duo ſolummodò in tantis Comitijs denegarunt. Expendit Hiſtoriam huius rei Çurita *libro Annalium* 8. *c.* 5.

### PROBATIO SECVNDA.

VI. *Dilemma.* ADdo hoc dilemma. Vel Luſitaniæ Regnum defertur ad Poſteros iure Hereditatis, aut Sanguinis: quoquo modo debent Feminæ admitti: ergo.

Probo, Feminas non excludi iure Hereditatis; quia admittuntur & frequentiſſimè ſuccedunt per Teſtamentum, & ab inteſtato in quibuſlibet hereditarijs bonis, ni in eorum inſtitutione aliquâ expreſsâ clauſulâ excludantur. Hæc doctrina conſentit tum legi veteri duodecim Tabularum, tum nouo iuri Cæſarum, quod hodie in vſu. Illa autem iam reuocata eſt differentia inter Virum & Feminam 1. *lege duodecim Tabularum. C. de Leg. hered. Auth. in Succeſſ. C. de Suis & legit. Auth. Defuncto. C. ad Senat. Conſult. Tertull. l. Max. vitium. C. de Lib. præt. §. Sed hæc quidem. Inſt. de Exher. liberis. §. Item vetuſtas. Inſt. de Her. quæ ab inteſtato. §. Ceterùm. Inſtitu. de Leg. agn. ſucceſſ. Auth. de Hered. ab inteſt. venient. §. Si verò neq. collat.* 9. Ita etiam probat *l.* 3. *tit.* 13. *Part.* 6. Hæc etiam eſt Conſultiſſimorum reſolutio, nempe Dec. *in l. Feminæ. nu.* 92. Guillelmi *in c. Rainutius. verb. Duas habet Filias. n.* 1. & ibidem Couarruuiæ *in princ. num.* 22. *verſ. Conſtat. & ſeqq. & §.* 2. *num.* 2. Petri Dueñas *reg.* 309. *lim.* 10. Molinæ *libr.* 3. *cap.* 4. *num.* 1. 2. *&* 3. Palaez *p.* 2. *q.* 6. *num.* 2. Piſcinæ *in diſp. An ſtatuta Feminarum excluſiua, n.* 4. Menchacæ *de Succeſſ. creatione. §.* 20. *à num.* 187. Corraſ. *lib.* 5. *Miſcell. c.* 15. Rojas *c.* 3. *num.* 18. Cumque in ijs Regnis non detur lex aut conſuetudo Feminas excludendi, optimè infertur, admittendas eſſe.

VII. Probo dilemmatis alteram partem, nempe Feminas non excludi,


excludi, etiamſi Regnum Luſitaniæ ſanguinis iure deferretur: quia Maioratus illi omnes, in quibus non habetur vltimi Poſſeſſoris ratio, ſed primi Inſtitutoris (hoc eſt enim deferri iure ſanguinis) admittunt ſemper Feminas, ni clauſulâ inſtitutionis aliquâ excludantur: atqui in huius Maioratus Luſitanè-Regij Inſtitutione nulla eſt clauſula, quæ Mulieres à ſucceſſione excludat; igitur admitti debent. De Conſequentiâ non dubitas: ſi de Minore, oſtende talem clauſulam. Maiorem veram eſſe affirmant, & præcipuè in Hiſpaniâ, Paulus Caſtr. *Conſil.* 164. *num.* 16. Couarruuias *libr.* 3. *c.* 5. *verſ. Rurſus.* Burgos *in dict. Proœm. à num.* 66. *& Conſil.* 29. *à num.* 1. *& num.* 4. *libr.* 1. Molina *libr.* 3. *c.* 4. *n.* 12. Perez *l.* 1. *pag.* 115. *col.* 1. *in princ.* Palaez *d. q.* 6. *à n.* 2. Gregorius Lopez *in d. l.* 3. *verb. Mugeres. tit.* 13. *Part.* 6. & præcipuè quoad Luſitaniam ipſe *leg.* 12. *tit.* 1. *P.* 6.

### PROBATIO TERTIA.

PRæterea in pluribus Iuris vtriuſque textibus fit mentio Reginarum, Ducum, Comitum, & aliarum, quæ in proprietate habuerint ſimiles alias dignitates. Liquet *ex c. Ex parte tuâ. de Priuileg. c. Ex parte.* 3. *& c. ſequenti de Verb. ſignif. c. Cùm deuotiſſimam. cum ſequentib.* 12. *q.* 2. *c. Significauit. de Reſcript.* item ex alijs, quæ adlegant Tiraquellus *d. q.* 10. *n.* 2. Antonius Gomez *in l.* 40. *Taur. n.* 8. Burgos *in d. Proœm. num.* 42. *verſ. Contrariam.* & alij plures. Item 3. *Regum* 10. & *Actorum* 4. fit Reginarum mentio, quæ erant Dominæ ſupremæ & proprietariæ in Regnis, vt poſt alios notauit optimè Tiraquellus *q.* 10. *n.* 4. Sanè Feminas ex naturâ rei non eſſe incapaces vt adſpirent ad ſucceſſionem Regni, liquet tum ex ijs quæ expendimus, tum præcipuè *ex textu in d. c. Licet. de Voto.* vbi expreſsè declarat Summus Pontifex, Ducem Andream non debere ſuccedere Vngariæ Regi Fratri ſuo, ni fortè *ſine prole diſcederet.* Nota hæc verba vltima, quoniam formalia. Ergo ſi Rex Vngariæ habuiſſet prolem, Andreas excluderetur. Atqui nomine VIII. *Reginæ plurimæ.*
prolis

prolis comprehenditur Filius & Filia, *l. Liberorum. in fine. ff. de Verbor. ſignif. c.* 1. *verſ. Proles enim. de ſucceſſ. Fratrum. c. Omne itaq.* 27. *q.* 2. *c. vlt. de Cond. appoſ.* Ita reſoluitur à Pariſienſi *Conſil.* 23. *n.* 26. *lib.* 1. ita à Tiraquello & alijs, quos refert Molina *libr.* 3. *c.* 4. *num.* 10. Ergo.

Tandem in Regno Angliæ vidimus nuperrimè Catholici Philippi Vxorem Reginam proprietariam: & ſæpè alibi.

## PROBATIO QVARTA.

IX. *Leges Hiſpaniæ antiqua.* QVidquid autem ſit de alijs Regionibus, dantur leges antiquiſſimæ Hiſpaniæ, vſu communi confirmatæ, quibus Feminæ declarantur habiles, vt ſuccedant in Regno. Occurrit memoriæ primò Lex illa, quæ condita eſt regnante Pelagio, cuius meminerunt Lucas Tudens, Lud. & Palacios, citati à Molinâ *libr.* 1. *c.* 2. *n.* 13. *& in annotationibus, n.* 2. *&* 3. & ante eum Burgos *in Proœm. ad Leg. Tauri, n.* 51. Item idem Molina *d. n.* 3. offert tranſſumptum veteris exemplaris ſibi communicati ab inſigni Doctore Couarruuiâ, ex quo ego; ſed illa ſolùm verba, quæ proderunt difficultati: *Eius legibus ſe adſtringere, vt ſi,* &c. *ſi autem deeſt Filius maſculus, Filia eius ordine prædicto aſſumatur in Dominam.*

Conſtat hæc eadem veritas *ex lege* 2. *tit.* 15. *Par.* 2. vbi diſertis verbis: *Que ſi Fijo varon hi no ouieſſe, la Fija mayor heredaſe el Reyno.* Latinè: *Si Filius maſculus non ſuperfuerit, Filia maior ſit heres Regni.* & poſt: *Si dexaſſe Fijo, o Fija de ſu Muger, aquel, o aquella lo ouieſſe.* Nempe, *Si relinqueret Filium, aut Filiam ex ſuâ Vxore* (vide excluſos nothos) *ille, aut illa Regnum haberet:* (vide admiſſas Feminas.)

X. Conſonat lex ſecunda: *tit.* 18. *Part.* 3. decernit, quòd deficientibus Filijs ſuccedat in Regno *la Fija mayor, y deſpues las outras, aſi como diximos de los Fijos.* Nempe, *Filia maior, & pòſt aliæ, vt diximus antè de Filijs.*

Non ſolùm Sereniſſimæ Principes, quia Regum Filiæ, ſed Dominæ, hoc eſt Nobiles Feminæ, ſæpè erant heredes

Regni:



Regni: conſtat ex verbis generalibus *l.* 9. *tit.* 1. *Part.* 2. ibi: *Con Dueña, que es heredera del Reino.* Latinè: *Cum Dominâ, quæ eſt heres Regni.* Clariùs ex *l.* 4. *tit.* 4. *Part.* 3. vbi poſt aliquas rationes generales adducit hanc limitationem: *Però ſiendo Reyna, o Condeſa, o otra Dueña, que heredaſe Señorio de algun Reyno, o de alguna Tierra.* hoc eſt: *Si fuerit Regina, aut Comitiſſa, aut Domina aliqua, quæ hereditaſſet aliquod Regnum vel Prouinciam,* &c.

Hæ leges conſpicuæ ſunt; exque ijs euidenter colligo, Feminas eſſe capaces vt ſuccedant in Regno. Id ipſum ante me collegerant ex ijſdem legibus Antonius Gomez *l.* 40. *Tauri n.* 8. Molina *libr.* 3. *c.* 4. *n.* 10. Perez *Conſil.* 23. *n.* 26. Palaez, Greg. Lopez, citati; Burgos *in Proœm. Legum Tauri. n.* 8.

## PROBATIO QVINTA.

VSus & conſuetudo in politicis rebus fert, inſtituit, XI.
modificat, exponit, imò & non raro derogat atque *A conſuetudine.* annullat leges; ideò dubitare quis poſſet, vtrùm hæc omnia, quæ diximus, recepta fuerint in Hiſpaniâ. Sæpè herculè Feminæ ſucceſſerunt Patribus in Regno. Conſtat ex illorum Hiſtorijs, quas recenſebo ſtudens ſummæ breuitati.

D. Vraca ſucceſſit in Regnis Caſtellæ & Legionis Regi Alfonſo, Hiſpaniarum denominato Imperatori, ſuo Patri, quà legitima Filia. Narrat Garibayus *libro* 11. *c.* 27. Rojas *in Epitom. ſucceſſ. n.* 36. Burg. *in Proœmio Leg. Tauri, n.* 47. *verſ. Rurſus.*

In ijſdem Regnis ſucceſſit D. Ioanna Reginæ D. Iſabellæ ſuæ Matri. Garibayus *libr.* 20. *c.* 1. Palaez *d. q.* 6. *num.* 2. Rojas *vbi nuper,* & alij.

In Nauarræ Regno D. Ioanna Vxor Regis Philippi, qui cognomento Pulcher, ſucceſſit Regi Henrico ſuo Patri. Garibayus *libr.* 26. *c.* 1. Palatios *de Iuſt. & iur. obt. & retent. Reg.* Nauarrus *p.* 6. §. 10. *verſ. Itaq.*

In eodem Regno ſucceſſit D. Blanca Regi Carolo III. ſuo Patri. Garibayus *libro* 28. *c.* 1.

Necnon & Leonora Regi Ioanni II. ſuo Patri. Garibayus *libro* 29. *capite primo.*

Videas ergo, ex conſuetudine veteri Hiſpaniæ Feminas à ſucceſſione non excludi.

## PROBATIO SEXTA.

XII. POtuiſſet quiſpiam vilipendere Hiſtoriarum prædicta teſtimonia, aſſerentia, Feminas ſuis Patribus Regibus in Regnis Hiſpaniæ ſucceſſiſſe; quia hîc non agitur de ſucceſſione directâ, quâ Filia ſufficitur Parenti, ſed de tranſuerſali atque collaterali, quâ ſufficitur Matrueli, aut Patruo: ideò demonſtrabo ex ijſdem Chronicis, etiam Feminas eſſe capaces ſucceſſionis per lineam tranſuerſalem.

*Ormiſenda Regina.* Nam D. Ormiſenda ſucceſſit in Regnis Ouiedi & Legionis D. Fauilæ ſuo Fratri: conſtat ex Chronico Hiſpaniæ *Part.* 3. *c.* 4. Garibayo *libr.* 9. *c.* 6. Burgos *in d. verſ. Rurſus.*

Infans Vſenda (alijs audit Odiſinda) Regis Legionenſis Alfonſi I. Filia, cognomento Catholici, ſucceſſit in eodem Regno Regi Aurelio ſuo Fratri. d. Chronicum *p.* 3. *c.* 6. *&* 7. Garibayus *libro* 9. *c.* 10.

*D. Nuña Eluira.* Regina D. Nuña Eluira D. Sancij cognomine Maioris Nauarræ Regis coniux, ſucceſſit in Comitatu Caſtellæ (nondum hæc donata fuerat Regiâ auctoritate) Infanti D. Garciæ ſuo Fratri. Hiſpaniæ Chronicon *p.* 3. *c.* 23. Garibayus *libro* 10. *cap.* 20.

*D. Sancia.* Regina D. Sancia Magni Fernandi Vxor, ſucceſſit in Regno Legionis D. Bermudo III. ſuo Fratri. Idem Chronicon *p.* 4. *c.* 1. *in princ. iuncto c. vltimo in fine, & libr.* 11. *c.* 1. Burgos *vbi ſuprà.*

*D. Berenguelia.* D. Berenguelia Alfonſia, Regis Alfonſi de-las-Nauas-de-Toloſa Filia, ſucceſſit in Regnis Caſtellæ D. Henrico Regi, Fratri ſuo. Idem Chronicon *p.* 4. *c.* 11. *iuncto c.* 10. *in princ. & cap.* 9. Garibayus *libr.* 12. *cap.* 42. Burgos & Rojas *vbi ſuprà.*

Regina Iſabella ſucceſsit in Regnis Caſtellæ atque Legionis



gionis Fratri ſuo, nempe Regi Henrico IV. Matth. de Afflict. *libr.* 3. *Conſt. rubr.* 23. *num.* 2. Burgos *vbi ſuprà num.* 45. *& ſeqq.* Rojas *d. nu.* 36. Palaez *d. q.* 26. *nu.* 2. Antonius de Padilla *ad titulum de Tranſaction. in Præfat. ad Lectorem*, Garibayus *libr.* 18. *c.* 1. Chronicum Regum Catholicorum *c.* 22. vbi adducuntur aliquot ſimilia exempla hanc veritatem confirmantia; contra aliquos qui tunc temporis ambiguè dubitabant.

Infans etiam D. Ioanna ſucceſsit in Nauarræ Regno Regi Carolo Patruo ſuo: Garibayus *libro* 27. *c.* 1. *D. Ioanna.*

His exemplis notatis, quis negare poterit, Feminas in Hiſpaniarum Regnis ſuccedere aut Patribus, aut alijs conſanguineis? Hoc conſuetudine vniuerſali Hiſpaniæ ſancitum eſſe affirmant Çurita *libro* 8. *c.* 5. Palaez *d. n.* 2. *&* 6. & alij innumeri.

Hæc lex eſt iuſta; & hac de cauſsâ non poteſt temerari ab Hiſpanis, cùm videamus, etiam à peregrinis religione ſummâ cuſtodiri. Vidimus in Angliâ. Maria ſucceſsit Eduardo VI. Fratri ſuo: *Hiſt. Pont. libr.* 6. *ſub Vitâ Iulij III. c.* 28. *§.* 4. Ipſi etiam Mariæ ſucceſsit Iſabella: *ibidem §.* 4. Hanc eamdem conſuetudinem intemeratam haberi in Apuliâ, docuit Burgos *in Proœm. ad Leg. Tauri, verſ. Rurſum.* ſeruari in alijs multis Regnis, teſtatur Tiraquellus *d. q.* 10. *num.* 4. XIII. *Maria & Iſabella Angliæ Reginæ.*

## PROBATIO SEPTIMA.

FEminas potuiſſe in Regiâ dignitate ſuccedere declarārunt Reges, Status Caſtellæ & Luſitaniæ in contractu Matrimoniali D. Beatricis, Filiæ Ferrandi Luſitanorum Regis, cum D. Frederico Filio Henrici Regis Caſtellæ. Decernitur ergo in Regni vniuerſalibus Comitijs, exhibito authentico inſtrumento, dictam Beatricem, & ipſius Filium aut Filiam debere Ferrando ſuccedere; & ideò in ipſis Comitijs à tribus Luſitaniæ Statibus iuratur heres: & additur, quòd ſi Beatrix ſine Filio aut Filiâ diſceſſerit, ſit heres XIV. *Statuum ac Regum diffinitio.*

 eiuſdem

eiuſdem Regni Portugallenſis ex Sororibus ipſius Beatricis, legitimis Filiabus Ferrandi, illa quæ natu maior. Non aliter in Regnis Caſtellæ decernitur heres atque Regni ſucceſſor Ferrandus, ſi Fredericus atque Beatrix obierint ſine Filio aut Filiâ. Conſtat ex Chronico Regis Ferrandi, *capite* 146. Ceterùm, hoc Matrimonium non habuit effectum: ſed cùm nuberet Ioanni Caſtellæ Regi, fuit is partium contractus à Regno vtroque confirmatus. Nempe declarabatur Beatrix heres Regni Luſitaniæ, ſi deuiueret Ferrandus ſine Filio; imò & iterùm à Regni Statibus Luſitaniæ iuratur heres eiuſdem Regni. (conſtat ex eodem Chronico *c.* 159.) Ex quibus contractibus ſic argumentor:

Vel illi contractus erant ſecundùm leges Luſitaniæ; vel contra leges. Si primum dixeris, ergo ex Regni legibus Feminæ ſunt capaces, vt ſuccedere poſſint in Regno: ſi ſecundum, ergo leges illæ, quæ excludebant Feminas, his contractibus fuerunt reuocatæ. Patet; quia hi contractus, cùm facti fuerint à Principe ſupremo, imò à Regni Comitijs, habent vim legis; ac perinde ſufficiunt quamlibet aliam reuocare, *l. pæn. C. de Donat. inter viu.* ibi legero: *vtpote Imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus.* Conſentiunt Doctores, & præcipuè Bartolus *in l. Cæſar. ff. de Publican. vbi Paul. n. 6.* Iaſ. *in l. Ciuitas. n. 5. ff. Si cert. pet.* Dec. *Conſil.* 689. Afflict. *Deciſ.* 299. *n.* 14. Emanoël da Coſta *de Succeſſ. Regni pag.* 69. & *in l. Qui duos. §. Cùm in bello. Schol. vlt. n.* 13. *ff. de Reb. dub.* Soarius *alleg.* 9. *num.* 13. vbi aſſerit, hanc eſſe communem opinionem. Item eſt huius ſententiæ Menchaca *Illuſtr. c.* 3. *n.* 5. Nec cauſſabor, ſi obieceris hos contractus fuiſſe irritos, &, mortuo Ferrando Luſitanorum Rege, non habuiſſe effectum: non enim ſuperſtes Beatrix Patri ſuo, quamlibet iurata, ſucceſſit; quia fuit à Regno excluſa non quà Femina, non quà illegitima; quia vtrumque innotuerat Comitia celebrantibus, ipſamque heredem declarantibus, & confirmantibus iureiurando: fuit tamen excluſa, vt ex Hiſtorijs liquet, quà ſchiſmatis Politici auctrix.



auctrix. Non enim ſtetit circumſtantijs eiuſdem contractus; & ideò non erat congruum ille ei ipſiſſimus contractus prodeſſet, quem ipſa temerauit: quia in contractibus ſi altera pars non ſatisfacit obligationi, non tenetur alia ſatisfacere; quia aliàs non ſeruaretur Iuſtitia, quam nominant Commutatiuam. Sanè, Beatricem non ſatisfeciſſe contractui in multis rebus, conſtat ex Chronico ipſius Regis Ioannis *à capite* 180. Ceterùm, probabilius iudico, iniuſtè à Regno fuiſſe excluſam. Vide ea quæ diximus *Libro* 2. & 3.

## PROBATIO OCTAVA.

QVòd ſi intra Portugalliæ limites philoſophemur, adhuc, deficientibus auxilijs peregrinis, demonſtrare poterimus, Feminas habere locum in ſucceſſione Regni Luſitaniæ; & poſſe eſſe, imò & quandoque fuiſſe, Dominas Regionis proprietarias. XV.

Cur non recenſeas Tarejam Regis Alfonſi Filiam, cuius dos fuit Regnum Portugalliæ, & nupſit Comiti Henrico, & fuit Mater inuictiſsimi Regis Afonſi huius nominis primi? *Tareja.*

## PROBATIO INSVFFICIENS.

ALiquis adulator potuiſſet hîc vti textu ex Priuilegio Innocentij II. quod quia breue, & expoſitione digniſsimum, placuit transſcribere. XVI.

INNOCENTIVS *Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Illuſtriſſimo Regi Portugalliæ eiuſque heredibus & ſucceſſoribus in perpetuum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

*Bulla Innocentij.* Dedi integram ſuprà Diſp. 1. num. 10. huius Libri V.

*PRoinde nos attendentes, perſonam tuam ſub Beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus, & Regnum Portugalliæ redintegritate honoris, Regnique dignitate, quæ ad Reges pertinet, & alia loca Excellentiæ tuæ concedimus, & auctoritate Apoſtolicâ confirmamus: hæc ipſa præfatis heredibus tuis duximus concedenda,* &c. Hoc priuilegium reperies apud Bernardum Brito *in Chronico Ciſtert. lib.* 3. *c.* 4. & 5. &, vt ipſe aſſerit, originale

originale perſtat in Archiuo Toledi. Id ipſum aſſerit Licentiatus Gaſpar Alures Louſada. Similia verba continet Bulla Alexandri III. In ſubſtantiâ non diſsidet alia ab Innocentio III. conceſſa Sancio I. Luſitanorum Regi, ex quâ notanda ſunt hæc verba: *Ab eodem* (nempe *Alexandro III.*) *meruit obtinere, vt tam ipſe quàm eius heredes Regio nomine vocarentur.*

XVII. *Nomine heredum intelliguntur feminæ.* Ex his Bullis conſtat, Regnum hoc Luſitaniæ non ſolùm Regibus, ſed & heredibus eorum concedi: atqui heredum nomine intelligendæ veniunt Filiæ; igitur hæ poſſunt ſuccedere in Regiâ dignitate. Maior eſt nota; Conſequentia legitima. Minorem probant leges ſubſequentes; nempe, *l. Heredis appellatio. l. Heredis appellatione. ff. de Verborum ſignif. iunctâ Authent. in Succeſſione. C. De ſuis & leg. & Auth. de Hered. ab inteſt. ven. à princ. collat.* 9. Ita ex his textibus vocem *Heres* exponunt Doctores illuſtriſsimi quos aliàs legi; ex quibus Berous *Conſ.* 93. vbi aſſerit, eſſe ſententiam ſuam communem, & in hoc à nemine diſſidere; Alciatus *l.* 1. *ff. de Verborum ſignificatione*, & Aluarus Vaz *q.* 41. *nu.* 2. Iulius Clarus *verb. Emphyteuſis. l.* 1. Menoch. *Conſil.* 1. *nu.* 441. & *num.* 444. *libr.* 1. apud quem & aliqui.

XVIII. PROBATIO *hæc nulla eſſe monſtratur, atque Priuilegium Pontificis Innocentij exponitur.*

HOc Priuilegio vtantur qui confundant Dei & hominum auctoritatem; quia ex tali confuſione naſcitur hæreſis turpior atheiſmo. Vix enim crederem eſſe peius, Dei exiſtentiam diffiteri, quàm ipſi homines æquales facere. Dei auctoritas infinita eſt & illimitata, terminis nullis circumſcribitur: humana eſt finita; atque ideò terminis carere nequit. Sit Pontificia ſanè maxima: ceterùm ille non eſt Deus, ſed Prodeus in Eccleſiaſticis, ſicut Rex in Politicis. Inuehimur contra Theologos, qui Angliæ Regibus ſupponunt forum Eccleſiaſticum: eccur non contra illos, qui ſpe vel vili metu ſupponant Epiſcopis merè-Politicum?

Vide Diſp. 1. n. 105.

O quàm



O quàm bellè noſter Brandão *in ſuæ Monarch. Luſit. libr.* 10. *c.* 14. *§.* 2. (*No que ſe pode conſiderar, que tanto ſe julgaba sêr eſta eleição do pouo todo, que ainda deſpois de o Papa têr dado o titulo de Real, a el Rey Dom Afonſo Henriques ſe pidio ſeu conſentimento para el Rey poſſuir eſta dignidade, confeſando niſto, que não baſtaua fazelo o Summo Pontifice ſi o pouo o não aceitaſſe, como ſe colle daquellas palauras das meſmas Cortes. Vt videatis bonas litteras Domini Papæ, & dicatis, ſi vultis, quòd ille ſit Rex.*) Meâ induſtriâ agat Latinè is idem Auctor. XIX. *Pontificis Romani auctoritas.*

Quantum poſſumus ſpeculari (ait citatus Brandão) tam neceſſaria iudicabatur hæc populi electio (hæc nempe quæ fiebat in Comitijs, non illa quæ facta fuerat à tumultuario populo in Campo Ouriquio, de quâ Diſp. 1. nu. 64.) vt crederent non ſufficere Bullam Pontificiam, ſed requiri conſenſum populi, vt Afonſus hanc poſſideret dignitatem. Sanè in hoc confitebantur, non ſufficere quòd eum Summus Pontifex Regem eligeret, ſi populus (penes quem erat eligendi auctoritas) non acceptaret, vt colligitur ex illis Comitiorum verbis: *Vt videatis bonas litteras Domini Papæ, & dicatis, ſi vultis, quòd ille* (nempe *Afonſus*) *ſit Rex.* Rationem ſæpiſſimè expoſuimus; quia Pontifex in merè ciuilibus directè habet nullam auctoritatem; & corona, quâ in Comitijs donandus fuerat, erat merè politica.

Ceterùm, ſi verba Pontificis legimus, videbitur is concedere Afonſo Regiam auctoritatem; quòd ſi cum eiuſdem Afonſi conferamus Epiſtolâ, reperiemus aliò ſpectare tenorem Priuilegij. Mittit Grammatophoron Afonſus ad Innocentium ſecundum huius nominis Summum Pontificem, non vt poſtulet titulum Regis, ſed vt ſalutem dicat plurimam Rex; ideò in initio Epiſtolæ: *Afonſus Dei gratiâ Rex Portugalliæ Sanctiſſimo & Beatiſſimo D. D. Innocentio Papæ pedum oſcula.* ſubſcribit: *Ego ſuprà dictus Afonſus Rex Portugalliæ.* Vide: nota. Inconſulto Pontifice Rex inſcribitur; quia titulum, quem independenter à Pontifice habuerat, XX. *Expenduntur verba Pontificis.*

rat, eo nondum concedente poterat conſeruare. Sanè tunc temporis (hoc eſt anno 1142.) iam electus fuerat à populo in Campo Ouriquio; & Status ad Comitia congregabat, quæ celebrata fuerunt anno ſequenti 1143. & ideò nominatur Rex, quia ex tacito conſenſu populorum iam talis eſſet, cùm nullus contradiceret; non tamen ex expreſſo, quem habuit Lamegi in ſolemnibus illis Comitijs.

*Annuus cenſus.*

XXI. In hac Epiſtolâ donat Luſitaniam Pontifici ſub annuo cenſu. Tene verba formalia: *Ego Afonſus Dei gratiâ Rex Portugalliæ per manus Domini Cardinalis G Apoſtolicæ Sedis Legati Domini noſtri Innocentij Papæ, terram meam Beato Petro & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ offero ſub annuo cenſu, videlicet quatuor vnciarum auri; eâ conditione atque tenore, vt omnes, qui terram meam poſt deceſſum meum tenuerint, prædictum cenſum Beato Petro perſoluant.*

*An tenerentur ſoluere, expoſui in hoc Libr. 5. in Coronid. Diſp. 1.*

XXII. Hic ego. Vel hæc verba ſonant meram oblationem, vel promiſſionem. Primum ego ſentio, ac perinde ſuprà Libr. 5. Diſp. 1. nu. 35. aſſerüi, Reges Luſitaniæ non teneri perſoluere; quia oblatio, deuotio, non tamen obligatio eſt. Si ſecundum exiſtimes debere dici; ſic in huius textus intelligentiâ Scholaſticè philoſophare: Acquiſierat Pontifex ius ad Regnum Luſitaniæ; hocque ſuberat illi quà tale pretium ſoluturo. Is magni faciens Regis Afonſi liberalitatem, reſpondet, vt vidimus, ſe ſub Beati Petri & ſuâ protectione perſonam eius recipere, & Terram Luſitaniæ, Regnum, & loca, in quæ ex deuotâ Afonſi munificentiâ nouum ius ac poſſeſſionem acquiſierat, ex correſpondenti liberalitate ipſi Afonſo & ſucceſſoribus ipſius in perpetuum concedere; ita equidem, vt ſoluere non tenerentur quod decreuerat noſter Afonſus.

XXIII. Sanè hoc Priuilegio meram ceſsionem contineri, merámve conceſsionem illius ſummæ annuæ, ex eo conſtat, quòd ipſiſsimus Afonſus Rex XXVIII. ſequentibus annis talem ſummam non ſoluerit. Nec credibile eſt, Regem Sanctum, ſummè liberalem atque opulentè-diuitem, tam longo



go tempore aurum Romanæ Eccleſiæ retinuiſſe, ni Pontifex conceſſiſſet, vt expendebamus. Sanè viginti octo annis non ſoluiſſe cenſum illum Eccleſiæ, conſtat ex inſtrumento publico, præſtito à D. Gundiſaluo Hiſpano familiari, & Nuntio Pontificis Romani; cuius originale perſtat in Turre *do Tombo*, & exemplar apud Brandãonem *Monarchiæ Luſitanæ libro* 10. *cap.* 11. Nec prodeſt, licet dicas poſt annos viginti octo ſatisfeciſſe; quia tunc hoc potuit facere de nouis cauſsis.

Ex expoſitione iſtius Bullæ reliquæ veniunt, ſiquando ſimiles occurrant, intelligendæ. Ceterùm ſi dicamus (vt oportet dicas, ſi ſeuerè volueris atque verè procedere) Regem Afonſum non ſe obligaſſe hoc inſtrumento, ſed oſtendiſſe meram animi deuotionem, vt ſuprà expoſuimus, nullus ſupereſt locus difficultati.

*Conſule in hoc Libro 5. Coronidem in fine Diſputationis primæ.*

## PROBATIO NONA.

IN Lamegi Comitijs, vbi & Afonſus debitâ ſolemnitate fuit creatus Luſitanorum Rex, latæ fuerunt leges de ſucceſſione; & poſtquam de Filijs actum fuerat, inceperunt & de Filiabus * *altercare*. Subijciam expreſſa verba Comitiorum, reperienda tum apud alios, tum apud citatum Brandãonem *l.* 10. *c.* 13. XXIV.

*Lamegi leges.*

* *Altercare* actiuè ponitur in ijſdem legibus.

*Dixit poſteà Laurentius Venegas Procurator Domini Regis ad Procurantes:* (hi erant Vicarij Ciuitatum) *Dicit Rex: Si vultis quòd intrent* [a] *Filias eius in hereditatibus regnandi, & ſi vultis facere leges* [b] *de illas? & poſteaquam altercauerunt per multas horas, dixerunt: Etiam Filiæ Domini Regis ſunt de lumbis eius, & volumus eas intrare* [c] *in Regno, & quòd fiant leges ſuper iſtud. Et Epiſcopi & Nobiles fecerunt leges de iſto modo: Si Rex Portugalliæ non habuerit Maſculum, & habuerit Filiam, iſta erit Regina, poſtquam Rex fuerit mortuus.* Vide legem clariſsimam.

[a] *Corrigo* Filiæ
[b] *Corrigo* de illis?
[c] *Corrigo* in Regnũ,

## PROBATIO DECIMA.

XXV. *Regis Afonſi II. Teſtam.*

DEmonſtratur id ipſum ex Teſtamento Regis Afonſi II. quod perſtat in Turre *do Tombo*, nempe *liuro* 4. *dos direitos Reais, à fol.* 77. in quo Rex inſtituit heredem Filiam ſuam Lianorem, his verbis: *Si Filium maſculum non habuero de Reginâ Donâ Vrracâ, Filia mea Dona Lianor, quam de ipsâ Reginâ habeo, habeat Regnum.* Ceterùm, ex eiuſdem Teſtamenti alijs clauſulis liquet, Feminas ſuccedere potuiſſe in Regno.

## PROBATIO VNDECIMA.

*De Algarbiâ.*

IDem quoad hoc eſt Ius Luſitanici Regni & Algarbici: & in Algarbiâ vtrâque Feminæ ſunt heredes. Probo. Cùm primùm Alfonſus Sapiens Caſtellæ Rex vtramque Algarbiam donauit Regi Afonſo III. Boloniæ Comiti, ſuo Genero, declarauit expreſsè poſſe deferri ad Feminas. Liquet ex Chronico eiuſdem tertij Afonſi *cap.* 10. in quo inuenies hæc verba: *Fez doação a o dito Dom Afonſo ſeu Genro, e a o Iſſante Dom Dinis ſeu Filho, & au todos os Filhos, & Filhas, que delles deſcendeſſem para ſempre*, &c. hoc eſt: *Donauit* (puta *vtramq; Algarbiam*) *dicto D. Afonſo ſuo Genero, & Infanti D. Dionyſio eius Filio, & omnibus Filijs & Filiabus, qui ab ijs deſcenderint; hocq; in perpetuum.*

Sanè eodem modo debere agi de vtroque Regno (nempe Algarbico atque Luſitano) doceor à Regis Dionyſij Teſtamento; cuius autographum reperio præſentatum nuperrimè Regi Henrico à Procuratoribus Infantis Ducis Catharinæ. In hoc autographo lego: *O qual noſſo Filho, ou Filha, que deuera sêr noſſo herdeiro.* & pòſt: *Ou da qual noſſo Filho, ou Filha, que for noſſo herdeiro.* In quibus clauſulis explicat, poſſe ipſi ſuccedere indiſcriminatim in Regno vtroque, vel Filium, vel Filiam.





## PROBATIO DVODECIMA.

ADiungam verba ex Epiſtolâ Regis Afonſi V. quam is miſerat ad Status Regni. Ibi: *Que ſe em algum tempo acontecer, o que Deos não mande, que o Principe meu ſobre todos muito amado & prezado Filho falleza antes de meu paſſamento deſte mundo, & delle fiquen Filhos, ou Filha, legitimamente naſcidos, que aquelles, ou aquella herde os ditos meus Reinos, de Portugal & dos Algarbes, & não outro algum meu Filho, ou Filha.* Dabo Latinis: ſunt etenim verba fortiſſima; & ideò in finem, quia validiora, reſeruaui. *Decerno*, ait Afonſus, *quòd ſi acciderit, id quod Deus auertat, nempe, quòd Princeps meus præ reliquis amatus & æſtimatus Filius obeat ante me, ſi ex eo ſuperſit Legitimus Filius, ſeu Filia, ille aut illa heres ſit Regnorum, videlicet Luſitani & Algarbici, non verò alius meus Filius, aut Filia.* XXVI. *Ex Epiſtolâ Regis.*

Ceterùm, nec probabiliter procedet, qui audeat carpere huius declarationis & epiſtolæ auctorem: ipſa etenim congruit Iuri communi, nec non Legibus atque Conſuetudinibus Hiſpaniæ, Inſtitutioni horum Regnorum, Comitijs Lamegenſibus, Afonſi II. & Regis Dionyſij teſtamentis, & contractibus habitis in connubio Beatricis.

Præterea, hic Rex moriens nullum ius nouum ſiue legem condebat, ſed ſolummodò iuxta veteres explicabat, quiſnam ipſi deberet iuridicè ſuffici poſt mortem. Ceterùm, in quæſtionibus explicatio Regum habet diffinitiuè abſolutiſſimam auctoritatem. Ita Baldus *in Procœmio decretal. col.* 2. Martinus Laud. *de Princip. q.* 418. Oldradus *Conſil.* 94. *in princ. & col.* 3. Soarius *in l. Quoniam in prioribus. limit.* 11. *ad Leg. Regn. dub.* 2. *num.* 22. & Antonius à Gamâ *deciſ.* 307. *num.* 24. vbi ex profeſſo tractat de hac ipſiſſimâ declaratione quam fecerit Afonſus V. XXVII.

Regum declarationes ſemper debent haberi quaſi Leges, licet per litteras miſſiuas ſint factæ: *text. in l.* 1. (*ibi*, ſiue per Epiſtolam.) *ff. de Conſt. Princip. l. Item veniunt. §. pæn.* *Declarationes Regum.*

*ff. de Petend. hered.* vt hîc notat Aug. Laud. *de Princip. q.* 58. & poſt eum Reb. *in Comp. alien. num.* 44. & alij plures *ex l. Si imperialis. in princ. C. de Legibus. §. Sed & quod Principi. Inſt. de Iure nat. Ordin. lib.* 2. *tit.* 5. *§. pæn.*

Neque eſt rara & ſine exemplo hæc Afonſi V. declaratio; quia etiam Alfonſus II. Rex Ouiedi & Legionis declarationem publicauit pro D. Ramiro Infante, ipſius conſobrino. Garibayus *libr.* 9. *cap.* 16. Reliquùm, vt ex eodem Hiſtoriographo conſtat, maximi apud Hiſpanos ſemper fuit facta hæc declaratio.

## ARTICVLVS II.

### *Obiectis ſatisfacio.*

NVlla tam certa veritas, quæ difficultates non patiatur; ideò enodare eas volui, quæ à collitigantibus contra hanc acutè excitabantur.

### OBIECTIO PRIMA.

XXVIII. *Quæſtio incidens: An feminæ poſſint habere officia publica?*

SAnè conſtat ex Iure, Feminas ad officia publica nullatenus admiſſum iri: non enim poſſunt habere iuriſdictionem neque Publicæ rei adminiſtrationem, *l. Feminæ. ff. de Reg. iuris. l.* 3. *verſ. Corporalia. ff. de Muner. & hon. l. Cùm prætor. verſ. Moribus. ff. de Iudic. c. Dilecti. verſ. Quamuis. de Arbitr.* vbi Gloſſa & Doctores: & ex his præcipuè Berous *l.* 4. *tit.* 4. *Part.* 3. *verſ. Ni muger.* Bartolus *in l.* 1. *n.* 10. *C. de Mulieribus. & in quo loco lib.* 10. *gloſ.* 2. *in cap. Vereor.* 8. *q.* 1. *gl. vlt. in c. Si ſæculi.* 12. *q.* 2. *gloſ. verb. Mulieres. in Summâ.* 15. *q.* 3. Sebaſtianus Bantius *de Nullitate ſentent. tit. Ex defectu iuriſdict. de Leg. num.* 71. Atqui Regia dignitas eſt officium publicum; cuius eſt appendix, iuriſdictio, Reipublicæque adminiſtratio, imò & auctoritatis fons, ex quo ad inferiores deriuatur, *l.* 1. *§. Ius publicum. ff. de Iuſt. l.* 1. *ff. de Conſt. Princip. c.* 1. *Quæ ſint Regalia. verſ. Poteſtas. c.* 1. *verſ. Iudices. de Pac. iur. firm. c. Regum.* 23. *q.* 5. *l.* 2. *tit.* 4. *Part.* 3.



*Part.* 3. *Ordin. libr.* 2. *tit.* 15. *in princip. & tit.* 26. *in princ. & §.* 15. *textus in c. Grandi. poſt principium.* vbi (ad curam & adminiſtrationem generalem Regni) eſt reſolutio doctiſſimi Auendañi *de Exeq. mand. cap.* 1. Couarruuiæ *Pract. c.* 1. *n.* 9. & hic inibi adlegat plurimas leges Caſtillianas; Aluari Vaz *libr.* 1. *q.* 8. *à num.* 21. Dominici *num.* 3. *de Supplem. negl. præl. in* 6. *ex cap. Grandi iam citato.* Ergo Feminæ non poſſunt ſuccedere in Regno.

Hoc argumentum tam efficax aliquibus eſt viſum, vt non dubitauerint aſſerere, Feminas in quolibet Regno eſſe incapaces vt ſuccedant deuiuentibus Regibus. Ita Ioann. Andr. Ant. & alij recentiores *in c. Significauit. de Reſcript.* & aliqui quos citant Tiraquellus *de Iure primogenio q.* 10. Burgos *in Procemio ad Leg. Tauri nu.* 41. *verſ. Denique.* & Molina *libro* 3. *cap.* 4. *num.* 5.

RESPONDEO diſtinguendo Maiorem. Feminæ non ſunt admittendæ ad officia publica, vt habeant iuriſdictionem auctoritatemque Politicam in viros? diſtinguo. Si talia officia deferantur iure electionis, concedo: ſi iure hereditario, nego; quia citati textus, allegati auctores indicunt, ne eligantur Feminæ ad tales dignitates, non verò vt exheredentur. Sanè hereditario iure ad officia poſſe deuenire, ac perinde vti auctoritate ſui officij, conſtat ex Angelo *in l. Feminæ.* & Dec. *ibidem num.* 3. Maynero *num.* 4. & 17. Gagnolo *num.* 4. Alex. *Conſil.* 1. *col.* 6. *libr.* 5. Ioanne le Cerier *libr.* 1. *de Primogen. quæſt.* 19. *num.* 6. hoc aſſerunt communiter Doctores *in c. Dilecti.* & Berous *ibidem à num.* 49. *de Arbitr.* Baldus *in l. Multis. ff. de Statu hominum.* Vantius *vbi ſuprà d. tit. Ex defectu iuriſdict. de Leg. nu.* 73. Burgos *in Procem. num.* 67. & *num.* 48. meminit plurium Comitatuum, Ducatuum Statuumque, in quibus Feminæ ſuccedunt. Idem notauerat ante hunc Chaſſe. *in Conſuetud. Burgund. rubr.* 3. *§.* 5. *gloſ.* 1. *à num.* 42. & Carolus de Graſſalio *lib.* 1. *iure* 17. *verſ. Primo de Ducatu. cum ſeqq.* Id ipſum probatur ex textu *in c. Significauit. de Reſcript.* in quantum XXIX. *Quæſtionis reſolutio.*

 aſſerit,

aſſerit, Filiam iure ſucceſſionis poſſe obtinere & admini-ſtrare Comitatum. Clarius ex lege 4. tit. 4. Part. 3. vbi: *Pero ſiendo Reyna, o Condeſſa, o otra Dueña, que heredaſe Señorio de algun Reyno, o de alguna Tierra, tal muger (como eſta bien) lo puede fazer por honra del logar que touieſe.* Latinis: *Sed ſi fuerit Regina, aut Comitiſſa, aut Domina heres cuiuſpiam Regni aut Regionis, hæc talis mulier (vt fas eſt) poterit id præſtare ad honorem loci quem obtinet.* Hanc legem propter hoc & ad hoc allegat & expendit Burgos d. num. 93.

XXX. Similiter diſtinguo Minorem. Regia dignitas in Luſitaniâ eſt officium publicum? Diſtinguo. deferendum iure electionis, nego: deferendum iure hereditario, concedo. Atque ideò aptiſſimè nego ſubiectam Conſequentiam.

XXXI. *In Pontificatu, Imperio, Poloniâ mulieres à ſucceſſione excluſæ.* Infero autem ex dictis, in Pontificatu, in Imperio, inque Regnis Poloniæ & alijs quibuſlibet, in quibus ſinguli Monarchæ eliguntur, non poſſe mulieres ſuffici deuiuentibus, tum ob rationes alias; tum etiam quia mulieres ſunt incapaces ad officia, & auctoritatem politicè-publicam, iure electionis obtinenda: vnde, ſi per impoſſibile mulieres validè promouerentur ad Ordines Sacerdotales, adhuc remanerent incapaces illius iuriſdictionis, quæ non niſi liberâ electione conceditur.

*Solutionis confirmatio.* Adæquatè ſatisfeciſſe obiectioni iam videor: nihilominus corroboro datam ſolutionem. Clerici non poſſunt admitti ad officia publicè ſæcularia, neque poſſunt adminiſtrare aut habere auctoritatem ſæcularem. Atqui titulo hereditario à talibus non excluduntur, imò ſæpè in Regno & alijs dignitatibus ſupremis, defunctis Monarchis ſucceſſerunt. Ergo leges quæ Clericos ab officijs ſæcularibus expreſsè excludunt, intelligendæ ſunt de iure electionis, non verò de iure hereditatis. Haud perperàm ergo philoſophati ſumus, cùm leges, quæ excludebant Feminas, eodem modo explicauimus.

XXXII. Maior colligitur apertè *ex c.1. Et per totum. ne clerici, vel monachi. Auth. de Sanctiſſ. Epiſc. §. Sed neque. coll. 9.* Propugnant



gnant Ioannes de Plat. *in l. Colonos nulla. C. de Agricolis & cenſ. lib. 11.* Perez *ad l. 12. tit. 3. libr. 1. Ordin.* Chaſſen. *in Conſuetud.* Burgos *rubr. 3. §. 6. col. 2.*

Minor nihiloſeciùs probatur; quia Clerici in legitimi iuris terminis poſſunt iure hereditario ſuccedere in quolibet maioratu, aut dignitate ſæculari, quamuis ſit illi annexa iuriſdictio, aut publicæ rei adminiſtratio, *text. in c. Inter dilectos. verſ. Primò de fide inſtr.* & ibi Abbas *n. 2. & 5. Fel. 3.* & alij Doctores *in c. vltim. Ne Clerici vel monachi. in 6.* Tiraquellus *de Iure primogenio q. 44. à num. 6.* Molina *libr. 1. c. 13. num. 97.* Palaez *p. 2. q. 3. num. 34.* Specialiter poſſe in Regnis ſuccedere Clericos, reſoluit Alber. *in Auth. Ingreſſi. col. pen. C. de Sacroſ.* Baldus *poſt conſuetud. Aurelian. c. De lege Salicâ, & Regni ſucceſſ. verſ. Nonò facit.* Gregorius Lopez *in l. 2. verb. Siendo ome para ello. col. 2. tit. 15. Part. 2.* Hæc omnium communis ſententia, aſſerente Antonio Gomez *in d. l. 40. Tauri num. 66. in fine.* *Clerici ſuccedere poſſunt in Regno.*

Hiſtoriæ authenticæ corroborant citatas leges; demonſtrant etenim receptas eſſe, atque vigere in vſu. Colomanus Epiſcopus ſucceſſit Ladiſlao Patruo ſuo in Regno Vngariæ, vt poſt Michaëlem Ritium refert Tiraquellus *de Iure primogenituræ in Præf. n. 6.* XXXIII. *Colomanus Epiſcopus, Vngariæ Rex.*

In Ouiedo & Legione, Regnis florentiſſimis Hiſpaniæ noſtræ, Bermudus Diaconus ſucceſſit Regi Mauregato Patruo ſuo. Legi in Garibayo *libr. 9. cap. 13.* *Bermudus Diaconus Legionis Rex.*

Tandem, vt ad noſtra veniamus, inuictiſſimo D. Sebaſtiano ante diem pulchrâ morte adempto, ſucceſſit Patruus eius Henricus; licet & eſſet Ciſtertienſis Abbas, & Cardinalis Preſbyter ſub titulo quatuor Coronatorum. *Henricus Sacerdos Luſitanorum Rex.*

Hæc autem differentia eſt notanda inter feudum, aut Coronæ bona, & Coronam ipſiſsimam; quia ad illa tum in alijs Prouincijs, tum etiam præcipuè in Luſitaniâ non poteſt adſpirare Clericus ſine Regis licentiâ, *c. 1. §. Qui clericus. ſi de feudo fuerit controuerſia. c. 1. de Vaſallo milit. qui arm. bell. c. 1. verſ. Ex hoc feud. fem.* Confirmat *lex 6. tit. 26. Part. 4.* *Inter feudum & ſceptrum differentia.*

*Part*.4. vbi Gregorius Lopez *verb. Tal clerigo.* vberiùs Dueñas *reg*.103. Iacob. Menoch. *d. caſu* 231. *à princ.* Iulius Clarus *verb. Feudum. q.*78. *n.*4. *&* 5. & Ordin. *libr.*2. *tit.*17. §.8. vt optimè notat Emanoël da Coſtà *de Succeſſione Regni pag.*64. Ceterùm, ad ipſam Coronam non requiritur facultas Regia; ſupponitur enim interregnum, & non eſſe Regem, qui talem poſsit concedere legitimam auctoritatem.

## OBIECTIO SECVNDA.

XXXIV. *An ſit contra ius naturale, mulieres præeſſe?*

Argumentor ſecundò adhuc vniuerſaliùs contra præpoſitam reſolutionem. Quia eſt contra ius naturæ, mulieres donari Regiâ auctoritate; ergo nequit permitti. Probatur Antecedens. Eſt contra ius naturæ, dari officium inſufficienti; atqui Feminæ non ſufficiunt Monarchiæ gubernandæ: eſt ergo contra naturæ ius, quòd permittantur mulieres eſſe Reginæ, & perinde Vrbes & Populos ſubiectos gubernare. Probatur Minor. In Monarchâ requiritur Fortitudo, Conſtantia, Prudentia, Liberalitas. Has virtutes ius exigit *in c. Grandi. de Supplem. neglig. prælat. in* 6. *d. c. Regum. c. Rex debet.*23. *q.*5. *l. Imperialis. C. de Nupt. c.*1. *de Donat. l.* 8. *tit.* 5. *Part.*2. & in alijs locis, quæ refert Corſetus *de Potent. Regum* 2. *p. q.* 20. Burgos *in dicto Proœm. à num.*38. *ad* 42. Molina *libr.* 1. *c.* 3. *num.* 20. *cum ſeqq.*

Sexus Feminarum eſt fragilis. Conſtat ex communi Romanæ Eccleſiæ voce *in Orationibus Virginum Martyrum.* & quæ fortis ſit Femina,

*Rara auis in terris, nigroq; ſimillima cygno eſt.*

Vnde in prouerbio vltimo inquiritur, vtrùm *mulierem fortem quis inueniet?* facilius eſſet reperire illam, de quâ Plautus Milite, Act. 2. ſc. 2.

*Character mulieris ex Plauto.*

*Domi habet animum falſiloquum, falſificum, & falſiiurium,*
*Domi dolos, domi delenifica dicta, domi fallacias:*
*Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos:*
*Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,*



*Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:*
*Qui arguet ſe, eum contrà vincat iureiurando ſuo.*

Iſte eſt mulieris character ex opinione veterum, iſtæ feminæ prærogatiuæ. Accinit ſibi Plautus ipſe *Amphitr.* 2. *ſc.* 2. *v.*72. & *Ciſtellaria*, 1. *ſc.*1. *v.*66. & *Curcul.*5. *ſc.*1. *v.*2. & *Milite*, 2. *ſc.*3. *v.*14. & *ſc.*5. *v.*54. & 3. *ſc.*3. *v.*14. & 4. *ſc.*7. *v.*9. & *Pœnulo*, 1. *ſc.*2. *v.*1. & *v.*33. & 5. *ſc.*3. *v.*26. & *ſc.*4. *v.*31. & *Rudente*, 4. *ſc.*4. *v.*69. & *Sticho*, 1. *ſc.*2. *v.*46. & *Trinummo*, 3. *ſc.*3. *v.* 62. & *Trucul.* 2. *ſc.*8. *v.*9. & huic omnes alij Poëtæ & Oratores.

Conſonant *l.*2. *§. Verba. in fine. ff. ad Vellean. l. Filia. C. In off. teſt. c. Forus. de Verborum ſignif.* Conſonat poſt alios multos Tiraquellus *in l.*1. *Connub. gloſſ.*1. *p.*1. *à num.*7. Burgos *in d. Proœm. à num.*39.

XXXV. *Dubitationis reſolutio.*

RESPONDEO, has Feminarum imperfectiones non eſſe tranſſcendentes, vt loquar Metaphyſicus; nec proprietates in quarto modo, vt Logicus: ſanè reperiuntur innumeræ capacitatis ſummæ, ſufficientes regimini plurium Regnorum. Tres Iſabellas habuit vltimis annis Hiſpania, Anglia, Belgium, quæ Regibus eſſent exemplo. An non Iſabella, Catholici Fernandi Coniux, vltra femineam conditionem Herois inuictiſsima, potentiſsimos Maurorum Principes bellico ductu ſubiugauit? Cur non Anglicana Iſabella (omitto ſchiſma) debeat cenſeri perilluſtris, quæ innupta & ſola tumultuantem populum coëgit, ad Fortunæ euexit abſidem, vt ſub illâ ditior atque celebrior, quàm ſub Mariâ fuerat, aut ſub Eduardo VI. eiuſdem olim & Regibus, & Fratribus? Auſtriaca noſtra Iſabella, annon Amazon quædam Belgica, atque Heſperia Virago? Semiramidi poſterior tempore, anterior maieſtate. Vna leges dedit Tellури, Oceano; & concordiâ politicâ diſcordes Belgarum populos illuſtriùs gubernauit.

*Iſabellarum trias commendatiſſima.*

Has tres Viragines propoſui, non quia vnicas, ſed quoniam magis notas. Legere erit aliarum apud alios actiones inuictè-generoſas. An non & memoriæ gratulantur eæ, quas

recenſet Guillelmus Benedictus *in d.c.Rainutius.verb.Duas habens Filias. à num.*5. Chaſſeneus *in Catalogo Gloriæ Mundi,*2.*p.conſid.*8.*cum ſeqq.* Tiraquellus *ad l.*11. *Connub. à princip.* Frat. Bernardus Buſti & Ioannes de Neuizanis, citati à Burgos *in d. Proœm. num.*47. & alij qui referuntur à Dueñas *reg.*308.

XXXVI. *Mulieres præſtant viris: in quibus?* Omitto alias Feminarum virtutes, in quibus illæ viris ſunt nobiliores. Faciliùs compatiuntur, & ideò magis benignæ, minùs auſteræ, & crudeles rariſsimè. Amant ardentiùs templa, & deuotione perenniore cultui diuino aſſiſtunt. Sanè hæ virtutes in ſexu Femineo præeminentes, non poſſunt carere multis alijs, cùm tales Viragines ſint ex clariſsimo ſanguine, tum propter bonam educationem & parentum exemplum, tum propter neſcio quam generoſitatem quaſi cælitus inditam, & pediſequam nobilitatis. Iſta omnia vberiùs in omnibus legibus tit.7. Part.2. hæc omnia acumine curioſè-vario à Tiraquello *d. l.*7. *Connub. ſtatim in limine* tractantur.

Ex dictis clarè conſtat, non deſiderari in Feminis virtutes ac dotes neceſſarias, vt Publicis rebus præficiantur; ac perinde non iri excluſum à Regiâ aut aliâ quauis dignitate.

## OBIECTIO TERTIA.

XXXVII. INſtas tertiò: Adhuc admiſſo, ais, Feminas eſſe præditas iudicio ſufficienti, vt Reipublicæ præſint, non debere promoueri ad ſupremas illas dignitates, propter inconuenientia aliquot quæ poſſunt ſubſequi. Quæ? recenſes: audio. *Ex mulieribus inconuenientia.* Poſſunt, inquis, nubere ignobili, & ideò maculare ſanguinis Regij claritatem; perinde eſſe Regni Primoribus multæ ignominiæ, atque Regnis infamiæ. Subijcientur in tali caſu Magnates & clariſſima Regnorum lumina ſpurio induenti Regiam dignitatem: habebit Regio Infantes Semiprincipes, & multam Statuum confuſionem. Ceterùm, hæc non poterunt accidere ſine damno Reipublicæ, perennitatiſque certiſſimis impedimentis; *arg. l.*1. *§. Publicè. ff. de*



*de Ventr. inſp. l. Super ſtatu. C. de Quæſtion. iunctâ lege, Pronuntiatio. §. Communium. ff. de Verborum ſignif. l. Liberos. ff. de Senator. l.* 1. *& l.*12. *tit.*7. *Part.*2. Circa quæ proderit legiſſe Anchar. *Conſil.*339. *num.*9.

RESPONDEO, confitendo eſſe poſſibile tale Matrimonium; & ex quo ſimilia inconuenientia oriantur. Poterit Regina ignobili nubere? concedo. Ergo nubet? inficior: non enim eſt bona Dialectica, quæ procedit ex potentiâ, hacque remotâ, ad actum. Ceterùm, cùm vtrumque ſit poſſibile, imò illud minùs, magiſque poſſibile contrarium; debemus præſumere, Sereniſſimam quamlibet Feminam non niſi à Sereniſſimo ducendam eſſe, *l. Merito. ff. Pro ſocio.* Si aliter iudicares, non poſſes non dici temerarius; quoniam in re graui, ſeuerè, & hoc fragili aut nullo fundamento. Subſcribo doctiſſimo Anchar. *Conſil.*339. *num.*21. XXXVIII. *Illis occurritur.*

Sanè, ob metum rei rarò contingentis, non debuiſſet admitti vniuerſalis Feminarum excluſio, *text. in leg. Illud. verſ. Nec enim* (ibi: *Aut propter metum huius periculi ius ſuum relinquere.*) *ff. de Pet. hered. l. Quemadmodum. §.*1. *verſ. Planè. ff. Ad leg. Aquil.* (ibi: *Cùm incertum fuerit, an caperetur*, nempe vir ignobilis in Matrimonium.)

Dicis: Politicum regimen eò debet reſpicere, vt omnia eliminet inconuenientia periculaque perennitatis: igitur debet obuiàm ire huic periculo; ac perinde excludere Feminas à ſucceſſione. XXXIX. *Obiectio contra reſolutionem.*

Ad hæc dico, non excludi periculum, quantumlibet Feminæ excludantur. Cur non poterit contingere, quòd & Rex ignobilem Vxorem ducat, & ſanguinis fœdet claritatem? ergo & excludantur etiam viri? Prætereà, ſi non obeſt quò minùs Rex ducat ignobilem; & obeſt quòd Regina minùs nobili nubat; hoc periculum poterit tolli, quin mulieres tollantur? Ferantur leges de Reginarum Matrimonio: cur ferantur? ſunt ſanè latæ. Pelagij tempore condita fuit hæc lex: *Et illa* (nempe Femina Regni heres) *Magnatorum Gothorum prouidentiâ de nobilioribus Gothis accipiat virum.* *Leges ferendæ quæ?*

 Et

Et præcipuè in Luſitaniâ non præterierunt Comitia prima Lamegi celebrata, antequam Principum, quæ eſſent Regni heredes, decernerentur non ſolùm Matrimonia, ſed & illorum circumſtantiæ. Lex Connubialis hæc: *Si Rex Portugalliæ non habuerit maſculum, & habuerit Filiam, iſta erit Regina, poſtquam Rex fuerit mortuus, de iſto modo: Non accipiet virum niſi de Portugalle: nobilis & talis non vocabitur Rex, niſi poſtquàm habuerit de Reginâ Filium Varonem: & quando fuerit in congregatione maritus Reginæ, ibit in manu mancâ, & maritus non ponet in capite * Corona Regni. Sit iſta lex in ſempiternum, quòd prima Filia Regis accipiat maritum de Portugalle, vt non veniat Regnum* [a] *ad eſtraneos: & ſi* [b] *caſauerit cum Principe eſtraneo, non ſit Regina; quia nuſquam volumus noſtrum Regnum ire* [c] *for de Portugallenſibus, qui nos ſuâ virtute Reges fecerunt ſine adiutorio alieno, per ſuam fortitudinem, & cum ſanguine ſuo.* Talibus ergo legibus obuiàm it huic periculo; & non eſt opus Feminas tyrannicè excludere à propriâ hereditate.

* *Coronam.*

a Meliùs, *ad extraneos:*

b *Caſo, as, are*, verbum minùs Latinum, in vſu apud Hiſp. idem quod *Nubo, is, ere.*

c *for* idem quod *foras, extra.*

## OBIECTIO QVARTA.

XL. VIdebatur ſaltem excluſum iri à ſucceſſione Feminas, ſi eſſent in lineâ tranſuerſali affines & conſanguineæ vltimi Poſſeſſoris: quia ex legibus auitis Hiſpaniæ, exque perenni conſuetudine, admittuntur ad Regiam dignitatem illæ ſolùm quæ fuerint Filiæ vltimi Poſſeſſoris. Conſtat ex inſtrumento publico facto in Conimbricenſibus Comitijs: cuius Protocolon exſtat Conimbricæ, & autographon edebatur ab aliquibus contra Ducem Infantem Catharinam; in quo notaui hæc verba: *Môrmente, que de tal deuido como o dito Ioam Henriquez auia como dito Dom Ferrando, he da parte * das Molheres, que ſegundo cuſtume & leis de Heſpanha dos Filhos afora não pode ſoceder tal dignidade.* Latinè: *Maximè cùm talis affinitas, ſeu conſanguinitas, quæ intererat dicti Ioannis Henriquez, & D. Ferrandi, erat ex parte mulierum; quia ex conſuetudine & legibus Hiſpaniæ, qui non Filij,*

* Corrigo *da Mulher,*





*lij, nequeunt ſuccedere in tali dignitate.* Vel, ſi malis habere ex tranſlatione antiquâ, quæ eſt *in libr. 4. dos direitos Reais, fol. 1.* hæc clauſula texetur ſic: *Maximè cùm talis actinentia conſanguineitatis, qualis inter eoſdem, Joannem Henrici & Dominum Ferdinandum erat, ex femineo procederet ſexu; quia, ſecundùm bonam conſuetudinem Hiſpaniæ, in ſucceſſione talis dignitatis Hiſpaniæ non habet locum.* Ex quibus verbis adhuc liquidiùs conſtat, Feminas excludendas eſſe. Sanè littera Luſitana videtur excludere à ſucceſſione conſanguineas vltimi Poſſeſſoris, ſeueriùs Latina interpretatio videtur excludere etiam Filias; & hoc tam claris verbis, vt vix poſſint habere expoſitionem.

Tranſlator harum Legum hîc, ſicuti & alibi ſæpè, non eſt aſſecutus ſententiam Protocoli.

RESPONDEO, præmittens doctrinam neceſſariam, vt hæc lex à Luſitanis lata altiùs intelligatur. XLI. Multi dubitant, quinam ſint illi, Ferrandus & Ioannes; ſed dubio procul ille eſt Portugalliæ Rex, & ſui nominis primus, & veræ ac legitimæ lineæ vltimus. Is habuit Filiam cognomento Beatricem illegitimam, vt putant malè aliqui, vtque Marizius *dial. 3. c. 6. §. Houue el Rey* aſſerit, legitimam ex Reginâ Lianorâ. Hæc Beatrix nupſit Ioanni I. Caſtellæ Regi, vt diximus num. 14. Deuiuente Ferrando adſpirabat ad Regnum Beatrix, quà Ferrandi Filia, & declarata à populis legitima Regnorum heres: adſpirabat Ioannes Caſtellæ Rex, quà Beatricis Coniux. Congregantur Conimbricæ Luſitaniæ Status; & declarant primò, Beatricem non habere ius ad Regnum, vtpote quæ non ſeruauerit conditiones contractuum; & quamuis propter eamdem rationem Ioannes etiam excluderetur, exponitur alia ratio penitior, nempe eum non eſſe conſanguineum Regis Ferrandi, ſed ſolùm affinem ratione Vxoris, & ideò excludendum; quia, iuxta leges Hiſpaniæ, Filiæ poſſunt ſuccedere, non tamen illarum mariti: hoc ſonant illa verba, *que ſegundo cuſtume & leis de Heſpanha dos Filhos à fora não pode ſoceder tal dignidade.* videlicet; *quia ex conſuetudine & legibus Hiſpaniæ, qui non Filij* (hoc eſt Poſteri Regum) *nequeunt ſuccedere in tali digni-*

*Vtrùm Beatrix iuſtè fuerit excluſa; examino Libro 3. & 4.*

*Maritus Reginæ an Rex?*

*tate.* Filiorum nomine Filios, Filias, Nepotes & Gentiles quoſlibet intelligo, iuxta *l. Liberorum. verſ. Filij. ff. de Verborum ſignif. Gloſſ. in c.1. verb. Reuertitur. in fine. de Alienand. feud.* Gregorius Lopez *verb. Et ſus nietos. in l. 68. tit. 18. Part. 3.* Hoc clariùs liquet ex legibus Lamegi latis. Ibi celebrata ſunt Comitia Portugallenſium prima: in eis conceditur Filiæ Reginæ titulus, ſi defecerint maſculi heredes; non tamen Reginæ marito. Id iuris etiam in alijs Regnis conſeruatur. Philippus Rex Catholicus, Caroli V. filius, duxit Reginam Angliæ; non tamen à Britannis vocitabatur Rex, ſed Magiſter. Maria Stuard Regina Scotiæ nupſit primò Franciſco Regi Franciæ, ſecundò Henrico Stuard: hic tamen nec nomine nec Regis coronâ vti permittitur, nec ſedere apud Vxorem, ſed inter Regni Primores; ac ideò non Rex, ſed Reginæ maritus vocabatur. Ioanna II. Regina Siciliæ nupſit Iacobo Borbonio Comiti de la Marche, Filio Ioannis Comitis de la Marche & Catharinæ de Vendoma. In nuptiali contractu ſtatuitur, Iacobum non eſſe donandum Regis titulo, ſed nuncupandum Principem de Tarento. Conſummato Matrimonio, ambit audire Rex; ſed titulum obtinere non potuit: tandem, concitatis plurium inimicitijs, cogitur ad Galliam remeare. Hic mundo valedicens, qui non potuerat eſſe Rex politicus, fuit Rex theophilōs, quia, contempto ſæculo, Fratribus Minoritis in Biſuntino Monaſterio ſubiungitur, vt regnaret inibi; quia Deo ſeruire, regnare eſt.

## OBIECTIO QVINTA.

XLII. *Declaratio Pontificis.* ARgumentaris quintò ex verbis declarationis Pontificis Romani: is etenim, vt diffiniat Boloniæ Comitem Afonſum debere ſuccedere D. Sancio Fratri ſuo Luſitanorum Regi, vtitur doctrinâ capitis *Grandi.* Atqui in hoc capite expreſsè dicitur, *ſi abſque legitimo decederet Filio.* & prope finem, *vel ipſius legitimo Filio, ſi quem habuerit.* Habes integram Bullam ſuperiùs, nempe in hoc Lib. 5. Diſp. 1. art. 6. ratione 3. Ergo ex mente Pontificis erat Afonſus heres Regni, ſi Sancius deuiueret ſine Filio, quamuis haberet Filiam. Ratio eſt; quia verbum *Filius*, ſi ſumatur ſine extenſione in rigore ſummo, non comprehendit Filiam, *l. Cum adoptiuis. §. Quæ in Filio. C. de Adoption.* Ita & reſoluunt multi quos allegat Tiraquellus *de Retract. titul. 1. §. 1. gl. 9. num. 181.* item alij multi ex *regulâ comm. l. Cum Prætor. ff. de Iudic. c. Nonne de præſumptione.*



Confirmatur ex Teſtamento Regis Ioannis I. vbi reperio expreſſa verba: *Ou outro algum de meus Filhos per ſua direita ordenança.* nempe: *Aut aliquis alius ex meis Filijs per rectum ordinem*, vel, vt Genealogiſtæ dicunt, *lineam.* Per quæ verba admiſit dictus Rex Nepotes, & excluſit Iſabellam, quamuis Filiam legitimam.

RESPONDEO interrogans argumentantem, vtrùm in ipſius opinione, auctoritas illa Pontificis declarandi Regum Succeſſores, ſit infallibilis aut fallibilis quæpiam Doctoris diffinitio? Si dicat primum, non admitto talem Pontificis auctoritatem; quia is vltra res pertinentes ad Fidem nil poteſt diffinire. Si dicat ſecundum, ergo locutus eſt Pontifex ille vt Iuris conſultus Luſitani; vnde ergo conſtare poterit, eum in Luſitaniæ legibus verſatum fuiſſe? quòd ſi fuerit, nihil adhuc contra nos objiciunt, quàm Doctoris cuiuſpiam teſtimonium, quod illæſo iure poterimus vel admittere vel ire inficias. XLIII. *Pontificis infallibilitas in quibus?*

XLIV. Sed eſto. Potuerit Pontifex in rebus Politicis non iudicare modò, ſed & diffinire quaſi loquens ex cathedrâ; quid inde contra nos inſurget? Afonſus Boloniæ Comes, & Frater Sancij Luſitanorum Regis, declaratur in Monarchiâ Succeſſor, ſi ipſe Sancius ſine Filio legitimo decederet. Ibi illa vox *Filius* bifariàm poterit vſurpari; nempe Politicè, aut Grammaticè. In rigore Grammatico eſt generis maſculei, & non ſignificat feminam, ſed ſolummodò virum: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt textus & auctores citati. In rigore Politico, vox *Filius* ſignificat quamcumque prolem, ſeu

Ex c. Grãdi. *vox* Filius *comprehendit & maſculum & feminam.*

ſeu maſculam, ſiue femineam. Conſtat ex Iuris regulâ, *l. Qui duos. ff. de Leg.3.* vbi diſertis verbis dicitur: *Semper ſexus maſculinus femininum continet.* item *l. Si ita ſcriptum. ff. de Leg.2.* atque inibi Gloſſa, & omnes id Doctores adnotarunt. *l. Siquis ita dederit. ff. de Teſtam. tut.* Anchar. *Conſil.112. num.2.* cum alijs pluribus, quos allegauit Tiraquellus *de Ret. titul.1. §.1. gl.9. num.222. & 226. cum ſeqq.* & *n.205.* refert: citat multos Doctores, quorum eſt doctiſſima reſolutio, quòd in omnibus materijs *Filij* nomine debeat intelligi etiam Filia; ni aliunde conſtet, huius vocis *Filius* limitandam eſſe Politicam ſignificationem. Anchar. *Conſ.339. num.2.* Pinel *in l.3. num.3. C. de Bon. mat.* Antonius Gabriel *lib.6. Communium, tit. de Verb. ſignif. concl.6.* Aluarus Vaz *libr.1. q.41. n.2.* Menoch. *de Adipiſcend. rem.4. nu.61.* Burſatus *Conſ.64. à num.9. libri primi.* Idem probatur ex Ordinationis *libro 4. tit.63. §. Et ſendo.* vbi dicitur, *para hum Filho.* & pòſt, vbi: *Poderà nomear hum de ſeus Filhos, ou Filhas, qualquiſer.* Quam ad hoc ipſum demonſtrandum adduxerunt Pinel *vbi ſuprà,* Aluarus Vaz *d. n.2.*

XLV. *Rationi reſpondetur.* Ex hac igitur doctrinâ ad argumentum. Dico equidem, Pontificem locutum eſſe Politicè, non Grammaticè, atque ideò *Filij* nomine comprehendere quamcumque prolem.

Confirmationi eodem etiam modo fit ſatis; quia cùm Ioannes I. Luſitanorum Rex declarauit in ſuo Teſtamento, Regnum hoc ad Filios ſuos ſpectare, nomine *Filiorum* intellexit & Filias. Non enim fuit moribundi mens excludere Filias à Regno, ſed declarare Succeſſorem à Populo non eligendum atque creandum eſſe, dum ſuperfuerint ipſi Filij, hoc eſt poſteri maſculi, vel feminæ recto ordine generationis.

*Obiectio.* Dicis, hanc declarationem ita explicatam fuiſſe inutilem; quia iam antiquo iure Luſitaniæ Regnum deferebatur hereditario iure, ac perinde non erat opus hoc in Teſtamento explicari.

Quid? ſequitur hanc declarationem non fuiſſe neceſſariam? riam? eſto: non fuerit. quid ergo inde? plurima à Regibus aſſolent fieri, quibus nequidquam opus. Non ego Ioannis conſtituor propugnator: imò hæc auctoritas, quò magis inutilis, eò minùs me vrgebit aduerſaria. Reliquùm, non *Solutio.* poſſumus negare, fuiſſe non vtilem modò, ſed neceſſariam; quia cùm lex illa lata in primis Comitijs Afonſi Henriquez de iure hereditario terminata fuerit in Ferrando, & Ioannes iure electionis fuiſſet promotus ad dignitatem Regiam, poterat iuſtè inquiri, an poſt Ioannem alij deberent Reges hereditario iure, an potiùs electiuo ſuccedere? Vt igitur obuiàm huic iret controuerſiæ Ioannes, expoſuit, ſemper futurum eſſe Regem independenter ab electione populi *algum de ſeus Filhos per ſua direita ordenança.* videlicet, aliquem ex ſuis Filijs (puta maſc. vel fem.) per lineam generationis rectam.



## OBIECTIO SEXTA.

ORdinat. *libr.2. titulo 17. §.1. & 4.* decernit, ne Feminæ ſuccedant in bonis Coronæ; ergo à fortiori, ne in ipſâ Coronâ. Probo Conſequentiam; quia membra debent parificari Capiti, *c. Cùm non liceat. de Præſcript.* Paulus Caſtr. *Conſ.164.* Abbas, & alij multi, quos recenſet Antonius Corduba *l. Siquis à liberis. §. Idem reſcript. ſit. n.136. ff. Lib. agnoſ.* Molina *libr.1. c.2. num.16.* Palaez *d. 2. p. q.6. n.3.* Burgos *Conſ.9. n.3. prope finem, & in Conſ.29. n.2. lib.1.* Ergo ſi lege Regni expreſsâ Feminæ à bonis Coronæ ſunt excluſæ, inconſequens is erit qui admiſerit illas ad Coronam. XLVI. *Argumentum à fortiori.*

RESPONDEO, aliud eſſe membra parificari Capiti, aliud Caput membris. Primum eſt iuſtiſſimum; & decernitur à Paulo de Caſtro *Conſ.164.* Secundum eſſet iniuſtiſſimum, &, ſi fieret, temeraretur ipſa Ratio: iuxta plurium Iuriſconſultorum ſententiam, nuſquam ius Regium pendere à iure Maioratuum particulari; atque ideò, qualecumque in Regno ſit Maioratuum ius, ſi nulla ſit lex de ſucceſſione Re- XLVII. *Satisfit.*

giâ, huius ius non à Maioratuum iure, ſed à iure communi eſſe petendum. E contrà autem, datis legibus de ſucceſſione Regum, & deficientibus de ſucceſſione alicuius Maioratus, ſucceſſio in illo Maioratu debet eſſe ſimilis non iuri communi, ſed iuri Regio; nempe illi vnicè, quod decernit ac determinat heredes illius Regni, vbi conſtituitur Maioratus huiuſmodi.

XLVIII. Ideò ad argumentum admitto Antecedens, & Conſequentiam denego: non enim tenetur caput ſubeſſe iuri membrorum, ſed hæc tenentur ſubiacere legibus capitis, quando non excluduntur particulari iure.

XLIX. *Obiectio.* Obijcis: Membra tenentur eſſe ſimilia Capiti: atqui bona Coronæ politicè ſunt quædam Regni membra; ergo pariſiunt ipſi Coronæ tamquam Capiti. Atqui à bonis Coronæ mulieres excluduntur; ergo colligitur à poſteriori, etiam debere excludi ab ipsâmet Coronâ, quia aliàs non pariſierent.

L. *Satisfactio.* Solutio iſtius obiectionis eſt facilis, ſi retineatur verbulum, quo conſultò volui claudere §.48. quia membra Reipublicæ tenentur Capiti eſſe ſimilia in regimine, ni contrarium lege particulari decreuerit ipſummet Caput: atqui lege particulari decernitur, bona Coronæ non admittere Feminas; ergo non debent hæc bona, omiſſis proprijs legibus, leges Capitis (hæ ſunt de Succeſſione Regum) temerariè imitari.

## CONCLVSIO.

LI. CONcluditur ergo euidenter. Primò, Feminas poſſe ſuccedere in Regno Luſitaniæ, dummodò non præponantur viris.

Secundò, Chriſtianiſſimam Galliæ Reginam, quà Feminam, non iri excluſum à Regno Luſitanico.

QVÆ-



## QVÆSTIO II.

### *An eadem Regina Chriſtianiſſima propter aliquod impedimentum perſonale debeat excludi à Regno?*

FEminas admitti in ſucceſſione Regnorum Algarbici atque Luſitani iam vidimus. Leges de illis reperio latas, & dubito an hæc Galliæ Heroina propter aliquam perſonalem circumſtantiam (puta nationem, ſtatum, conditionem, &c.) ſit excludenda. LII.

Primò, videretur debere excludi ratione Matrimonij; quia in Comitijs illis celeberrimis, quorum leges atque inſtitutiones non ſemel fuit opus expendere, dicitur: *Etiam Filiæ Domini Regis ſunt de lumbis eius, & volumus eas intrare in Regno; & quòd fiant leges ſuper iſtud: & Epiſcopi & Nobiles fecerunt leges de iſto modo.* Audiueris. Diſertis verbis admittuntur Feminæ, non tamen abſolutè exleges; ſed ſub tenore iuris quod ſequitur: *Si Rex Portugalliæ non habuerit maſculum, & habuerit Filiam, iſta erit Regina, poſtquam Rex fuerit mortuus, de iſto modo: Non accipiet virum niſi de Portugalle.* & ſeueriùs poſt vnam vel alteram lineam: *Si caſauerit* (hoc eſt *nupſerit*) *cum Principe eſtraneo, non ſit Regina.* Nec omittitur ratio. addunt: *Quia nuſquam volumus noſtrum Regnum ire for de Portugallenſibus.* Ex hac lege argumentaris ſic: LIII. *Vtrùm Regina Chriſtianiſſima excludi debeat ratione Mariti?*

Primò; Filia Regis, quæ extraneo nupſerit, nequit eſſe Regina: Catharina nupſit Regi Galliæ homini extraneo, cùm debuiſſet Luſitano nubere; ergo perdidit ius, ſi quod habuerat ad Regnum Luſitaniæ.

Secundò; Nullus poteſt ingredi in Regnum contra intentum legum & conſtitutionum illius Regni; imò legis finis ſi exprimatur, nullatenus contemni poteſt: atqui ſi Regina Galliæ ſuccederet in Regno Luſitaniæ, contemneretur expreſſus legum finis; ergo non poterit in hoc Regno



Chri-

Chriſtianiſſima Regina ſuccedere. Probatur Minor. Finis legum iſtarum eſt, *ne Regnum iret for de Portugallenſibus.* Ita loquuntur conditores. Atqui ſi ſuccederet Regina Galliȩ, iret for de Portugallenſibus: ergo ſi iſta ſuccederet, contemneretur & fraudaretur finis expreſſus legis. Probatur Minor. Iret Regnum ad Gallos; ergo for de Portugallenſibus.

LIV. Hæc duo argumenta non ſolùm excludunt Galliæ Reginam Catharinam, quà nuptam Gallo; ſed & Imperatricem Iſabellam, quà nuptam Carolo huius nominis V. Gandauenſi; ac perinde Regem Philippum Catholicum, iſtorum Filium: excludunt etiam Beatricem, quà ductam à Carolo Sabaudiæ Duce; ac propterea Ducem Emanuelem Philiſbertum, eorumdem Filium: excludunt quartò & Mariam Eduardi Filiam, ac D.Catharinæ Barganciæ Duciſſæ Sororem, quà nuptam Alexandro Farneſio Parmenſium Duci: tuentur vnicè ius D.Catharinæ quæ nupſerat Ioanni Luſitano, nempe Duci Barganciæ.

LV. *Quæſtionis reſolutio.* RESPONDEO, Chriſtianiſſimam Galliæ Reginam (& idem alijs dixero) non iri excluſum, quà nuptam peregrino & extraneo.

Nec contrà militat allatum teſtimonium ex iure Luſitaniæ; quia, vt teſtatur Brandão *libro Monarchiæ Luſit.* 10. *cap.*14. (quem ſuperiùs in ſimili quæſtione citaueram) verba harum legum non habent certam, ſed merè probabilem auctoritatem. Atqui probabilis opinio poterit & admitti, & explodi: ergo Comitiorum Lamegenſium hæ leges poterunt admitti, ſi proſint; & excludi, ſi officiant. Ergo à nemine condemnari poterimus, ſi probabilem legem allatam explodamus.

Prætereà, licet lex hæc admitteretur, in ſpecie nihil continet contra Reginam Franciæ: agit enim de conditionibus Feminæ, quæ ſuccederet defuncto Regi Patri, non Patruo. Et extenſio legum naſcitur ex probabili quadam coniecturâ; & ideò vti probabiliter aſſeritur, non ſecùs probabiliter etiam negatur.





Eſto attamen, eſſe euidens, latas fuiſſe leges in Comitijs illis Lamegenſibus; imò eſſe illarum autographon, quod editur in Brandãonis libro 13. cap.10. eſto etiam, legis textum agere non ſolùm de Regum Filiabus, ſed etiam de vltimi Regis Conſobrinis; adhuc non iudicem Galliæ Reginam propter iſtam rationem excludendam: quia hæc lex ante Ioannem deſierat, vel ſaltem ſub illo reuocatur. Vnde ſcio? LVI.

Numero 14. hoc eſt Quæſtionis præcedentis ſeptimâ probatione, exponitur, & iuratur in Comitijs publicis totius Regni Beatrix, Regis Ferrandi Filia, heres Coronæ Luſitanæ, licet nupta Ioanni Caſtellæ Regi. Ex hoc nouo iure ſic: Illud ius vetus vel tunc temporis vigebat, vel non: ſi non, ergo iam ante hæc Comitia deſierat, vt propoſui: ſi vigebat, ergo à nouo hoc iure reuocatur. Feminæ ergo à Ioannis primi tempore (quidquid de anterioribus fuerit) non excluduntur à Regno Luſitaniæ, quà nuptæ peregrinis; quod fuerat demonſtrandum. *Conſule n.14. vbi hæc vberiùs pertractantur.*

## CONCLVSIO.

HErculè ex dictis liquet, nec Chriſtianiſſimam Galliæ Reginam, ac perinde nec Imperatricem Iſabellam, nec Beatricem Ducem Sabaudiæ, nec Mariam Ducem Parmenſem, excludendas eſſe, quà nuptas peregrinis & extraneis. LVII.

Tempore Regis Ioannis III. agebatur in Curiâ de legibus Comitiorum Lamegenſium, quas vidiſti, nouâ latione confirmandis. Notat Brandão libro 10. cap.14. vbi aſſerit ſe vidiſſe curioſum tractatum, huic ſatisfacturum controuerſiæ. Dicitur fuiſſe impedimento ferendæ huic legi Regina D.Catharina, ne excluderetur à ſucceſſione D.Maria ſua Filia, quæ nupſerat tunc in Caſtellâ. Igitur, ſi impeditur ferenda lex, vt ſuccedat in Regno Luſitaniæ Maria nupta homini peregrino; certum eſt, dictam Mariam ex latis legibus non iri excluſum à tali ſucceſſione.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm Regina Galliæ Catharina iure ſanguinis debeat Henrico Regi Cardinali ſuccedere.*

LVIII. *De iure ſanguinis.* AMbiebant Galli Coronam Luſitaniæ, non tamen ſine titulo, quamuis ſine vero: Achilles illorum erat is: Regna Luſitaniæ deferuntur iure ſanguinis, non iure hereditario: vna Regina Chriſtianiſſima habet ius ſanguinis, reliqui Coronæ canditati habent hereditarium: ergo, excluſis reliquis, debet Galliæ Regina donari Coronâ Luſitanâ.

Iſtius ſyllogiſmi Maior nos vocat ad examen nouæ difficultatis, inquiſituros, vtrùm Luſitanorum territoria iure ſanguinis, an hereditario ad ſucceſſores transferantur.

Confuſionis eliminandæ cauſâ annotato, iure ſanguinis illum ſuffici, qui propinquior fuerit Inſtitutori Maioratus; hereditario tamen iure, illum qui propior vltimo Poſſeſſori. His igitur præmiſſis, ſit Concluſio:

## ARTICVLVS I.

### *Non deferri ad Poſteros iure ſanguinis Regna Algarbica, nec Luſitana.*

LIX. *Concluſio.* REgna illa omnia, in quibus non cognoſcitur Electio, ſed Succeſſio, deferuntur ad Poſteros hereditario iure, non tamen iure ſanguinis. Ita Oldradus *Conſil.*94.*num.*8. Abbas, & alij non pauci Doctores *in cap.Licet. de Voto.* Albericus, & aliquot citati à Tiraquello *de Iure primogen. q.*35. *num.* 3. *&* *q.*23. *n.*5. Antonius Gomezius *in Lege Tauri* 40. *n.*4. *&* *nu.* 72. *in princ.* Caſtillo *ibidem num.* 26. Boër. *deciſ.*204. *n.*41. Couarruuias *Pract.* 1. *n.* 4. *&* 7. Auendañus *de Exequend. mand. lib.* 1. *c.* 4. *in princ.* Conannus *libr.* 1. *c. vlt. num.*8. Emanoël da Coſta *de Succeſſione Regni pag.* 136. *& ſeqq.* Perez *ad Leg.* 1. *tit.* 2. *libr.* 5. Ordinationum *pag.* 120. *col.*2. Aluarus Vaz *d. q.* 50. *n.* 2. 6. *&* 12. Molina *libr.* 1. *c.* 8. *in princ.* vbi nonnullos adlegat, Ioannes Garcia *d. c.* 16. *num.* 31. qui omnes aſſerunt, hanc eſſe communem Doctorum omnium opinionem.



## PRIMA RATIO.

NE autem credas, homines tantos in controuerſiâ iſtâ ſtulteſcere, ſummatim fundamenta referam; ex quibus non potuerunt non ſubſcribere huic communi ſententiæ. Regna etenim iure hereditario, & non ſanguinis, ad poſteros delatum iri conſtat ex textu *in d. c. Licet. de Voto.* in quantum Innocentius III. aſſerit inibi, Filium vltimi Poſſeſſoris priuandum eſſe Regno, ſi non ſatisfecerit legatis & vltimæ voluntati Regis ſui Patris. Nam ex hoc teſtimonio inſtituitur analogiſmus ſic: Nullus priuari poterit re, quam nec habet iure, vel poſſeſſione: atqui Filius vltimi Regis dicitur priuandus eſſe Regno, ſi ſoluere contempſerit legata Patris; ergo Filius vltimi poſſeſſoris habet ius ad Regnum. Regna igitur deferuntur hereditario iure; quia ſi iure ſanguinis deferrentur, non haberet ius vltimi poſſeſſoris Filius, ſed Filius primi Inſtitutoris. Hunc diſcurſum robora ex text. *in Authent. Hoc amplius. C. de Fidei commiſſis. c. Si heredes. de Teſtam.* & ex *l. Ab eo. C. de Fidei commiſſis. l. Vnum ex familiâ. §.* 1. & in hac Peralta & Padilla, *ff. de Legibus.* 2. Hoc ſenſu intelligendum eſſe caput *Licet*, docent Molina *d. libr.* 1. *c.* 9. *num.* 4. 50. *&* 66. Ioannes Garcia *d. c.* 16. *à num.* 32. LX. *Filij Regum tenentur ſatiſfacere legatis Patris.*

Confirmatur. Sanè ius Regiæ ſucceſſionis antiquiſſimum eſt, atque merè politicum, gentileque (*l. Ex hoc iure. iunctâ gloſſ. ibi, verb. Condita. ff. de Iuſt. & iure.*) Atqui in gentium iure nullus alius ſucceſſionis modus antiquitus cognoſcebatur, quàm hereditarius, (*§. Ceterùm. ibi;* omni aliâ ſucceſſione incognitâ, *Inſt. de Leg. agn. ſucceſſ.*) ergo Regia ſucceſſio eſt merè hereditaria. Probatur Minor: quia ſucceſſio fidei commiſſaria, Maioratuum, Capellarum, atque vincu-

vinculatarum rerum defertur alio modo longè modernio-re, & pendet ab Inſtitutoris voluntate. Notatur *in l. Interdum. ff. de Condict. indeb. l. 5. §. De illo. ff. pro Socio. in rub. ff. de Acquir. hered. in l. 1. ff. de Acq. rerum domin. in princ. Inſt. de Fidei commiſſ. her.* Igitur Regnorum ſucceſſio, vtpote antiquior, eſt merè hereditaria.

## SECVNDA RATIO.

LXI. *Auctoritas Regum à populis.* Populi tranſpoſuerunt in Reges illos priores, atque eorum Filios & poſteros, omne ius quod habuerant; tranſtulerunt equidem, & ſine limitatione, aut aliquâ reſeruatione: ergo dederunt ipſiſſimis proprietatem patrimonij; ergo deferri debet ad poſteros hereditario iure. Conſtat legitimam eſſe illationem ex *l. 1. ff. de Conſt. princ.* (vbi: *Populus ei, & in eum.*)

## TERTIA RATIO.

LXII. Vel decernitur à legibus ſucceſsionis modus in Regno, vel non decernitur. Si non decernatur, cenſendi ſunt populi dediſſe primis illis Regibus ius proprietatis; ac perinde Regnum ad poſteros non niſi hereditario iure deferendum eſſe. Conſtat ex regulâ *l. Si duo. ff. de Acquir. her.* & ex doctrinâ Bartoli *in l. Heredes mei. §. Cùm ita. nu. 4. ff. ad Trebell.* quæ communis eſt ijs præcipuè Doctoribus, quos citat Pariſ. *Conſil. 89. num. 26. libr. 2.* Tiraquellus *de Retr. tit. 2. §. 1. gloſſ. 2. num. 14.* Soar. *Alleg. 2. num. 10.* Id ipſum colligitur ex textu *in cap. 1. in fine, Ex quibus cauſ. feud. amitt.* id etiam reſoluunt Iureconſultiſsimi *in cap. 1. de Succ. fratr.* & in alijs locis, quæ notat Couarruuias *Pract. c. 38. num. 13.* Iulius Clarus *verb. Feudum. q. 9. n. 6.* Rolandus *Conſil. 32. num. 28. libr. 3.* Franciſcus Burſatus *Conſil. 3. num. 4. lib. 1.* vbi addit, hanc eſſe communem opinionem. Quòd ſi de ſucceſsione fuerint in Comitijs legitimis leges aliquæ conditæ, hæ veniunt contemplandæ. Lege Rationem 10.

Sanè ſucceſsio in Regno Luſitaniæ non remanſit exlex; quia



quia in primis illis Comitijs celebratis Lamegi in Coronatione Afonſi Regis §. 3. iſta lego: *Viuat Dominus Rex Afonſus, & habeat Regnum. Si habuerit Filios Varones, viuant, & habeant Regnum; ita vt non ſit neceſſe facere illos de nouo Reges. Ibunt de iſto modo: Pater ſi habuerit Regnum; cùm fuerit mortuus, Filius habeat, poſteà Nepos, poſteà Filius Nepotis, & poſteà * Filios Filiorum in ſæcula ſæculorum per ſemper.* *An non, *Filij Filiorum?*

Illis verbis, *ita vt non ſit neceſſe facere illos de nouo Reges,* excluditur ius electionis; illis vltimis inſtituitur hereditarium, iuſq; excluditur ſanguinis, vt clarè colligitur ex litterâ.

## QVARTA RATIO.

Populi prouident ſuæ conſeruationi: atqui nullo aptiùs potuiſſent modo conſeruari, quàm ſucceſſione hereditariâ; ergo, ni contrarium aliunde expreſsè conſtiterit, cenſendi ſunt hanc inſtituiſſe. Probatur Minor. Quia diligentiore curâ tuemur, defendimus & propugnamus propria, quàm aliena. Ex hoc motiuo ſubſcribit noſtræ ſententiæ Andreas de Iſernia *in rubr. Quæ ſint Reg.* & poſt eum Soar. *in Quæſt. maioricatus, n. 2.* & alij *ex regulâ in c. Cùm inferior. de maior. & obed. Clem. Ne Romani. de elect.* Regnum igitur Luſitaniæ non poteſt non deferri ad poſteros hereditario iure. LXIII. *Quid reſpiciat populus in electione Regum.*

## QVINTA RATIO.

Non eſt minùs efficax argumentatio à poſteriori, illâ quæ eſt à priori. Æquè demonſtrabitur pegaſum non eſſe hominem, ex eo quòd non ſit rationalis; hoc eſt à priori; atque à poſteriori, nempe ex eo quòd non fuerit riſibilis: quia cui non competit eſſentiæ proprietas, nec ipſa competere poteſt eſſentia. Inde ego: Atqui ſunt proprietates in ſucceſſione Regiâ præcipuè Luſitanæ, quæ non poſſunt conſiſtere cum iure ſanguinis, quæ nequeunt non coëxiſtere cum iure hereditario: ergo ſucceſſio eſt non ſecundùm ius ſanguinis, ſed ſecundùm ius hereditatis. Minorem probo. Non potuiſſet Regina Chriſtianiſſima, mortuo LXIV. *Demonſtratio à poſteriori etiam efficaciſſima.*

tuo Rege Henrico vltimo poſſeſſore, cedere hereditati, & nihiloſeciùs conſeruare ius ad Regnum; ergo inde liquet, ſucceſſionem imbibere ius hereditarium, vtpote quæ nequeunt ſeparari. Minor conſtat ex Oldrado *dicti Conſ.* 94. *num.* 15. *in fine*, ex Alberico, & Anchar, quos refert & ſequitur Emanoël da Coſta *dicto loco pag.* 137. *verſ. Hinc.* Conſule *l.* 1. *l.* 2. *l. Si ſolus. in princ. ff. de Acquirendâ hereditate. l. Quidam elogio. C. de Iur. debil.* Iuuant declarationes Iaſ. *in l.* 1. *n.* 12. *C. Quando non petent.* Gagnoli *n.* 4. *in l. Ius noſtrum. ff. de Rep. Iur.* Lorioti *de Additione axiom.* 8. *& ſeqq.* Maranci *in rep. l. Is poteſt. à nu.* 18. *ff. de Acq. hered.* Gomez *Tom.* 1. *c.* 12. *n.* 33. Quòd ſi hoc Regnum deferretur iure ſanguinis, poſſet Franciæ Regina (& idem dixero de quouis Regni Candidato) cedere hereditati, hoc eſt, repudiare quidquid ei competeret ab Henrico titulo heredis, & nihilominùs adſpirare ad Regnum. Text. *in l. Si operarum.* (ibi: *Licet heres non exiſtat.*) *ff. Oper. lib.* Ita reſoluunt Bartolus atque Doctores alij *in l. Quod dicitur. ff. de Verborum ſignif.* & *in l. Vt Iuris iurandi. §. Si liberi. n.* 4. *ff. de Oper. lib.* Gregorius Lopez *in l.* 4. *Schol.* 1. *tit.* 15. *Part.* 2. Prætereà hæc eſſe communis opinio cenſetur à Couarruuiâ, & alijs, quos refert *libr.* 2. *Reſol. c.* 18. *num.* 2. *verſ. Quinto.* Hæc pertractat vberiùs Molina *libr.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. *& ſeqq.*

## SEXTA RATIO.

LXV. *Poſſunt exheredari filij Regum.* POteſt vltimus poſſeſſor exheredare Filium ſuum à ſucceſſione Regni, ſi dentur cauſſæ competentes, iuxta decretum Iuris *in auth. Vt cùm de appellatione cognoſcitur. § Cauſſas. coll.* 8. Notarunt hoc iure-conſultiſſimi aliquot *in dicto capite Licet.* interque eos Oldradus, Mart. Laud. Hanc opinionem vocant communem & receptiſſimam Emanoël da Coſta *vbi ſuprà pag.* 149. Antonius Gomez *l.* 40. *Tauri, n.* 71. & multi, qui referuntur à Molinâ *dict. libr.* 1. *c.* 9. *num.* 1. Ioannes Garcia *dict. c.* 16. *num.* 27. *&* 31. imò aliquando de facto exheredarunt. *Vide infrà num.* 69.

Atqui



Atqui vltimus poſſeſſor non poteſt Filium exheredare ab ijs rebus quæ deferuntur iure ſanguinis. Arguitur *ex d. l.* 3. *ff. de Interd. l. Si arrogator. verſ. pen. ff. de Adoption. d. l. Coheredi. § Cùm Filiæ. verſ. Nec fidei commiſſo. text. Optimus. in l. Filiusfam. § Cùm Pater. ff. de Legat.* 1. (ibi, *poſſe exheredatos petere fidei commiſſum*) ex quibus hanc habuere ſententiam Philippus Corn. & alij, quos citat & ſequitur Emanoël da Coſta iam relatus *pag.* 152. & poſt alios innumeros, Molina *dicti libri primi cap.* 9. *num.* 2. & aliquot apud Pinel, qui & apud Aluarum Vaz, *de Iure emph. l.* 1. *q.* 45. *coll.* 3. *&* 4. Ex his principijs ſeueritati ſtudens Logicæ argumentor ſic:

Nullus poterit exheredare Filium ſuum ab ijs quæ habiturus eſt iure ſanguinis. Rex vltimus poſſeſſor poterat exheredare Filium à ſucceſſione in Regno Luſitaniæ: hæc igitur Regni ſucceſſio fit ſecundùm ius hereditarium. Conſequentia eſt legitima: atque Præmiſſas iam probaui.

## RATIO SEPTIMA.

SVcceſſor Regni non poteſt facere contractum aliquem de Regno, ſine conſenſu ſuperuiuentis Regis: atqui hæc eſt proprietas hereditariæ ſucceſſionis; ſucceſſio igitur Regia non eſt niſi hereditaria. Maior eſt expreſſa Baldi *in d. Auth. Hoc amplius. num.* 10. *C. de Fidei commiſſis.* quem refert Antonius Gomez *d. l.* 40. *Taur. nu.* 70. *in fine.* ſequuntur Emanoël da Coſta *d. loco, pag.* 139. Ioannes Garcia *vbi ſuprà num.* 31. & aliqui alij, qui apud Tiraquellum *de Iure primog. q.* 29. *n.* 3. *& ſeqq.* Burgos *in Proœmio ad Leg. Tauri, num.* 98. Minor autem, quæ aſſerebat non poſſe talem contractum inſtitui ſine licentiâ vltimi poſſeſſoris, in ijs omnibus quæ deferuntur ad poſteros iure hereditario; poſſe autem in ijs quæ deferuntur iure ſanguinis; liquet *ex l. vlt. C. de Pact.* Eſtque ſententia communis, vt notat Angelus *in l. Stipulatio hoc modo. ff. de Verborum ſignif.* quem ſequuntur quamplurimi, quos eſſet ſuperuacaneum recenſere; cùm eorum ſe iam olim muniuerint auctoritate Tiraquellus *vbi* LXVI. *Contractus de coronâ.*



*ſuprà*

*ſuprà num.*1. & 2. nec non Molina *libr.*3. *c.*2. *num.*22. & ante eos Burgos *dict. num.*98.

Septima atque ſexta ratio fuerunt confirmationes quintæ, aſſerentis plurima eſſe Regiæ ſucceſſionis attributa, quæ indigitarent characteriſticos ius hereditarium, & repugnarent iuri ſanguinis. Adhuc poſſem recenſere ſimiles eiuſdem proprietates cum ſanguinis iure incompoſſibiles, quas prætermitto ſtudens breuitati: interim curioſus Lector non omittat legere Emanoëlis da Coſta *paginam* 137. Soarij *allegationem* 10. *num.*3. Ioannis Garciæ *d. caput* 16. *n.*30. *col.*2.

## RATIO OCTAVA.

LXVII. Conſtat hæc eadem veritas ex legibus quæ dicuntur *de las Partidas*, quæ vigent in ſummâ auctoritate. *l.* 8. *tit.*1. *Part.*2. lego de Hiſpaniæ prouincijs: *Las pueden dexar à ſus herederos, por que han el ſeñorío por heredad.* nempe: *Eas poſſunt legare atque relinquere ſuis heredibus, quia habent illarum poſſeſſionem non niſi iure hereditario.*

*Lege* 18. *eiuſdem tit.*1. *Part.*2. dicuntur Regna Hiſpaniæ deferri ad poſteros *por heredamiento*, hoc eſt, *hereditario iure.*

Et *l.*2. *tit.*15. *Part.*2. decernitur, *que el Señorío del Reyno heredaſſen ſiempre.* videlicet, *poſſeſſionem Regni ſemper hereditario iure ad poſteros deferendam eſſe.* Et ibi dicitur de quopiam, feciſſe neſcio quid *antes que heredaſſe*, hoc eſt, *antè quàm acciperet Regiæ hereditatis poſſeſſionem.* Et, vt ibidem decernitur, *el Hijo mayor a de heredâr.* id eſt, *in Hiſpaniæ Regnis eſt heres vltimi poſſeſſoris Filius maior.*

Non aliter *l.*4. *eiuſdem tit.* lego: *Pagar ſus deudas, y cumplir ſus mandas, * * quien hereda, * * pues que fica en ſu lugar, y hereda ſus bienes. Regni ſucceſſorem teneri facere ſatis debitis & legatis anteceſſoris Regis; quia eſt ipſius heres, remanet in alterius loco, & hereditario iure poſſidet bona prædeceſſoris.*

Iſtæ leges tam expreſsè aſſerunt, Regna Hiſpaniæ deferri ad poſteros titulo hereditatis, vt nullus audeat reluctari. His ſanè conuicti teſtimonijs, meam ſententiam propugnant



gnant etiam Couarruuias *Pract. d. c.*1. *num.*7. Emanoël da Coſta *vbi ſuprà pag.*141. *verſ. Mihi autem.* & *pag.* 165. *verſ. Vnde infero.* Ioannes Garcia *d. c.*16. *n.*20. *cum ſeqq.* & *n.*30.

## RATIO NONA.

LXVIII. *Teſtamenta.* Conſtat hæc eadem doctrina ex inſtrumentis vltimæ voluntatis, autographiſque Teſtamentis, factis à diuerſis Hiſpaniæ Regibus in diuerſis ſæculis: quæ omnia eò tendunt, vt demonſtrent, hæc Regna tranſire ad poſteros non niſi iure hereditario.

*Fernandi,* Certè, vt alia omittam, Caſtellæ Rex Fernandus I. diuidens ſua Regna, & Status, legauit in Teſtamento ſuo Alfonſo Legionem, Caſtellam Sancio, Garciæ Gallæciam & Portugalliam donatas auctoritate Regiâ. Garibayus *libr.* 11. *c.*9. & 34. *c.*4. *pag. mihi* 773. Ioannes de Rojas *in Epitom. ſucceſſ. c.* 5. *num.* 30. Brandão *Monarch. Luſit. l.* 10. *c.* 6. Ioannes Garcia *d. c.* 16. *num.* 20.

*Alfonſi VI.* Non ſecùs Rex D. Alfonſus VI. diuiſit hæc Regna inter ſuas Filias. *d. libr.* 11. *cap.* 22. notauit Garibayus.

*Alfonſi VIII.* Sic etiam Dominus Alfonſus VIII. bipertitus eſt eadem Regna, vt partem legaret D. Sancio, & reliquam D. Fernando. Recenſet Garibayus *l.* 12. *c.* 4. & notat Iaſ. *in Auth. Sacramenta puberum. num.*69. *C. Si aduerſus vend.* & Rojas *dict. c.* 5. *num.* 30.

*Iaimi,* Rex etiam Iaimus, cui præclaræ victoriæ impertitæ ſunt Subiugatoris titulum auguſtè-militarem, diuiſit ſua Regna, & hoc non ſemel, vt nullus ex ipſius Filijs exheres & pauper remaneret. Curita *libr.* 8. *cap.*43. *cap.*46. *atque* 52.

LXIX. *Alfonſi Sapientis,* Præterea Alfonſus ille (qui non ſolùm iura dixit Caſtellanis, ſed & pluſquam homo auſus eſt indicere leges ſideribus; in eo felicior, quòd hæc per longa ſæcula legibus eius obedirent, & ipſius nomen æternùm-perilluſtre facerent) exheredauit Infantem D. Sancium, ne ſuccederet ipſi in ijs Regnis, exponens cauſſas motrices, quibus vrgebatur, vt contra Filium ſuum tam rigidam ſententiam ferret, vt conſtat



ſtat

ſtat ex eiuſdem Regis Teſtamento, quod reperietur apud Ioannem Garciam *vbi ſuprà num.* 25. & expreſſiùs in Alfonſi Chronico *cap. vltimo:* cuius & meminit diligentiſſimus noſter Garibayus *libr.* 13. *cap.* 16.

*Henrici tertij.* Legitur etiam apud varios auctores, Caſtellæ Regem Henricum III. inſtituiſſe in ſuo Teſtamento heredem D. Ioannem Filium, imponentem ipſi grauamina non pauca atque fidei commiſſa; repetendo ſæpè heredis nomen, vt conſtat ex eiuſdem Teſtamenti exemplari; quod exſtat in Chronico D. Ioannis II. Caſtellæ Regis *in princ. ann.* 6. *cap.* 20.

Sufficiat hæc Teſtamenta coniunxiſſe; quia nec dubitem, in aliorum etiam Regum codicillis & vltimæ voluntatis inſtrumentis repertum iri plurima, quæ confirment ſucceſſionis hereditariæ titulos.

Reliquùm, ex ijs conſtat, Reges Hiſpaniæ poſſe Regna diuidere, Filios exheredare, grauamina imponere, atque fidei inſtituere commiſſa; ergo hæc Regna deferuntur hereditario iure. Patet Conſequentia; quia aliàs ſimilia Hiſpaniæ Regibus nullatenus permitterentur; quia eſſent ex diametro contraria iuri ſanguinis. *dict. l. Vnum ex familiâ. §. Si Falcidia. l. Inter liberos. C. Familiæ hercis. auth. Vt cùm de appell. cognoſ. §. Aliud. & §. Cauſas. coll.* 9. conſtat ex omnibus titulis *ff. de Hered. inſti. & de vulg. & pupill. ſubſt.* iunctâ *l. Ab eo. C. de Fidei commiſſis, cum vulg.*

## RATIO DECIMA.

LXX. Licet iſta omnia exempla, autographa, Teſtamenta, & hiſtoriæ non ſolùm probent Caſtellæ ius hereditarium, ſed & totius Hiſpaniæ; ac propterea etiam illuſtris Luſitaniæ; nihiloſeciùs placet agere penitiùs & ſingulariùs de Regnis Algarbico atque Luſitano.

Conſtat igitur, hæc Regna verè transferri ad poſteros iure hereditario, ex ijs quæ expendimus ſuprà *Ratione* 3. *n.* 62. ſed & nunc illam roborabo. Poſtquam Regni Status tulerunt



runt leges de iure ſucceſſionis Regni, quæ recenſentur *n.* 3. *ad* 8. immediatè *num.* 9. dicitur: *Iſtæ ſunt leges de hereditate Regni: & legit eas Albertus Cancellarius Domini Regis ad omnes; & dixerunt: Iuſtæ ſunt, volumus eas per nos, & per ſemen noſtrum poſt nos.*

Etiam ex Bullâ Alexandri Romani Pontificis, huius nominis Tertij, qui confirmat, quà poteſt, Regnum Portugalliæ, & declarat hoc eſſe à populis inſtitutum in hereditariam Succeſſionem; ideò ait: *Afonſo Illuſtri Portugallenſium Regi, eiuſq; heredibus.* & pòſt, *præfatis heredibus.* & mox, *perſonam tuam, & heredum tuorum.*

Ante Alexandrum etiam Innocentius II. declarauerat, hæc Regna iure hereditatis ad poſteros ventura eſſe; in Bullâ, quam legi apud Brandãonem *l.* 10. *Monarch. Luſ. c.* 10. & Britum *in Chronic. Ciſt. l.* 3. *c.* 4. *&* 5. & Licent. Gaſparem Alures Louſada. Pontificis Bulla ſic incipit: *Innocentius Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, Illuſtriſſimo Regi Portugalliæ eiuſq; heredibus & ſucceſſoribus in perpetuum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* & pòſt, *hæc ipſa præfatis heredibus.*

Poſt vtrumque Innocentius III. apud Baronium *Tom.* 12. *ad ann.* 1179. *num.* 16. ait in quopiam conceſſo priuilegio: LXXI. *Ceterùm, cùm idem Pater tuus (nempe Afonſus Henriquez) vſque ad tempora felicis memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri, Ducis eſſet nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, vt tam ipſe quàm eius heredes Regio nomine vocarentur.* Noto illud nomen *heredes*. Notant multi illud nomen *Ducis*, quod contra veritatem; ideò hanc ſcripturam iudicant eſſe ſuſpectæ auctoritatis, tum quia Afonſus Henriquez nuſquam alibi legitur fuiſſe Luſitanorum Dux, tum etiam quia ante Alexandrum Rex à populis, imò & à Pontifice Maximo Innocentio II. acclamabatur. Eſto, ſit hoc inſtrumentum ambiguæ auctoritatis; alia magis authentica & certa examinemus.

In Alcobaciæ Archiuo, rariſſimis inſtrumentis autographiſque

phiſque innumeris diuite, exſtat Protocolon cuiuſpiam donationis, pendendiq́ue tributi, quo Rex Afonſus I. obligatur tribuere annuatim quinquaginta marabitinos aureos Eccleſiæ Claræ-uallenſi. Huius inſtrumenti copia à diligentiſſimo D. Brandão *in ſuæ Monarch. Luſit. libr.*10. *duodecimo capite* publicabatur; exq́ue eo ad nos attinent ſolùm hæc verba: *Conſtituo, & conſtituta fore decerno, ordinando, & mandando omnibus & ſingulis ſucceſſoribus meis, in hereditatem huius Regni legitimè intrantibus*, &c. Ecce Regnum vocat hereditatem.

*Regnum Portugalliæ Eccleſiæ Claræ-uallenſis feudum.* Vide huius quinti Libri Diſp. 2.

LXXII. In Chronico D. Fernandi c.146. legitur etiam hoc verbum, *la herança de Portugal:* videlicet *hereditas Luſitaniæ.*

Præterea in Comitijs Conimbricenſibus, in quibus creatur Ioannes I. Luſitaniæ Rex; quorum acta perſtant in Turre *do Tombo*, nempe *dict. libr.*4. *dos Dereitos Reais, à fol.*1. expreſſa reperies iſta verba: *Qui ea* (puta *Regna Portugalliæ*) *poſſet & deberet iure hereditario habere.* & pòſt: *Talem, qui iure hereditario poſſet Regna ipſa habere.*

*Epiſtola Alfonſi Sapientis.*

Præſentabatur à Procuratoribus Infantis Duciſſæ Catharinæ Epiſtola D. Alfonſi Sapientis Caſtellæ Regis ad D. Afonſum III. Luſitaniæ Regem: quam curioſè perlegi, adnotans hæc verba hanc veritatem confirmantia. Ait Caſtellanus Luſitano: *Vueſtros Hijos, y vueſtros herederos.* & pòſt, *ni vueſtros Hijos, ni vueſtros herederos.* Ergo Alfonſus Sapiens cognoſcebat heredes in Regno Luſitaniæ. Reperietur in Turris *do Tombo* iam dictæ *libro* 1. *da Letura do Rey Dom Afonſo III. fol.*88.

*Bulla Bonifacij.*

LXXIII. Id ipſum demonſtratur ex Bullâ Sanctiſſimi Papæ Bonifacij: vbi, *recipere teneri* legitur, *& obtinere, & ad heredes & ſucceſſores tuos legitimos.* & paulò inferiùs: *Ipſiq́ue heredes & ſucceſſores tui in eiſdem Regnis.*

*Ioannis I. Teſtamentum.*

In eâdem Turre *do Tombo lib.*4. *dos Dereitos Reais, fol.*70. exſtat hodie Teſtamentum Regis Ioannis I. in quo legi: *O Infante Duarte meu Filho Primogenito, & heredeiro.* ſcilicet, *Infans Eduardus meus Filius Primogenitus, & meus heres.*





*Epiſtola Afonſi V.*

In eodem *libro* 4. *dos Dereitos Reais, fol.*33. occurrit Epiſtola Regis Afonſi V. vbi diſertis verbis: *Herde (N) os ditos meus Reynos de Portugal, & dos Algarues.* Latinè: *Heres ſit (N) in dictis meis Regnis, Luſitano & Algarbico.* & pòſt: *Herdeiro dos ditos Reynos de Portugal, & dos Algarues.* nempe, *Heres Regnorum, quæ recenſuimus, ſcilicet Algarbiæ & Luſitaniæ.* & mox: *Por verdadero herdeiro dos meus Reynos de Portugal, & dos Algarues.* Latinè: *Quà legitimus heres meorum Regnorum, quæ ſunt Luſitaniæ & Algarbiæ.* Et hæc vox *heres*, aut æquiualens, ſæpiùs occurrit legenti vlteriùs eaſdem litteras.

Hæc eadem veritas demonſtratur ex Ordinationum *libro* 2. *tit.*37. §.4. ibi expreſſo nomine dicitur, *Principe herdeiro*; hoc eſt, *Princeps heres.*

Ex his igitur Romanorum Pontificum Regumq́ue Luſitaniæ teſtimonijs conſtat liquidò, Regna hæc, quorum ius ſub lite, deferri ad poſteros non iure ſanguinis, ſed hereditatis. LXXIV.

*Declarationes Regum quantam habeant auctoritatem.*

Petis primò, quantam vim habeant Regiæ huiuſcemodi declarationes? Reſpondeo, habere ſpeculatiuam & practicam, vtramque ſummam. Sanè ſpeculatiuam; quia nullus Doctor poterit in Orbe reperiri, qui teneatur penitiùs percallere Luſitanorum iura & leges, quàm ipſe Rex, atque Regni Concilia; ergo quæcumque vel ab illo vel ab his edantur, habent in genere ſpeculatiuo auctoritatem ſummam, maiorem ſanè quàm potuiſſet obtinere Baldus, Bartolus, & plures alij vtriuſque Iuris conſultiſſimi. Ceterùm, Regiæ declarationes habent etiam auctoritatem practicam, hoc eſt vim legum; & ideò ſunt ſufficientes derogare & reuocare antiquas, & inducere nouas, maximè ſi fiant in Comitijs aut alijs debitis ſolemnitatibus.

*Pontificum expoſitiones quanti faciendæ.*

Petis ſecundò, quantam vim habeant illæ Pontificum auctoritates ad noſtram ſententiam confirmandam? Eâdem diſtinctione difficultati ſatisfit. In ſucceſſione Regni Luſitaniæ Pontifex habet nullam practicam auctoritatem;

non enim poterit alterare ſucceſſionis auitas regulas, nec determinare Succeſſorem alium ab illo quem determinat ius Luſitanicum; nihiloſeciùs auctoritatem ſpeculatiuè diffinitiuam habet, atque ideò quaſi Doctor & Sapiens ſuam ſententiam conſultus refert, non ſanè infallibilem, ſed eò certiorem & ſecuriorem, quò ipſe fuerit & veracior & doctior. Cumque doctrina & virtus in Pontifice ſemper eſſe credantur, hinc eſt, quòd in ſimilibus quæſtionibus ipſe habeat humanam equidem, ſed maximam auctoritatem; ita vt eius fortè non ſit poſtponenda Bartoli aut Baldi; nihilominùs ſpeculatiuam.

### RATIO VLTIMA.

LXXV. RESTAT adhuc probatio efficaciſſima, quamuis à poſteriori. Argumentor ſic: Conſuetudinis virtus in Iure vtroque eſt maxima. Sufficit derogare & annullare leges veteres, exponere dubias, atque habere vim nouæ, *l. Si de interpretatione. ff. de Legibus. c. Cùm dilectus. de Conſuetud. Ordin. libr.2. tit.5. §.1. l. Semper in ſtipulationibus. l. In obſcuris. ff. de Reg. iuris. l. Nummis. ff. Leg.3.* Bartolus *nu.7. per text. ibi in l. Caius. ff. Sol. mat.* & multi alij, quos citat Molina *d. libr.1. c.3. à num.2.* Confirmaturque *ex l. Qui ſemiſſes. in fine (ibi,* idque ex conſuetudine mandantis*) ff. de Vſur. l. Vel vniuerſorum. vbi gloſſ. ff. de Pignorat. actione. iunctâ l. De quibus. ff. de Legibus.* Conſuetudinis virtutem hanc cognouerunt & declararunt Oldradus, ſi benè intelligatur; quia non ſine huius auctoris iniuriâ citatur pro contrariâ parte: eum pro noſtrâ ſententiâ citat Soar. *alleg.10. num.3.* In hac certiſſimâ reſolutione ſequor Baldum *in c.1. de Feudo March.* Ioannem le Cerier *libr.3. de Primogenit. q.2. n.7.* Emanoëlem da Coſta *vbi ſuprà pag.150.* Soar. ſuprà citatum, Antonium Queſadam *in Tract. diuerſar. quæſtionum c.32. num.10.* Couarruuiam *dict. c.1. num.7.* & Ioannem Garcia *d. c.16. num.16. num. 30.* omneſque ex varijs motiuis, ſed præcipuè ex text. *in l. Sancimus. C. de Teſtamentis. l. Præcipimus. C. de Appellat. & d. c. Grandi. (vbi,* iure Regni ſuccederet.) Hinc rationi efficacia. Analogizo:



Conſuetudo eſt potiſſima lex: ex conſuetudine auitâ in Luſitaniæ ſucceſſione ſemper eſt conſeruatum ius hereditarium, nuſquam ius ſanguinis; ergo Portugalliæ Regnum non niſi hereditario iure debet venire ad poſteros. Probatur Minor; quia ab Afonſo Henriquez ad D. Regem Cardinalem incluſiuè fuerunt Reges ſeptemdecim: è quibus ſolus Ioannes I. eligitur; & reliqui iure hereditario ſuis ſuccedunt Patribus. Solùm eligitur Ioannes I? Solùm: quia Afonſus I. auctoritatem politicè ſupremam ac Luſitaniæ poſſeſſionem habuit hereditario iure, ſuccedens in his prouincijs Comiti Henrico & Tareiæ, ſuis Parentibus; à populis autem ſolummodò accepit Regis auctoritatem. Ioannes autem à populis eligitur, quia obierat Ferrandus ſine heredibus, iuxta ipſorum ſententiam; & ideò fuerat integrum populis eligere ſibi Monarcham.

*Conſuetudo potiſſima lex.*

Hæc Regna deferri ad poſteros hereditatis & non ſanguinis iure, probo inferiùs Diſp.5. num.7.

## ARTICVLVS II.

### *Argumenta aliquot obiecta diſſoluuntur.*

HÆc veritas fuerat in opinione plurium per ſe nota; LXXVI.
& rationibus ijs confirmata, redditur & clarior & notior; fortior equidem, vt ſe propugnet, & diluat Gallorum obiectiones: quæ non ſine acumine pro Franciæ Reginâ contra reliquos Luſitanicæ Coronæ Candidatos frequèns explodebantur. Sanè inter illas, quibus hereditarium ius eliminare nitebantur, has iudicaui ſolidiores, atque ideò ſatisfactione dignas; ex quarum notitiâ ſolutio pendeat reliquarum.

### OBIECTIO PRIMA.

TEmeritatis index eſt quæcumque exorbitantia. Sanè LXXVII.
exorbitat ille, qui à communi Doctorum ſententiâ præcipitem defectionem facit: non ergo debemus valedicere

*Exorbitantia temeritatis index.*



cere

cere probatiſſimis Iureconſultis, vt noſtra ſenſa propugnemus. Herculè, Regna deferri ad poſteros hereditario iure, eſt quid nouum; deferri iure ſanguinis, eſt communis opinio, quam inter alios innumeros tuentur Ioannes *inter Conſilia Oldradi Conſil.224. col.7.* & alij, quos citant Tiraquellus *de Iure primogen. q.35. num.2.* Molina *libr.1. c.8. num.9. verſ. Ex qq. & latiùs libr.3. c.6. num.2.* Palaez *vbi ſuprà Part.4. q.1. n.46.* Antonius de Corduba *in l.Siquis à liberis. §. Idem reſcripſit. n.136. ff. de Liberis agnoſcendis.* Ex quibus principijs, iuxta Stagiritæ regulas, ſyllogizas ſic: Omnia Regna deferuntur ad poſteros iure ſanguinis; ergo Algarbicum & Luſitanicum.

*Nullum Regnum in totâ Europâ defertur iure ſanguinis.*

Respondeo, vnum aut alterum Regnum in toto Orbe deferri iure electionis, reliqua hereditario; iure ſanguinis in noſtrâ Europâ nullum: & hæc eſt communiſſima auctorum ſententia, vt ſuprà examinauimus à num.59. ideò ſi non diſcedendum eſt à communi Doctorum opinione, vt vni vel alij ſubſcribamus, non debemus aſſerere, in Regnis fieri ſucceſſionem iure ſanguinis; cùm hoc ſolùm aſſerat vnus, vel alter, & contrarium propugnent vniuerſi.

Præterea. Eſto, ſit communis Auctorum ſententia, illa quæ ediſſerit Reges non habere heredes, ſed Regna ſanguinis titulo ad poſteros ipſos tranſire. Quid inde? Leges illæ communes non habent locum, cùm dantur Prouinciales: & ſuperiùs probauimus, legibus non ſolùm Hiſpanis, ſed & Luſitanicis fuiſſe ſancitum vt heredes ſuccederent. Lege à num.59. totum primum Artic. præcipuè Rationem nonam, decimam & vndecimam.

## OBIECTIO SECVNDA.

LXXVIII. IN Maioratibus, in quibus cognoſcitur primus aliquis Inſtitutor, non ſuccedunt heredes vltimi poſſeſſoris, ſed qui propior fuerit Inſtitutori Principi. Atqui Luſitanorum Regnum habuit primum Inſtitutorem, nempe Afonſum Henriquez, primum huius nominis: Regnum igitur Luſitanorum



tanorum defertur ad eum qui propinquior huic ipſi Afonſo Henriquez, non autem ad vltimi heredes poſſeſſoris; ergo in ſucceſſione Regni Portugalliæ non cognoſcitur hereditarium ius, ſed omnia ſubſiſtunt in iure ſanguinis. Conſequentia eſt legitimè-optima; Præmiſſæ indigent expoſitione. Maior probatur *ex l.3. ff. de Jnterd. & releg. l. Coheredi. §. Cùm filiæ. ff. de Vulg. l. Vnum ex familiâ. §. Si Falcidia.* & in eas Auctores quamplurimi. Bartolus *in l. Mortis cauſâ capimus. ff. de Donat. cauſâ mortis.* & alij, quos citant Tiraquellus *d. q.35. nu.2.* Pinel *l.1. C. de Bonis mater. p.3. num.65. ad med.* Aluarus Vaz *de Jur. emphy. q.10. à num.3.* Molina *d. c.8. n.2. & 21.* Minor etiam probatur, quia Regno Luſitaniæ, cùm non fuerit ab æterno, debet deſignari principium; hocque vel à populi inſtitutione, quà ſe dantis, vel ab auctoritate Afonſi primi, quà ſubiugantis illos populos. Si primo modo à populis hoc Regnum fuerit inſtitutum, ſucceſſio ab electione pendet; ſi autem modo ſecundo, Afonſus ex ciuitatibus bello ſubiugatis iſtud Regnum inſtituit: iam Regnum tenetur cognoſcere primum Inſtitutorem, non tamen vltimum poſſeſſorem; quod eſſet demonſtrandum.

Respondeo, non ſemper in Maioratibus Inſtitutorem LXXIX.
reſpici; neque contrarium conuincitur ex citatis iam antè legibus; quia his clarè ſatisfaciunt Oldradus, Albericus, & alij citati à Tiraquello *de Iur. primogenio q.35. nu.15.* Reliquùm, quidquid eſſet de alijs Regnis, hæc regula non haberet locum in Luſitaniâ; vbi contrarium legibus perenni firmatis conſuetudine videmus ſtatutum.

*Maioratus Luſitanici Regij Inſtitutor quis?*

Præterea, in Regno Luſitaniæ vix reperies primum Inſtitutorem: primò, quia Inſtitutor non fuit populus; ratio eſt, quia Afonſus non intrauit in poſſeſſionem Portugalliæ titulo electionis, ſed hereditatis: ſucceſſit enim Matri ſuæ, cuius dos erat Portugallia; inque deuiuentis Matris dotem ingreditur Filius non niſi iure hereditatis.

Nec Afonſus inſtituit Maioratum, quia ante hunc iam

 erat

erat; ergo liquet, inſtitutionem ipſius fuiſſe iure dotis, ac perinde iure hereditatis.

## OBIECTIO TERTIA.

LXXX. IAmiam te ſeueriorem audio. Sint, inquis, leges de iure hereditario; ſint inſtituta quibus hæ roborentur; ſit vſus hæc confirmans, non ſufficit: cur? quoniam iniuſtæ, iniuſta, iniuſtus. Contra naturæ regulas humana nulla: ceterùm hereditaria eſt contranaturalis. Omnis res phyſica naturali ingenio ſuum eſſe appetit; cur non appeteret politica? Naturâ duce, ratione gubernante, ſuam conſeruationem ambiunt populi; ac perinde quidquid ad hanc conducit. Sanguinis ius prodeſſet, officeret hereditarium; ergo cenſeri debet populus approbaſſe illud, iſtud eliminaſſe. Herculè hereditarium ius obeſſe gentibus demonſtro breuiter. Remanerent Reges liberi, & contemnerent ſubditos; membra Regni pro arbitrio alienare, vendere, dilapidare poſſent: hæc potentia etenim ſequitur ius hereditariæ proprietatis, *l. Jn re mandatâ. C. Mandati. l.2. ff. Si quis à parente. l.1. C. de Sacroſ. Eccleſ.* hæcque poteſtas ſumma ſine gentium præiudicio maximo non perennaret. Ne ergo cogamur aſſerere, populos in primâ inſtitutione Regis ſuæ conſeruationi propriam ruinam & deſtructionem præpoſuiſſe, opus eſt aſſeramus, eos non hereditario, ſed potiùs iuri ſanguinis ſucceſsionem Monarchicam feciſſe ſubditam. Proderit legere textum *dicti §. In fidei commiſſo.* iunctis ijs quæ notantur *in Authent. Res quæ. C. Communia. de Legat. & in l. Peto. §. Prædium. ff. de Legat. 2.*

LXXXI. RESPONDEO, ex huiuſcemodi inconuenientibus non ſequi, excludendum eſſe ius hereditarium, ſed teneri legis latores eis obuiàm ire, ſancientes, ne liceat Regibus ſimilia facere: ideò in Comitijs Lamegenſibus §. vltimo latâ lege contra Regem decernitur, ne talia præſumat facere, quæ à Regni Statibus iudicabantur minùs apta ad conſeruationem libertatis. Vnde manet liquidum, non debere ius hereditarium



ditarium aboleri; ſed legibus aut conditionibus, & ſin minùs, priuilegijs debere Monarchas alligari, ne quidquid velint, in ſubditos agere præſumant.

## OBIECTIO QVARTA.

LXXXII. *Regni proprietates.*

ARguis à poſteriore. Proprietates indigetant naturam rei, & ſunt eſſentiæ certiſſimæ appendices; ergo ex proprietatibus Succeſſionis Regiæ-Luſitanicæ cognoſcetur liquidiùs eſſentia eiuſdem Succeſsionis. Omnes illæ pertinent ad ius ſanguinis; ergo & Succeſsio non eſt hereditario, ſed ſanguinis iure exponenda. Probatur Minor: quia Rex Henricus, licet obierit ſine Filijs, non poterat deuiuens Regnum legare in Teſtamento; id etenim non niſi propinquiori debebatur. Ita de Regnis in communi reſoluit Ioannes Andreas *verb. Commendatum. in dict. c. Grandi.* vbi & Anchar. *verb. Succederet.* Abbas Panormitanus *n.5. in c. Intellecto. de Jure iur.* Corſetus *de Pot. Reg. p.2. quæſt.8. num.6.* Guillelmus *in dict. c. Rainutius. verb. In eodem Teſtamento. num.*155. Emanoël da Coſta *vbi ſuprà pag.*150. Molina *libr.*3. *cap.*6. *num.*13. Palaez *d.*4. *Par. q.*1. *n.*46. *verſ. Ex quibus. & num.*51. Atqui hæc circumſtantia arguit ius ſanguinis; ergo. Probatur Minor; quia ea quæ poſsidentur iuriſdictione hereditariâ, poſſunt legari in Teſtamentis, *textus in l. Quidam cùm filium. verſ. In eo autem. ff. de Verborum ſign.* & Doctores reſoluunt *per textum in l. Fratris. & in l. Fratres. Co. de Inoffic.* nec non per *Ord. libr.*4. *tit.*74. *in princ.* & *per l.*8. *tit.*8. *Part.*6. non autem ea quæ iure ſanguinis, *textus in c. vn. in princip. de Succeſſ. feud.* Expenditur à Molinâ *libr.*1. *c.*8. *num.*20. vbi citat alios non contemnendæ auctoritatis.

*Prima, Regnum non poſſe legari in Teſtamento.*

LXXXIII. *Secunda, Regnum eſſe indiuiſibile.*

Dabo aliam Regni proprietatem, quæ indigetet etiam ius ſanguinis. Luſitania non potuit ab Henrico Rege Cardinali, nec ab alio quopiam Monarchâ diuidi, ſed tota debetur ſucceſſori; cuique tota non debetur, nec debetur quoad partem. Conſtat ex textu *in c. Imperialem. §. Præ-*

*tereà.*

*tereà.de Probib.feud.alien.* & ex Gloſsâ *verb.Priuandum.in*
*d.c.Licet.de Voto.* vbi communiter Doctores: ex quibus ac-
curatiùs adnotarunt Anchar. *Conſil.*339.*num.*3. Guillelmus
à Monſerrat. *in Tract. de Succeſſ. Regiâ, dub.*2. *num.*2.
Rojas *in Epitome ſucceſsion. cap.*5. *à num.*12. *cum ſeqq.*
Tiraquellus *de Iure primogeniorum, q.*4. *num.*21. Antonius
Gomez *l.*40. *Tauri, num.* 6.7. & 12. Dueñas *reg.*316.
*à princip.* Mencha *de Succeſſ. creat.* §.26. *num.*46. Molina
*libr.*1. *c.*11. *in princ. à num.*6. Ioannes Garcia *d.c.*16. *num.*31.
& probatur *lege* 2. *tit.*2. *Part.*2. Atqui hoc, quod eſt, rem
non poſſe diuidi, indigetat ius ſanguinis: illa enim quæ
poſsidentur titulo hereditario, inter heredes diuiduntur,
*l.*2. §. *Hereditas.ff. de Suis, & leg. l. Lege XII. tabularum.*
*verſ. Illa proculdubiò. C. de Leg. hered.* quod optimè declarat
Antonius Gomez *in l.*8. *Tauri num.*1. è contrà autem quæ
iure ſanguinis habentur, probat Baldus *in Auth. Ex teſta-*
*mento. num.*16. *C. de Collat.* quem ſequuntur plurimi qui
recenſentur à Molinâ *d.c.*11. *à num.*2. ante quem Mencha
& Rojas *vbi ſuprà num.*22. Fauet *dict.* §. *in Fidei commiſ-*
*ſo. l.vlt. C.de Verb. ſignif.* vnde Couarruuias *d.verſ. quin-*
*to, in fine,* Molina *dict. l.*1. *c.*3. *num.*14. & *c.*4. *num.*42. qui
& citat inibi Gregorium Lopez. Ita Antonius à Gama *de-*
*ciſ.*193. *num.*4.

LXXXIV. *Tertia Regni proprietas.* Addam & tertiam, quæ naſcitur ex antecedenti. Re-
gnum Luſitaniæ non poteſt diuidi: probaui. ergo integrum
vni debetur: cui? vltimi poſſeſſoris proximiori conſangui-
neo, quamlibet ſit vltra decimum gradum. Ita Baldus *in*
*c.*1. *num.*6. *per text. ibi de feud.* Iaſ.3. *in l.vlt. C.Vn. legit.* vbi
& multos is adlegat. Couarruuias *libr.*3. *Reſol. c.*5. *num.*4.
*verſ. Quinto.* Antonius Gomez *in d. l.*8. *Tauri, n.*6. & *in*
*l.*40. *num.*5. Gregorius *in dict. l.*2. *verb. Pariente.* Emanoël
da Coſta *vbi ſuprà pag.*194. Perez *d. l.*1. *tit.*2. *libr.*5. *Ord.*
*col.*101. Rojas *in d. Epitome, c.*32. *n.*25. Palaez *p.*2. *q.*7. *n.*18.
Ceterùm hæc eſt proprietas iuris ſanguinis, vt conſtat ex
Molinâ, Gregorio Lopez, Antonio à Gama, in locis ſu-
prà



prà citatis; quia ea quæ deferuntur hereditario iure non
tranſeunt vltra gradum decimum. *Gloſſ. vlt. in* §. *vlt. Inſt.*
*de Succeſſ. cogn. & in* §.2. *verb. Longiſsimo. Inſt. de Leg. agn.*
*ſucceſſ. gl. in Auth. In ſucceſsione. C. de Suis, & leg.* Hancque
eſſe communem opinionem docent Antonius Gomez *in*
*dict. l.*8. *num.*5. Couarruuias *de Succeſs. ab inteſtato num.*11.
Rojas *vbi ſuprà c.*33. *num.*24. Demonſtratur *ex lege* 6. *tit.*13.
*Part.*6. iuxta lectionem veram ibi legit *Dezeno* Antonius
Gomez, Perez, & Rojas *vbi ſuprà.* Alias potuiſſem expen-
dere Regni Luſitani proprietates incompoſſibiles cum iure
hereditario: tibi autem ſufficiat has vidiſſe, ſanè lecturo
Molinam *dict. c.*3. *à num.* 6. *ad* 17. Emanoëlem da Coſta
*vbi ſuprà à paginâ* 137.

RESPONDEO, circumſtantias expoſitas, eſſe iuris ſan- LXXXV.
guinis proprietates; attamen non in quarto modo: conue-
niunt ipſi, non tamen vni; vtpote quæ aliquando conue-
niunt ipſiſsimo iuri hereditario: vt vidimus in Maioratu Re-
gio, quem hereditatem eſſe conuicimus toto Articulo præce-
denti. Ceterùm, reſtat probandum, has proprietates vni iuri
ſanguinis competere, vt quidpiam conuincat Argumentum.

## OBIECTIO QVINTA.

VEnis ad Hiſpaniam, vt propiùs contrà explodas, & LXXXVI.
expugnes ſententiam præfinitam. Occurrunt Leges
illæ, quas *de las Partidas* nominant. Conſideras *l.*2. *tit.*15. *Leyes de las Partidas.*
*Part.*2. vbi agitur de Regni ſucceſsione, & leguntur hæc
verba: *Tubieron por derecho, que el Señorio del Reyno no lo vbie-*
*ſe ſino el Fijo deſpues de la muerte de ſu Padre, y eſto vſaron*
*ſiempre todas las Tierras del Mundo, doquier que el Señorio*
*ouieron por linaje, & mayormente en Heſpaña.* hoc eſt: *Fuit*
*iure ſanctum, quòd Regni poſſeſsionem non niſi Filius obtineret,*
*& is poſt obitum ſui Patris: & hoc fuit in vſu communi in om-*
*nibus illis Prouincijs, in quibus Regnum defertur iure genea-*
*logiæ, ac perinde præcipuè in Hiſpaniâ.* Ibi proderit ſpeculari
illam vocem, *por linaje.* An ius genealogiæ differre poterit

 à iure

à iure ſanguinis? Hoc acutè ponderat Molina *d. libri* 1. *c.*3. *num.*10. *verſ. Sextum.& cap.*8. *num.*9. *verſ. Ex quib.* Colligitur *ex l.*9. *tit.*7. *Part.*2. ibi expreſsè lego, *por raçon de linaje*; hoc eſt, *genethliæ ratione.* Expendit Gregorius *ibi dict. verb. Linaje.* Ioannes Garcia *dict. libr. de Expenſ. c.*16. *n.*15. *coll.*2. *in finem.*

LXXXVII. *Legibus iſtis ſatiſfacio.*

RESPONDEO, *in dictâ l.*2. *tit.*15. *Part.*2. Legiſlator diſtinguit inter ſucceſsionem & electionem, non verò inter ius ſanguinis ac hereditarium; ideò vox illa *linaje*, quâ lex illa vtitur, ſignificat *lineam conſanguinitatis.* Conſtat *ex lege* 2. *tit.* 6. *Part.*4. (ibi lego, *linea de parenteſco*) *l.Stemmata. ff. de Grad. c.Veniens* (ibi legis, *linea conſanguinitatis*, quod eſt perinde) *de ſponſal.* Conſtat ex his quæ poſt alios quamplures notauit Tiraquellus *de Retr. tit.*1. *§.* 1. *gl.*9. *num.*1. *& ſeqq.* Couarruuias *de Sponſal. p.*2. *c.*6. *§.*6. *n.*4. Ioannes Garcia *d. c.*16. *n.*30.

*Vox* Linaje *apud Hiſpanos quid ſignificet?*

Quòd autem illa vox *Linaje* (dicas Latinus *Conſanguinitatem*) ſignificet affinitatem erga poſſeſſorem vltimum, non tamen erga inſtitutorem; cedam cauſsâ, ſi non demonſtrem. In eâdem lege ſecundâ dicitur, *que el Señorio del Reino heredaſſen ſiempre aquellos, que vinieſſen por linea derecha.* Nempe, *Regni dominij illos heredes eſſe, qui rectâ lineâ prouenirent.* Vide illud verbum *heredaſſen*; ergo eodem teſtimonio, à te contra nos adducto, expreſsiùs iugularis.

Nec audiam te, ſi dixeris, has periodos non eſſe immediatas; quia quamuis diſtent, ſunt in eodem contextu, ac de eâdem materiâ; & cùm hæc eſt eadem, textus textum debet exponere, vt conſtat *ex l. Qui filiabus. in princ. ff.* de *Legat.*1. *l. In ciuile. & l. Non eſt nouum. cum ſeqq. ff.* de *Legib.*

## OBIECTIO SEXTA.

LXXXVIII. *Quæ habentur à Principum munificentiâ, quomodo ad poſteros deferantur.*

TAndem Luſitaniam ingrederis, & ex notitiâ rerum Prouincialium argumentaris ſic: Regna, Terræ, Hereditates, Iuriſdictiones, Dignitates, ſi habeantur in perpetuum ex conceſsione munificâ cuiuſpiam Principis, deferuntur



runtur ad poſteros non hereditario, ſed iure ſanguinis. Ita reſoluit Bartolus *in Auth. Poſt fratres.*2. *C. de Leg. hered.* quem ſequuntur Fulgentius & Cornelius ibidem, & alij, quos allegat Aluarus Vaz *de Iure emphy. q.*50. *n.*6. *& ſeqq.* & hanc doctrinam habere locum etiam in bonis ad ipſam Coronam pertinentibus, probatur *ex Ordin. libr.*2. *tit.*17. *§.*1. *cum ſeqq. & in §. vltimo*, vt notat Aluarus *citatus num.*13. *& num.*25. Emanoël da Coſta *vbi ſuprà pag.*37. *&* 136. Extendi ad bona Emphyteutica liquet ex *Ord. libr.*4. *tit.*62. *§.*3. notat idem Aluarus Vaz *dict. quæſt.*50. *num.* 6. vbi citat Emanoëlem da Coſta, & alios plures.

Atqui Rex Caſtellæ & Legionis, videlicet Alfonſus, donatione legitimâ conceſſit hoc Regnum Portugalliæ Comiti Henrico, vt conſtat ex Hiſtorijs quibuſlibet.

Ergo nemo aſſerere poterit, hoc Luſitaniæ Regnum deferri ad poſteros hereditario iure, ſed ſanguinis.

RESPONDEO, admittens ea quæ in Minori dicebantur, nempe hæc Regna conceſſa eſſe à Caſtellæ Regibus; videlicet Luſitanicum Comiti Henrico, Algarbicum Afonſo III. herculè vtrumque in dotem: nego autem inde ſequi, debere deferri iure ſanguinis. Nec ſufficit, conceſſiones Principum hoc ius induere; quia hæc conceſſio fuit facta in dotem, & dos eſt filiorum hereditas, vt iam aliquando monſtrauimus; ac ideò, ni aliunde aliquâ ratione aut lege contrarium exprimatur, filij debent, quà heredes, ſuccedere in dotem Matris.

*Dos eſt filiorum hereditas.*

## OBIECTIO SEPTIMA.

LXXXIX. *Hac lege tollitur Repræſentationis beneficium, de quo ſuo loco.*

PErlegiſti Luſitanica iura, vt ijs inſtructior noſtram ſententiam expugnares: incidis in Comitia illa Lamegi celebrata, de quibus ſæpè; in ijs reperis legem: *Si fuerit mortuus primus Filius viuente Rege Patre, ſecundus erit Rex; ſi ſecundus, tertius; ſi tertius, quartus; & deinde omnes per iſtum modum.* ergo excluduntur Filij Primogeniti, ſi is obeat



ante

ante Patrem: ergo Regnum Luſitaniæ defertur iure ſanguinis. Liquet; quia aliàs non Filius ſecundus Regis, ſed Filius Filij primi ſuccedere debuiſſet in Regno.

XC. RESPONDEO, hac excludi lege Filios Primogeniti, qui deuixerit viuente Patre; non tamen inde ius ſanguinis ſtabilitur, quia excluſo Regis nepote, ſufficitur ſecundus filius, non quà propior primo inſtitutori, ſed quà propior vltimo poſſeſſori: vnde ſi eſſet poſſibile, quòd nepos eſſet propior primo inſtitutori, adhuc eſſet excludendus; quia propinquitas ſolùm conſideratur reſpectu poſſeſſoris vltimi. Hinc patet, in regno Luſitanico non habere locum fictionem illam politicam, quam beneficium Repræſentationis nominant: ſed de hoc in huius Libri quinti vltimâ Diſputatione vberiori calamo tractabitur.

## CONCLVSIO.

MAneat igitur integrum: Primò, Regna, Algarbicum & Luſitanicum, non iure ſanguinis, ſed hereditario potiùs ad poſteros delatum iri.

Secundò, Galliæ Reginam Chriſtianiſsimam non poſſe hoc iure adſpirare ad Regnum Luſitaniæ.

## NOTA.

*Regina Galliæ non deſcendit ab Afonſo III.*

CEterùm, condonemus Scriptoribus Galliæ, Portugallenſe Regnum non hereditario, ſed ſanguinis iure deferri. Inde quid pro Heroïde Chriſtianiſsimâ? Ipſa non ducit originem ab Afonſo III. & Mathilde, vt credit; ac perinde toto cælo diſsidet à genealogiâ Luſitanicâ. Eam non prouenire ab Afonſo demonſtraui ſuperiùs clariſsimis analogiſmis, nempe Libr. 1. cùm agerem de Afonſo III. Luſitaniæ Rege.

QVÆ-



## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm hereditario iure valeat Catharina Chriſtianiſsima Regina Galliæ ſuccedere Regi Cardinali?*

DEmonſtrauimus, ſucceſſionem Regnorum Luſitaniæ eſſe hereditariam, nullumque Regem coronatum fuiſſe iure ſanguinis; ergo Galliæ Regina tenebitur vel cauſsâ cedere, vel aſpirare ad Luſitaniæ ſceptrum titulo iuris hereditarij. XCI.

## ARTICVLVS I.

### *Illam non eſſe heredem Henrici Luſitanorum Regis.*

SVcceſſor ex iure hereditario eſt ille qui propinquior fuerit vltimo poſſeſſori; ergo in lite quam agimus, qui Henrico. *tex. in l. 2. §. Hæc hereditas. ff. de Suis & leg. in princ. Inſt. de Leg. agn. ſucceſſ. l. 2. tit. 15. & l. 9. tit. 1. Par. 2.* Atqui Regina Chriſtianiſſima non eſt propinquior Regi Henrico, quàm alij omnes Coronæ candidati; ergo non eſt Regni heres. Probatur Minor: Chriſtianiſſima Regina non eſt neptis Emanoëlis inuictiſſimi Regis, ac perinde non eſt in tertio gradu cum deuiuente Rege, in quo reliqui prætenſores. XCII.

*Regina Chriſtianiſſima non eſt Conſanguinea Henrici Regis.*

Cur hoc non adderem? non conſtat illam eſſe Regis Henrici conſanguineam; quia hoc conſiſtit in facto nondum probato à Gallis: ideò conſanguinitas illa, ſi leuiter aſſeritur, cur non facilè venit neganda? In tanti ponderis negotio non eſt habenda reſolutio ex fabulis adulationis gratiâ compoſitis, ſed ex Hiſtorijs fide dignis. *l. Non nudis. C. de Probation. & c. Licet ex quadam.* imò nec ſufficeret fama, vt ediſſerit acutè Bartolus *in l. de Min. §. Si plurium. num. 30. verſ. Si vero. ff. de Quæſtion.* quem ſequitur Hippolytus *num. 50. & 54.* vbi recenſet alios plures.

Eſto, probent Reginæ conſultiſſimi Procuratores, eam XCIII.

 deſcen-

deſcendere ab Afonſo III. Luſitanorum Rege, atque Boloniæ Comite, exque Mathilde Comitiſsâ, eiuſdem Sereniſsimâ Vxore, diſtabit per plurimos gradus à Cardinali Rege; & ideò non poterit præponi eiuſdem Henrici Regis Conſobrinis.

Herculè, hæc genealogia Chriſtianiſsimæ Reginæ perperàm ab Afonſo deducitur; quia ille Robertus, qui à Gallis aſſeritur Afonſi Filius, non probatur verè fuiſſe ipſius Afonſi Filius. Quid ſi comprobaretur? reſtaret probare, fuiſſe legitimum, ac perinde ſucceſsiſſe in ipſo Boloniæ Comitatu. Præterquam quòd ille, ſi admittitur, Filius Afonſi Regis ex Mathilde (teſtor Chronicon Afonſi III. cap.3.) venit ad Luſitaniam; inque eâ nutritur, & ducit Vxorem Filiam Petri Infantis Caſtellani; & aliunde non conſtat, quòd poſt Matrimonium ad Boloniæ partes reuerſus fuerit: quin imò Garibayus *libr.*34. *cap.*20. affirmat, ſepultum fuiſſe in Monaſterio S. Dominici Vlyſipponenſi. Igitur non eſt vero ſimile, Chriſtianiſsimam Galliæ Reginam à dicto Afonſo atque Mathilde prouenire. Confirmatur: Poſt mortem Ferrandi Luſitanorum Regis fuit interregnum, celebrantur Comitia, & creatur Ioannes I. Conſtat ex Chronico eiuſdem primi Ioannis *p.*1. *c.*179. *&* *c.*185. Hîc ego: Certum eſt, in Comitijs illis potuiſſe agi de Boloniæ Comitibus, ſi hi traxiſſent originem à Luſitaniæ Regibus. Quòd ſi in Comitijs nulla eſſet Boloniorum memoria, cur ipſi Boloniæ Comites, audientes Luſitaniam ardeſcere diſcordijs ſummis, intrinſecis atque extrinſecis bellis, laborare interregno, conuocare Status, celebrare Comitia, non miſerunt Procuratores, vt ſuum ius exponerent, & de negatâ iuſtitiâ legitimam proteſtationem facerent, iuxta regulam textus *in l. Cùm de indebito. ff. de Probation.*? Nec ſufficiet dicere, ſe non audiuiſſe Ferrandum eſſe mortuum, atque carere ſucceſſore: ratio eſt, quia Regum obitus & bella Regionum ſunt ſemper publica, & vbique terrarum cognita; & quæ vix Scytha ignoraret, quamlibet remotiſsimus. Non

*Mathildis filius an verus?*



Non eſt cenſendus non audiuiſſe Bolonienſis, qui paucis diebus diſſidet à Luſitaniâ, & coniungitur multo commercio. Hæc ponderatio fit robuſtior *ex c. Quoſdam. & c. Quanto. de Præſcript. iuncto c. vltimo.* 16. *diſt. & c.*1. *verſ. Cùm & contra. de Poſtula. Prælat.* Lege ea quæ dixi Libro 1. in Vitâ tertij Afonſi tractans hanc controuerſiam ex profeſſo.

Ex hac ponderatione argumentor ſic: Vel Regnum Luſitaniæ defertur iure ſanguinis, aut hereditatis: atqui neutro modo poterit ſuccedere Regina Galliæ; ergo ceſſat quæſtionis controuerſia. Probatur Minor: Regina Galliæ neque eſt conſanguinea vltimi poſſeſſoris, neque inſtitutoris primi: ergo propter primum non debet adſpirare ad Coronam hanc iure ſanguinis; ergo propter ſecundum excluditur à iure hereditario: oportet igitur vt cauſsâ cedat. XCIV.

*Dilemma.*

Prætereà, quamuis probaretur, deſcendere hanc Reginam ab Afonſi III. Filio Roberto, non ſequeretur in plurimorum Auctorum opinione, eam aliquid iuris habituram eſſe ad Regnum. Ratio deſumetur ex quopiam principio per ſe noto, quod Peripatetici circumferunt his verbis: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Sanè axioma certiſſimum non modò in phyſicâ, ſed & præcipuè in re morali. Amo Ioannem propter Petrum; ergo cenſeor magis hunc diligere quàm illum. Hinc ad noſtram quæſtionem deueniamus. Regina Catharina habet ius ad Coronam Luſitaniæ propter Robertum Tertij Afonſi Legitimum (vt ſuppono) Filium; ergo maius haberet ille, ſi ſupereſſet: atqui ille haberet nullum, ergo non poterunt Roberti poſteri aliquod prætendere. Conſequentia eſt euidens, Maior à contrarijs aſſeritur. Reſtat Minor probanda. Si Robertus fuiſſet Afonſi Filius (quod nuſpiam credam) neceſſe eſt fuiſſe Filium Afonſi nondum Regis; quia Afonſus cùm primùm coronatus fuit, duxit Beatricem; exque eâ habuit Infantem Dionyſium, vt notauit ſedulus antiquitatum inueſtigator in Chronico eiuſdem *c.*2. *&* 4. atqui, iuxta regulas iuris, primo Filio qui naſcitur Regi, poſtquam Rex fuerit, debetur XCV.

*Robertus Filius nondum Regis.*

betur Regnum, non prioribus. Ita reſoluit Gloſſa Acurſij *ſch.*1. *in l. Imperialis. §. Illud. C. de Nuptijs.* quem ſequuntur Bartolus & Baldus *ibi n.*3. & idem Bartolus *in l. Si Senator. C. de Dignit. libr.*12. *& in l. Cùm ſatis. ad finem. C. de Agricol. libr.*11. & alij plures, quos refert Tiraquellus *de Iure primogen. q.*31. *num.*2. *& ſeq. & num.*8. Ceterùm, hanc eſſe aſſerunt Doctorum communem opinionem Dec. & Rip. & cum eis Couarruuias *libr.*2. *Reſol.c.*8. *num.*5. *verſ. Tertiò.* Antonius Gomez *in l.*40. *Tauri num.* 67. Perez *in d. l.* 5. *tit.*1. *libr.*4. *Ordin.* Villalobos *libr. Comm. verb. Filius natus.* Palaez *d.* 2. *p. q.*4. *illat.*5. *n.* 1. Ergo Robertus nullum ius habere potuit ad Luſitaniæ Regnum.

XCVI. Nec valet dicere, contrariam opinionem etiam eſſe probabilem, defendique à Claſſicis multis auctoribus. Primò, quia licet ſit probabilis quoad alia Regna, verè improbabilis eſt quoad Regnum Luſitaniæ, in quo *ex Ordin. libr.* 2. *tit.*5. tenentur admittere Acurſij Gloſſam, atque ſententias Bartoli, & his deficientibus ſequi communem opinionem; atqui noſtra reſolutio eſt communis, vt probaui ex Dec. ex Rip. ex Couarr. ex Ant. Gomezio, Palaez, & Villalobos ſuprà citatis: propugnant eam Acurſius & Bartolus; ergo debet admitti in Regno Luſitaniæ.

Prætereà, eſto, ſit probabilis contraria ſententia, lege Luſitanicâ reddita fuit improbabilis; quia legitimè & ſine controuerſijs ſucceſſit deuiuenti Afonſo non Robertus Filius maior ex Mathilde, ſed Dionyſius, qui ex Beatrice, vt conſtat ex Chronici capite 1. Ergo ex hoc facto conſtat ex Luſitano iure Roberto Coronam non deberi; quia aliàs hæc ei daretur, vel ſaltem ipſe iure aut armis prætenderet tyrannicè vſurpatam; quæ omnia accidere non poſſent, & nulli libro commendari: ſaltem accidiſſe non conſtat, & ideò præſumuntur non fuiſſe, quouſque demonſtrentur à Iureconſultiſſimis Gallis. Nec valet dicere, Ferrandum I. fuiſſe filium Petri nondum Regis, & nihilominùs in Regno ſucceſſiſſe. Ratio eſt, quia (vt in principio ſupponebatur) Petrus



trus non habuit alios filios legitimos; quia in hoc quinto Libro ſupponitur, D. Agnetem de Caſtro fuiſſe pellicem. Quòd ſi hæc vera vxor in tuâ opinione ſit, ſolus Rex Catholicus habet ius ad Luſitaniæ Regnum, vt Libr.3. & 4. demonſtraui.

Ceterùm, cùm ego ſentiam, Filios Principum nondum Regum, quorum Patres reuerà fuerunt Reges, debere anteponi iunioribus; non condono contrarijs, Robertum, qui dicitur Chriſtianiſſimæ Reginæ progenitor, fuiſſe Filium Afonſi Regis Portugalliæ. Nota, quòd Sancius II. naſcitur anno M.CC.VII. anno ſequenti Pater eius Regni habenas ſuſcipit; & tamen Sancius præponitur Afonſo III.

## ARTICVLVS II.

### *Achilles propugnans Chriſtianiſſimæ Reginæ partes validiùs debellatur.*

TVentur Reginæ partes Galli ratione in ſuâ ſententiâ efficaciſſimâ, ac perinde à nobis explicandâ. Robertus debebat Tertio Afonſo ſuccedere, non Dionyſius: ergo huius poſteri tyrannicam habuerunt Monarchiam, & veniunt, cùm primùm liceat, armis aut pace eliminandi. Probatur Aſſumptum: quia Dionyſius non fuit legitimus, ſed verè Filius nothus, habitus ab Afonſo Rege ex Beatrice, cùm adhuc Mathildis legitima Regis Vxor Afonſi ſupereſſet. Conſtat ex omnibus Hiſtorijs. XCVII.

*Dionyſius an nothus?*

### SATISFACTIO.

ADmiſi vrbanitatis gratiâ, fuiſſe Robertum Afonſi III. Filium, & hunc legitimum, ex Mathilde Comitiſſâ Boloniæ; ſi me fueris ſeuerior, nega hoc Gallis, & liberaberis ab iſtâ controuerſiâ. Ceterùm, cùm ingenium ſit mihi vrbanè-dulce, concedam inimicis etiam fallentibus quidquid potero, dummodò intentum non concedam. Eſto, ſit Robertus Filius, vt dicitur, legitimus Afonſi III. an ideò Dionyſius illegitimus? XCVIII.

Zz Vt

XCIX. Vt probent hunc fuiſſe legitimum Afonſi Filium, habent fortiſſimas rationes Luſitani. Prima ſit: Clemens IV. Summus Pontifex diſpenſauit in Matrimonio ſecundo, quod fuerat contractum ſuperſtite Mathilde primâ Vxore, & id reddidit validum; atque addidit expreſſam clauſulam, in quâ declarabat legitimos Afonſi atque Beatricis Filios, vt in Regno ſuccederent. Conſtant omnia ex Tertij Afonſi Chronico, *cap.* 4. & ex Garibayo, *capite* 20. *& ſeqq.* Ceterùm, quando Pontifex declarat Matrimonium fuiſſe legitimum, ex vi talis diffinitionis filij remanent legitimi, non legitimati; ac propterea habiles vt ſuccedant in regno; quia iam ſunt parentum filij coniunctorum legitimo nexu Matrimonij. Ita reſoluunt Abbas *in cap. Per venerabilem. n.* 2. *qui fil. ſint leg.* & Ioannes Andreas *ibidem* Card. & Ancharſius, & alij, quos refert & ſequitur Couarruuias *de Sponſal.* 2. *p. c.* 8. *n.* 13. Celſus *in Conſil.* 31. *n.* 78. *& ſeqq.* Ex quorum ſententiâ ſequitur, Infantem Dionyſium, vtpote legitimum Filium, & natum poſtquam eius Pater fuit Rex, iure optimo ſucceſſiſſe Patri ſuo Afonſo III. deuiuenti.

*Matrimonium fuit validum.*

C. Hæc ratio, ſi eſt efficax, iam obiectioni ſatisfecit. Reliquùm, in meâ ſententiâ, nullatenus veriſimilis eſt iudicanda. Multa confunduntur, quæ debuiſſent explicatiùs altiuſque examinari. Dico, illa Bulla Pontificis vel fuit declaratio, aut diſpenſatio; neutra valida: ergo non proderit Dionyſio defenſando. Probo non fuiſſe legitimam & validam diſpenſationem; quia Pontifex non poteſt diſpenſare cum aliquo, vt duas habeat legitimas Vxores: ergo non potuit cum Afonſo, vt Beatricem duceret adhuc viuente Mathilde Vxore primâ. Prætereà, eſto, potuiſſet diſpenſare, quod eſt improbabile, verè non diſpenſauit: ergo verè ſecundum Matrimonium Mathilde ſuperſtite non tenuit; ergo fuit inualidum. Atqui ad præteritum non eſt potentia, ſaltem * conceſſa creaturæ: ergo non potuit Pontifex facere quòd fuerit legitimum, cùm reuerà non fuiſſet. Explicatur: Clandeſtina voluntatum expreſſio eſt impedimentum annullans Matrimonium in his locis, vbi admiſſa eſt auctoritas Concilij Tridentini: quod impedimentum, cùm ſit de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quis dubitet à Pontifice potuiſſe tolli? Sanè poterit Pontifex diſpenſare, vt Petrus & Maria clandeſtinè contrahant: quòd ſi hodie ſine Pontificis auctoritate clandeſtinè contraxerint, non poterit cras Pontifex diſpenſare vt Matrimonium fuerit validum hodie; quia ad præteritum potentia nemini; poterit autem concedere, vt iterùm contrahant ablatis aut poſitis his conditionibus. Similiter Pontificis illa conceſſa diſpenſatio non potuit facere, quòd Matrimonium illud, quod per duodecim annos ante diſpenſationem fuerat nullum, per eoſdem duodecim annos fuiſſet validum; potuit autem benè facere vt in poſterum validum eſſet, hoc eſt, vt iterùm contraheretur: & in hoc ſimilem auctoritatem haberet etiam Parochus, ni fortè eſſet aliquod impedimentum remanens, de quo non conſtat.

*Cenſura ſeuerior.*

** Deo enim concedo potentiam ad præteri- [illegible].*



Hinc ſequitur, Pontificis illam declarationem (ſi exponenda eſſet vt volunt plurimi) minùs fuiſſe legitimam, & veram. Quia ſi reuerà Matrimonium fuerat inualidum, & declaratur fuiſſe validum, eſt declaratio mendax, atque indigna Pontifice; qui ſupponitur fidelis, & verax. CI.

Illud, quod additur de clauſulâ expreſsâ Filios legitimante, etiam omitti poſſet, quà inutile: non enim Pontifex poteſt Filios politicè-legitimos facere, niſi in ijs ſolùm locis in quibus habet dominium temporale, vt ſuperiùs vidimus, cùm de Antonij legitimatione tractaremus.

*Pontifex non poteſt legitimare ad Ciuilia in Regno Luſitaniæ.*

Quid igitur dicendum erit? Pontificem errauiſſe? minimè: & licet hoc diceretur, nihil exponeretur nouum. Non habet in rebus practicis Romanus Pontifex infallibilem ſecuritatem, vt contra nos & contra veritatem imponunt noſtræ doctrinæ Hæretici. Poteſt herclè in decretis politicis, qui non poteſt falli in Eccleſiaſticis diffinitionibus, ſaltem ex parte conſequentis, vel in ſenſu compoſito, vt loquuntur Theologi antiquiores. Nihiloſeciùs in hac diſpen- CII.

Zz 2 ſatione

ſatione non fallitur. Diſpenſat cum Afonſo Tertio: & ſanè validè; non tamen circa Matrimonium inualidum, vt legitimum fuerit illis duodecim annis, quibus fuit illegitimum; hoc etenim eſſet impoſſibile, vt iam probaui; ſed vt ſecundum Matrimonium fiat. Quia ex iure contractus adulterinus de futuro (putà quando aliquis coniugatus promittit ſe ductурum eſſe talem feminam poſt mortem ſuæ vxoris) dirimit futurum Matrimonium; atque ideò contractus Afonſi & Beatricis non poterat non dirimere Matrimonium contrahendum poſt Mathildis obitum; quia cùm hi eſſent Catholici, non eſt credendum voluiſſe contrahere Matrimonium de præſenti, quod ſciebant in Catholiciſmo eſſe impoſſibile; ergo contraxerunt Matrimonium de futuro, hoc eſt, promiſerunt ſe contracturos id eſſe poſt mortem Mathildis primæ Vxoris: ergo ex hoc impedimento non poterant contrahere illud Matrimonium poſt Mathildis patientiſſimæ Reginæ obitum. Quid faciendum igitur? conſulitur Pontifex Summus; ipſe diſpenſat in hoc impedimento, ipſi legitimum agunt connubium; & inde incipit eſſe verum, quod nondum tale. Vnde aſſerendum eſt, hanc Pontificis Bullam fuiſſe diſpenſationem, non declarationem; atque ideò, vt explicui, intelligendam eſſe.

*Eſt ſuſpectus de morte coniugis, qui ſpondet ſe poſt mortem ſuæ vxoris ducturum eſſe talem.*

Ex hac Pontificis diſpenſatione Matrimonium redditur legitimum, licet antè non fuerit; ac perinde Filij redduntur legitimi, quamuis antè non fuiſſent; & conſequenter fiunt heredes qui nondum erant. Pontifex autem nihil Politicum directè attingit, ſed ſolùm indirectè.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm eadem Regina Chriſtianiſſima habeat aliquod ius ad Regnum alterutrum Algarbicum.*

CIII. DEmonſtrauimus, Galliæ Reginam nullum ius habere ad Regnum Luſitaniæ, demonſtraturi eamdem habere



bere ad Algarbica ius omnino nullum. Vel Reges Luſitaniæ ante Alfonſum Sapientem Caſtellæ Regem poſſidebant Algarbiam, vel non. Reſpondet Antonius Brandão *in Monarchia Luſit. Part.3. l.8. c.9. §. Entrò.* affirmatiuè, & probat *c.10. §. Que el Rey.* ergo eodem modo de Regno Algarbico philoſophari oportet atque de Luſitano. Quòd ſi ſequamur ſententiam communiorem, contra Chriſtianiſſimam Dominam erit penitior demonſtratio. Regna Algarbica pertinebant ad Caſtellæ Reges, non ad Luſitanos; & Alfonſus cognomento Sapiens, Caſtellæ, Legionis atque Algarbiæ Rex, Afonſo III. Mathildis Comitiſſæ Boloniæ marito, Luſitanorum Regi, dedit Beatricem Filiam ſuam in Vxorem, & Algarbicum Regnum in dotem, vt conſtat ex Tertij Afonſi Chronico cap.10. & ex donationis litterâ; vbi expreſsè conceditur Algarbiæ Regnum Beatrici Alfonſi Filiæ, & Regi Luſitaniæ Genero, atque ipſorum poſteris & ſucceſſoribus. Ex quâ iam ratâ veritate arguitur ſic: Regina Chriſtianiſſima non prouenit à Beatrice, licet aſſeratur prouenire ab Alfonſo; ergo non habet ius ad Algarbiæ Regna. Patet Conſequentia; quia ſtandum eſt litteræ donationis. Conſtat ex *l. Vt inter.* (*ibi*, iuxta pacti tenorem) *C. de Inutil. ſtip. l. Si operas.* (*ibi*, pacti tenor) *C. de Solutio. c.1.* (*ibi*, propter tenorem inueſtituræ) *de duobus fratribus.* & ex alijs locis, quæ citat Tiraquellus *in l. Si vmquam. verb. Libertis. n.7. & 9.* Donationis littera exprimit futuros eſſe Algarbiæ heredes non alios, quàm Afonſi atque eiuſdem Beatricis Succeſſores.

*Coniunctio Regni Algarbici & Luſitani.*

CIV. Præterea, quidquid ſit de bonis mobilibus, in Maioratibus ſaltem Filij primæ vxoris non ſunt heredes dotis ſecundæ, vt conſtat ex communi Doctorum omnium reſolutione. Atqui Regnum Algarbiæ eſt dos Beatricis Vxoris ſecundæ Afonſi Regis Luſitaniæ: ergo Robertus Filius Mathildis primæ Vxoris non habuit ius aliquod, vt adſpiraret ad Coronam Algarbicam; ergo neque Regina Chriſtianiſſima. Liquet hoc vltimum; quia totum huius Reginæ ius

*Dos vxoris ſecundæ non pertinet ad Filios primæ.*

ius dimanat à Roberti iure: ergo ſi is nullum habeat, hæc à fortiori eſt habitura omnino nullum.

### CONCLVSIO.

Sit igitur ex dictis conſpicuum vniuerſis, Reginam Chriſtianiſſimam hereditario iure non poſſe prætendere Coronam Luſitaniæ, aut Algarbiæ.

### DISPVTATIONIS RESOLVTIO.

CV. Maneat igitur liquidum, *Catharinam, Gallorum Reginam Sereniſſimam, nullum habere ius ad Regnum Luſitaniæ, aut Algarbicum.* Demonſtro ſic:

Si deuiuenti Henrico Regi Cardinali ſuccedere debeat Regina Catharina, maximè vel iure ſanguinis, aut hereditario. Atqui Regnum Luſitaniæ non defertur iure ſanguinis: ipſa non habet ius ſanguinis, nec hereditarium; nullum igitur ius habere poterit ad Regnum Luſitaniæ.

Ex his conſtat, litem hanc controuerſum iri ſolummodò inter Legitimos Magni Emanoëlis, inuictiſſimi Luſitanorum Regis, poſteros.

# DISPVTATIO V.

*Iacobi Caſſani examino paralogiſmos: demonſtro ipſius rationes, ſi alicuius ſunt ponderis, pro Catholico contra Chriſtianiſſimam Reginam militare.*

I. *Neotericorum in ſcribendo leuitas.* Eò venit aut Scriptorum adulatio, aut Principum ambitio, vel potiùs vtrorumque temeritas, vt Auſtriacæ domus celſitudinem, quam armis ſubuertere non poſſunt, ambiant libellis impugnare. Hi, ſi rationum efficaciâ armantur, turbant ſemper, & aliquando legentium vincunt animos; negotio autem facili is præerit corpori, qui dudum menti. Libelli etiam, ſi rationum deſtituantur pondere,



dere, ſunt auctoribus ſuis ignominiæ; & penitiùs partes illas debellant, quas inſtituebant propugnare. Huius vltimi generis illi omnes ſunt, quos edidit à paucis annis Gallia: inter alios excellunt Arroyus & Caſſanus.

Reſpicis cælum turbidum nubibus variegatum? aura lenis, quæ te recreat, has diſſipat confunditque. Ecce aliæ aliarum humeris inſident, & elatiores incorruptibile elementum appetunt; ſed in pluuias, antequam id attingant, diſſoluuntur. II.

Nulla eſt in toto cælo nubecula, quæ non imaginet vnum aut alterum Galliæ ſcriptorem. Ecce Arroyus, Caſſanus; ventus, fumus: tot nubes edunt quot periodos, maculaturas ſereniſſimum Cælum veritatis. Fortunæ dulcis aura, fauens Auſtriacæ familiæ, meritis recreat, confirmat; animat omnes virtutis ſtudioſos, vt Principum Auſtriacorum exemplo proponant ſibi Ducem Deum, quem ſequi nequeunt ſine felicitate. Eadem aura leues Arroyi atque Caſſani mentes, ſinceritatis nubeculas, exagitauit. Arroyus totus fumus ab ambitionis camino exhalabatur; Caſſanus fumo leuior, labenti alius capiti inſiſtens, ſurrexit contra incorruptibilem regionem veritatis. Nubes Caſſanus fuit, exorta ab ambitionis fumo, inſtructa adulatione, quam leuitas natiua perdidit. Si eum reddit pertinacia inſenſibilem, & mearum rationum efficaciam non percipit, ſciet ſaltem pulchritudinem ſuorum librorum eſſe vegetam, ac propterea caducam; folia etenim, quæ à vegetâ radice profluunt, Autumnus deijcit, diſpergit, & conuertit in cineres. Eſto Caſſanus vanè-glorioſa Platanus, experientur me Autumnum illa folia, quæ adulatione maculauit.

Legeram olim in Arroyo: *Jl poſſedoit tous les mons, & de l'Eſpagne ce qui eſt deçà la riuiere d'Ebro.* hoc eſt: *Ipſe poſſidebat Pyrenæos montes, & Hiſpaniæ partem cis Iberum.* Laudaueram ſcriptoris modeſtiam, qui pepercerat reliquæ Hiſpaniæ. Ægrè tulit Caſſanus, &, edito nouo volumine, tranſit ad Caſtellam & Luſitaniam, & per has ad mundos nouos, III. Arroyus folio 110. *Audentior Arroyo Caſſanus.*

nouos, quos Caſtellani & Luſitani quæſierunt, inuenerunt, & pectore Herculeo ſubiugarunt. Inuadit Nauarram, Aragoniam, & per has Siciliam, Malorcam, Neapolim, Sardiniam, Mediolanum. Extendit Gallicæ iuriſdictionis terminos ſine termino, & omni legi iniurius conatur Iuſti Regis pedibus totum Orbem ſupponere. Aut fallor, aut Chriſtianiſſimus Monarcha, qui IVSTVS iuſtè dicitur, huiuſmodi ineptias parui facit. Statueram, ſilentio & riſu potiùs quàm calamo contra Caſſanum agere; timens tamen, ne vulgus incipiat magnifacere quem doctiores contemnunt, decreui rationum pondere deprimere adulatoris leuitatem. Non eſt animus totum Iacobi Caſſani volumen caſtigare, id enim ſigillatim faciam; ſed ſolùm capitulum tertium libri primi, vbi materiam ipſe, quam nunc ediſſerui, tractat.

## ARTICVLVS I.

*Oſtendo clariſſimè ſophiſmatis, quod Caſſanus præmittit, leuitatem.*

IV. ELectiſſimos milites debere præcedere, docuerunt inſtitutiones bellicæ: aciem ordinat Caſſanus ſubacturam regiones Luſitanicas; præmittit Achillem, nempe omnium fortiſſimum ſyllogiſmorum. Attendamus, obſecro, rationis principis virtutem, & efficaciam cognoſcamus.

*Caſſani Achilles.* *La couronne de Portugal*, ait pag. 113. *qui dés ſon commencement a ceint les teſtes des Princes François, n'a depuis dans le cours des ſiecles eſté rauie à leurs Succeſſeurs legitimes, que par l'iniure de la fortune, & la violence d'vne vſurpation: car les premiers Roys, qui ont commandé en Portugal, ſont ſortis de la maiſon de France.* Vt fortior ratio huiuſmodi ſit, ad Dialecticam normam reducamus.

Arguit Caſſanus ſic: Corona Luſitanica à ſuis primis principijs cinxit tempora Principum Gallicorum; ergo pertinet ad Regem Galliæ: ergo ſi hoc diademate carent, in cauſâ eſt Fortunæ iniuria, & tyrannicæ violentia vſurpationis. Aſſumptum probat: quia primi Reges Luſitani (nempe Afonſus, Sancius, &c.) oriundi ſunt ex domo Franciçâ.



Pace tuâ, excellentiſſime conſequentiarum textor, ſingula reſumam & expendam. Primò, falſum eſt, primos Luſitanorum Reges eſſe ex ſanguine Gallico: non enim Afonſus Henriquez fuit primus Luſitanorum Rex. Ante Comitem Henricum, Regis Afonſi Patrem, reperio plurimos Portugallenſium Reges; quod & in Proœmio huius Operis ex optimis Hiſtorijs & monumentis demonſtraui. Secundò, eſto, Luſitanorum Reges ſint oriundi à Gallis, ſequitúrne inde, Portugalliam ad Chriſtianiſſimum Regem pertinere? Quis non videat hanc eſſe ineptam Conſequentiam; nempe, Comes Henricus oritur ab Hugone Capeto, Chriſtianiſſimus etiam Rex ab eodem Hugone prouenit; ergo Portugallia, quæ data eſt Henrico in dotem, pertinet ad Regem Chriſtianiſſimum? VI.

*Ante Afonſum I. habuerat Reges Portugallia.*

*Caſſani argumentatio inefficax.*

Ecce Caſſani Achilles! Condoleo meo calamo, quem cogo inuitum ſatisfacere argumento tam leui. Dico igitur, Regnum Portugalliæ deferri ad poſteros hereditariò: ſemper heredes ſunt qui ſucceſſores; ac propterea non debet hæc prouincia ad Henrici cognatos deuenire, quamdiu ſuperuiuant ipſius Henrici poſteri. Atqui hodie Henriceorum familia (quam *Henriquez* Hiſpani nominant) eſt locupletiſſima: eius caput eſt Philippus Magnus Catholicus Hiſpaniarum Rex: ergo, quouſque tollantur omnes qui Henriceam Genealogiam nobilitant, & nullum relinquant ſucceſſorem, non debent Henrici cognati ad Luſitanicam Coronam adſpirare. VII.

Hoc etiam obiter adiungo. Si omnes Henriceos Deus de medio tolleret, Henrici Comitis cognatus aliquis deberet vltimo poſſeſſori ſuccedere; non tamen adhuc in tali caſu Rex Galliæ, ſed qui eſſet ipſi Henrico propinquior: ceterùm, eſſe plurimos ipſi Comiti Henrico propinquiores, quàm Regem Galliæ, demonſtrat Genealogia, quam in Libri I. limine præpoſui, cùm de Henrico agerem. VIII.

## ARTICVLVS II.

*Secunda ratio debellatur.*

IX. POſtulauerat ſuo Regi Coronam Portugalliæ Caſſanus; quia Ludouicus XIII. & Comes Henricus proueniunt ab Hugone Capeto: verùm, ſuo honori prouidens, miſſam fecit rationem hanc ridiculam; & ad recentiora tranſmeans, Dionyſium de tyrannicâ vſurpatione accuſat, & aſſerit, Coronam Luſitanicam ad Catharinam de Medicis, Henrici II. vxorem, pertinuiſſe; ac propterea nunc ad Christianiſſimum Monarcham pertinere.

*Caſſani altera ratio.*

X. Vt probet, Catharinam de Medicis eſſe heredem Regni, multa conglomerat; quæ indigerent examine diligentiore. Aſſerit (pag. 119.) Afonſum II. habuiſſe duos Filios ex Vrracâ vxore, nempe Sancium & Afonſum. Addit, Afonſo II. ſucceſſiſſe Sancium, &, poſt huius obitum, habenas Regni ſuſcepiſſe ipſius fratrem Afonſum, huius nominis Tertium. Subiungit, hunc Afonſum III. ex Mathilde Boloniæ Comitiſsâ habuiſſe duos Filios, Petrum & Robertum: quorum ille obijt Vlyſſippone, hic ſucceſſit Matri in Comitatu; non tamen Patri in Regno: fuit enim iniuſtè excluſus à Dionyſio notho Afonſi III. ex Beatrice, filiâ naturali Alfonſi cognomento Sapientis, quam duxerat Afonſus Rex ſuperſtite Mathilde; ac propterea Matrimonio inualido. A Roberto proueniunt omnes Boloniæ Duces; ex quibus Catharina de Medicis Regina Chriſtianiſſima. Omitto alia quæ inutiliter coniungit; quæ eſſet ineptum impugnare, ſuperuacaneum recenſere.

XI. Primò, Afonſum III. poſt Sancij mortem Coronam ſuſcepiſſe, falſum eſt: ſuſcepit enim duobus annis ante obitum Sancij, hunc iniuſtè deponens. Teſtantur bella Sancij & Afonſi, quorum apud Hiſtoriographos magna eſt memoria: teſtatur hodie cadauer ipſius Sancij; qui, vt Libro I. diximus, denatus fuit exul in Caſtellâ. Huic errori ſimiles habet plurimos, qui publicant, hunc hominem hiſtoriam, de quâ diſſerit, numquam legiſſe.

*Caſſani error pag. 119. Afonſe III. du nom, qui regna apres la mort de ſon Frere.*

Secundò,



Secundò, Robertum Boloniæ Comitem non fuiſſe Filium Mathildis, ſuprà, cùm de Afonſo III. agerem, non ſolùm oſtendi, ſed & demonſtraui. Catharina de Medicis me demonſtrante non eſt oriunda ex Luſitanorum Regum progenie; ac propterea nullo titulo adſpirare potuit ad Regnum Portugalliæ. XII.

*Libr. 1.*

## ARTICVLVS III.

*Etiam ſi Catharina Galliæ Regina habuiſſet legitimum ius ad Coronam Regni Luſitanici, tenebitur Caſſanus confiteri, hoc Regnum non ad Chriſtianiſſimum, ſed ad Catholicum Monarcham ſpectare.*

IAm ad meam antiquam ſuauitatem redeo, qui hucuſque aſperior, ſed leuitas Caſſani in cauſsâ. Catharina de Medicis, Henrici II. Vxor, Regina Portugalliæ aſſeritur: eſto; quid inde? infert Caſſanus, Ludouicum Iuſtum eſſe Monarcham Portugalliæ: *Non obſtant toutesfois cete vſurpation*, ait, *les droicts & les pretenſions de la Reyne Catherine ſur le Royaume de Portugal, furent tranſmis aux Roys de France ſes enfans, & à la Reyne Marguerite, derniere de ſa Maiſon; par la quelle le Roy heureſement regnant a eſté inſtitué heritier general & vniuerſel; qui par ce moyen a recueilly tous les droicts qu' elle & les Comtes de Boulongne auoient tant ſur le Royaume de Portugal, que ſur tous leurs biens, terres & Seigneuries.* Vt peregrinis ſeruirem, nonnumquam Latinitate donaui clauſulas Luſitanicas; modò, vt noſtris faueam, ero interpres Caſſani: *Non obſtante vſurpatione huiuſmodi, ius, quod habebat ad Regnum Luſitaniæ Regina Catharina, fuit tranſmiſſum ad filios ipſius, Franciſcum II. Carolum IX. & Henricum III. Galliæ Reges, &, poſt eorum obitum, ad Reginam Margaretam huius genealogiæ vltimam, quæ inſtituit in heredem ex aſſe Ludouicum Regem: vnde is recepit totum ius quod Margareta & Bolonienſes Comites habebant non ſolùm ad Luſitaniæ ſceptrum, ſed etiam ad reliqua bona, quæ cenſentur pertinuiſſe ad Afonſum III. Regem Luſitanorum.* Vt meliùs percalleas veritatem, proderit Genealogiam Gallicæ domus intueri. XIII.

*Caſſanus pag. 156.*

Aaa 2 GE-

# GENEALOGIA REGVM GALLIÆ.

- S. Lvdovicvs Rex Franciæ.
  - Philippus IV. Audax Franciæ Rex.
    - Ludouicus.
    - Philippus Pulcher Franciæ & Nauarræ Rex.
      - Ludouicus X. Franciæ & Nauarræ Rex.
        - Ioannes I. Franciæ & Nauarræ Rex.
      - Philippus V. Longus Franciæ & Nauarræ Rex.
    - Carolus Comes Valeſius.
      - Philippus VI. Rex Franciæ.
        - Ioannes II. Rex Franciæ.
          - Carolus V. Sapiens Rex Franciæ.
            - Carolus VI.
              - Carolus.
              - Carolus.
              - Ludouicus.
              - Ioannes.
              - Carolus VII. Rex Franciæ.
                - Ludouicus XI. Galliarum Rex.
                  - Ioachimus.
                  - Carolus VIII. Franciæ Rex.
            - Ludouicus Francus Dux Aurelienſis.
              - Carolus Dux Aurelienſis.
                - Ludouicus XII. Rex Franciæ.
                  - Claudia Franciæ Regina.
                    Coniuges.
              - Ioannes Aurelienſis Comes Angoleſmenſis.
                - Carolus Comes Angoleſmenſis.
                  - Franciſcus I. Franciæ Rex.
                    - Franciſcus Delphinus.
                    - Henricus II. Rex Franciæ duxit Catharinam de Medicis; quæ dicitur à Caſſano Regina Portugalliæ.
                      - Franciſcus II. Franciæ Rex.
                      - Carolus IX. Franciæ Rex.
                      - Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex.
                      - Franciſcus Francus Dux Andegauenſis & Alençonius.
                      - Iſabella vxor Philippi II. Hiſpaniarum Regis.
                        - Isabella-Clara-Evgenia Alberti Archiducis Vxor, mater pauperum, & fautrix litterarum.
                      - Claudia Lotharingiæ Duciſſa.
                      - Margareta Regina.
                        Coniuges.
  - Ludouicus I. Dux Bourbonius.
    - Ioannes Comes Marchiæ.
      - Ludouicus Bourbonius Comes Marchiæ.
        - Ioannes Bourbonius Comes Vindocinenſis.
          - Franciſcus Comes Vindocinenſis & S. Pauli.
            - Carolus Bourbonius Dux Vindocinenſis.
              - Ludouicus Comes Marlenſis.
              - Antonius Bourbonius Comes Vindocinenſis.
                - Henricus Dux Bellomontenſis.
                - Henricus IV. cognomento Magnus, Franciæ & Nauarræ Rex. Habuit duas vxores, nempe Margaretam Henrici II. Regis Filiam: ex quâ non habuit proles, & ob id duxit ſecundam Mariam de Medicis.
                  Coniuges.
                  Maria de Medicis ex Florentiæ Ducibus.
                  - Ludouicus XIII. cognomento Iuſtus, Franciæ Rex.
                  - N. Dux Aurelienſis.
                  - Gaſton Dux Aurelienſis.
                  - Iſabella Regina Hiſpaniæ.
                  - Chriſtina Princeps Pedemontana.
                  - Henrica Maria Regina Angliæ.
                - Ludouicus Carolus Comes Marlenſis.
                - Catharina Duciſſa Barenſis.
              - Franciſcus.
              - Ludouicus.
              - Carolus.
              - Ioannes.
              - Ludouicus Princeps Condæus.
              - Maria.
              - Margareta.
              - Magdalena.
              - Catharina.
              - Renéa.
              - Leonora.
            - Iacobus.
            - Ludouicus.
            - Franciſcus.
            - Antonia.
            - Ludouica.
          - Ludouicus Princeps Rupis ad Ionam: à quo Duces Montpenſierienſes.
          - Ioanna.
          - Catherina.
          - Ioanna.
          - Carlotta.
          - Renéa.
          - Iſabella.

*Filiorum Catharinæ de Medicis obitus legitimè determinati.*

XIV. IVs non tranſmittitur in heredem ante mortem politicam aut naturalem; quia heres habet præſens ius in rem futuram, poſſeſſor ſolus habet præſens ius in re præſenti. Vt quiſpiam litiget, debet habere ius in rem præſentem. Ergo ante Catharinæ de Medicis obitum (quæ diſputationis gratiâ conceditur Regina Portugalliæ) nemo habuit ius in Regnum Portugalliæ. Determinemus igitur dies in quibus ſinguli fuerunt denati.

Henricus II. Franciæ Rex obijt anno M.D.LIX. Ita Scheuola & Ludouicus de S.Marthâ *Tom.*I. *Hiſt. domus Franciçæ libr.*10. *c.*5. Iacobus Aug. Thuanus *Hiſt. ſui temporis Tom.*I. *libr.*22. Genebrardus *in Chronico,* Ioannes du Tillet *in Epitome Regum Franciæ & in Chronico,* Heluicus *in Theatro Hiſt. tab.*38.

Catharina de Medicis obijt V. Ianuarij anni M.D.LXXXIX. teſte Scheuolâ & Ludouico de S.Marthâ *libr.*10. *c.*5. Thuano *in Hiſt. ſui temp. Tom.*IV. *libr.*94. Petro Victore Palma Caietano *in Appendice ad Chronologiam Genebrardi*, Ioanne du Tillet *in Chronico.*

Franciſcus II. Franciæ Rex obijt anno Domini M.D.LX. Scheuola & Ludouicus *libr.*10. *cap.* 6. Thuanus *Tom.* I. *libr.*26. Genebrardus *in Chronico,* Ioannes du Tillet *in Epitome Regum Franc. & in Chronico,* Heluicus *in Theatro Hiſt. tabul.*38.

Carolus IX. Franciæ Rex denaſcitur anno M.D.LXXIV. aſſerentibus Chriſtophoro Heluico *vbi ſuprà*, Scheuolâ & Ludouico de S.Marth. *ibidem, cap.*7. Thuano *Hiſt. Tom.* II. *libr.*57. Ioanne du Tillet *in Chronico & in Epitome Reg. Franc.*

Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex, fugiens ex Poloniâ in Gallias redijt; vbi regnauit quaſi per annos ſedecim, & deuixit die ſecundâ Auguſti anni M.D.LXXXIX. Referunt Heluicus *in Theatro*, Scheuola & Ludouicus de S. Marth. *vbi ſuprà cap.* 9. Petrus Victor Palma Caietanus *in Appendice ad Genebr.* Ioannes Tilletius *in Epitome, & in Chronic.*



Franciſcus de Franciâ, Dux Andegauenſis & Alençonius, denaſcitur anno M.D.LXXXIV. Scheuola & Ludouicus *citati Tom.* I. *libr.* 10. *cap.* 10. Thuanus *Tomo* III. *libr.* 79. Tillet *in Chronico.*

Iſabella Vxor Philippi II. moritur anno M.D.LXVIII. Scheuola & Ludouicus de S.Marthâ *libr.* 10. *cap.* 5. Ioannes du Tillet *in Regum Franciæ Chronico.*

Claudia Lotharingiæ Duciſſa occidit M.D.LXXV. Scheuola & Ludouicus *Tom.* I. *libr.* 10. *cap.* 5.

Margareta Regina, Vxor Henrici IV. obijt anno M.DC.XV. Scheuola & Ludouicus de S.Marthâ *ibidem.*

## OBSERVATIONES.

IN hac Regum ac Principum Gallorum ſerie multa venirent obſeruanda, ſi vellem reprehendere & corrigere errores neotericorum Scriptorum. Aliàs ducam Caſſanum relecturum quæ ſcripſerit, cùm de alijs agam Regnis; nunc me materia & operis argumentum detinet, vt contempler tranſmiſſionem illam iuris, quam Catharina fecit in ſuos Filios Franciæ Reges. Hîc Hiſtoriæ ignarum ſe exhibet Caſſanus, vt vbilibet. Denaſcitur Catharina de Medicis anno M.D.LXXXIX. vt vidimus: Franciſcus & Carolus obierant ante Matrem; & ſubinde non reliquit poſt ſe Filios Reges, ſed Filium & Filiam, nempe Henricum III. Franciæ actualiter Regem, & Margaretam, quæ poſteà fuit Regina. Errat igitur Caſſanus *pag.* 157. affirmans, Catharinam ius in Filios Reges & Margaretam tranſmiſiſſe. *Caſſani error.* XV.

XVI. Cautior hac admonitione ſe corrigat; & argumentum ſuum

ſuum maritans veritati Hiſtoricæ, oſtendat mihi obſecro, quo tramite ius hoc Luſitanici ſceptri tranſmiſſum fuerit in Ludouicum XIII. Regem Galliarum.

Reſpondebit ſic: Catharinæ de Medicis heres fuit Henricus III. qui Franciæ, Poloniæ, & Portugalliæ Rex. Habuit Gallicæ Coronæ poſſeſſionem: reſpectu Coronæ Luſitanicæ & Polonicæ habuit ius in rem, non in re. Omittamus Poloniæ Regnum; in quo, poſt Henrici fugam, creatur Monarcha Stephanus Bathori Tranſiluanus anno M. D. LXXXVI. teſte Heluico *in Theatri Hiſtorici tabulâ* XXXVIII. quia liberum fuit eis quemcumque alium eligere poſt clandeſtinum diſceſſum proprij Regis. Veniamus ad Regna Galliæ & Luſitaniæ: quorum vtrumque, ſi Caſſani rationes ſequamur, debetur noſtro Regi Catholico. Henrico III. in Regno Luſitanico ſucceſſit Margareta, ait Caſſanus, quæ fuit vxor Henrici IV. Patris Chriſtianiſſimi Regis Ludouici.

XVII. *Caſſanus pag.* 122. Margarite, qui a laiſſé le Roy heureuſement regnant ſon heritier. *& pag.* 157 Par laquelle le Roy heureuſement regnant a eſté inſtitué heritier general.

Occurro ſtatim: Ludouicus non eſt Filius Margaretæ; ac propterea nec à Reginâ Catharinâ oriundus. Reſpondet tamen, Margaretam, cùm denaſceretur, totum ius, quod habebat, ceſſiſſe Ludouico tertio decimo huius nominis Galliarum Regi.

Doceri nihiloſeciùs vellem; Vtrùm Regna & Maioratus poſſint legari in Teſtamento. Magiſtrum, Caſſane, in præſentiarum agis; me hodie tuum profiteor diſcipulum. Eſto, Regna legentur vltimâ voluntate. Ergo ex hac hypotheſi demonſtratiuè ſequitur, te, Me, & Luſitanos habere vnicum Regem, nempe Philippum IV. Habear ineptiſſimus Dialecticus, ni demonſtrauero. Henrici III. non fuit heres in Galliâ Henricus IV. ſicut neque Margareta in Luſitaniâ; ſed in vtroque Regno fuit heres Iſabella Clara Eugenia Hiſpaniæ Infans, & ſelectiſſima Archiducis Alberti Coniux. Ipſa repræſentabat Iſabellam ſuam Matrem, Henrici III. ſororem, Vxorem Philippi II.

Bene-



XVIII. Par droit de repreſentation, *ait*, elle le deuoit emporter ſur les autres.

Beneficium repræſentationis recenſet Caſſanus *pag.* 152. & admittit ſummâ cum latitudine *pag.* 120. *& alibi*: vbi vult, Catharinam de Medicis, potiùs quàm alium ſucceſſorem Roberti Bolonienſis Comitis, eſſe heredem Regni Portugalliæ; quia ipſa proceſſit per lineam rectam primogenituræ. Atqui Infans Iſabella eſt filia Iſabellæ Reginæ Hiſpaniæ filiæ natu maioris Margaretâ: ergo ipſa debuit anteponi ipſi Margaretæ: ergo non Margareta, ſed Infans Iſabella debebat aſſeri Regina Portugalliæ.

XIX. D. Philippes, *ait pag.* 150. n'auoit pas auſſi grand droit ſur le Royaume de Portugal, pour eſtre le plus eſloigné de tous les Princes qui y pretendoient.

Confirmo meum intentum, atque ſimul ex Caſſani verbis demonſtro. Nullus fuit qui haberet minus ius, ait, quàm Philippus Rex, qui comparatus cum Principe Parmenſi deberet illi cedere; quia Rainutius deſcendebat ab Emanoële Rege per filium Eduardum, qui deberet præponi Philippo Regi & Iſabellæ matri ſuæ. Legar igitur cum attentione. Iſabella filia Emanoëlis & ipſius heres Philippus Rex debent poſtponi Rainutio Principi Parmenſi; quia is deſcendit ab Eduardo Fratre Iſabellæ, qui deberet præponi ipſi Iſabellæ. Eſto. Atqui, mi Caſſane, Iſabella Alberti Vxor eſt filia Iſabellæ quæ debet præcedere Margaretam, vtpote natu maior: ergo, te iudice, noſtra Iſabella Hiſpaniæ Princeps debuit præponi Margaretæ, & eius heredi Ludouico. Ergo Iſabella, ex tuis principijs, debet potiùs aſſeri Regina Portugalliæ, quàm Ludouicus Rex.

Hæc Infans in Teſtamento ſuo omnia quæ habebat in re vel in iure, legauit Philippo IV. Regi Hiſpaniæ: ergo tuo argumento conuincitur, hunc eſſe legitimum & verum Luſitanorum Regem; ſupponis enim tamquam ratum, Regna legari poſſe.

## ARTICVLVS IV.

*Regem Catholicum Philippum IV. non autem Ludouicum eſſe legitimum Caroli Magni heredem, ac propterea verum Monarcham Galliæ, ex fundamentis Caſſani demonſtratur.*

XX. *Idem eſt Galliarum & Luſitaniæ Rex ex Caſſani ſententiâ:* Coniunxit vir Clariſſimus Iacobus Caſſanus Luſitaniam & Galliam: aſſerüit, vtramque ad vnum ac eumdem Regem pertinere: vnus ergo & idem eſt, ſi Caſſano credimus, Galliæ & Hiſpaniæ Rex. Ciuilitatem magnifacio; & ideò, qui plurima Caſſano conceſſi, hoc vltimum cur negem? Totam Hiſpaniam pertinere ad Regem Galliæ affirmat? aſſentior, ei ſubſcribo. Glorior me eſſe ſubditum Regis Galliæ, atque Caſſano haud diſſimilem in opinionibus. Ergo, Caſſane mi, cùm tandem tecum conueniam in quæſtionis ſubſtantiâ, & mihi perſuaſeris, eumdem virum eſſe Regem Galliæ & Luſitaniæ; liceat mihi per te ex tuis principijs vnam tantummodò examinare circumſtantiam: nempe, Quiſnam ſit ille, qui ſimul ſit Galliæ & Luſitaniæ Rex.

XXI. Magnus Carolus habuit imperium quale Aroyus deſcripſit. Poſt generationes aliquot fuit Gerberga, Vxor Lamberti, Comitis Brabantiæ & Louanij, heres Coronæ Gallicæ; ac propterea Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, qui eſt heres legitimus ipſius Gerbergæ. *nempe Rex Catholicus.* Ergo Rex Catholicus eo iure, quo eſt Dux Brabantiæ, eſt etiam Franciæ Rex. Fuit Gerberga Filia Caroli, & Ludouici Vltramarini Regis Galliarum Neptis.

XXII. Ecce breuibus verbis Rex Catholicus Caroli Magni legitimus heres demonſtratur. Caſſanus, vt poſſit ſaltem verbis videri quæſtioni ſatisfacere, ad legem Salicam appellat; quam tamen non oſtendit, nec certâ aliquâ ratione confirmat. Certè Salicam legem chimæricam eſſe dilucidè demonſtrauit Armacanus in Marte Gallico: optimè



optimè eam refutat Zypæus contra Caſſanum. Sed ne ipſi quidem Galli poterunt lege Salicâ vti, vt ius Hugonis Capeti tueantur. Excluſâ Gerbergâ, Hugo Capetus Regno præficitur, qui, teſtibus Scheuolâ & Ludouico de S. Marthâ *in Hiſt. Domus Franc. libr.* 5. *cap.* 4. *&* 5. per feminam & illegitimum ad lineam Carolinam reducitur. Conſidera Gerbergæ & Hugonis Capeti Anteceſſores.

# REGVM CATHOLICI ET CHRISTIANISSIMI
## GENEALOGICA DEDVCTIO EX CAROLINA STIRPE.

**Carolvs Magnvs** Franciæ Rex, & Imperator, duxit Hermengarden de Lombardiâ: repudiauit, & duxit Ildegarden filiam Hildebrandi Ducis: tertiò, Faſtradam filiam Radulphi Comitis: quartò, Luthgarden filiam Friderici. Obijt 28. Ianuarij ann. 814.

- *Ex primâ vxore* nullus.
- *Ex ſecundâ,*
  - Carolus Alemaniæ Rex.
  - Pipinus Rex Italiæ: obijt ſine prole legitimâ anno 810. Iulij 8.
  - Ludouicus Bonus, Imperator & Rex Franciæ.
    - *Ex primo matrimonio,*
      - Lotharius Imp. & Rex.
      - Pipinus Rex Aquitaniæ.
      - Ludouicus Rex Germaniæ, Bauariæ, Vngariæ, &c.
    - *Ex ſecundo matrimonio,*
      - Carolus Caluus Rex Franciæ, Italiæ, Burg. Lothar. & Imperator. Duxit Ermen filiam Bodonis Comitis, & poſteà Richildin ſororem Boſonis Regis Prouinciæ. Obijt anno 877.
        - *Ex primâ vxore,*
          - Ludouicus Balbus, Imperator & Franciæ Rex. Duxit Anſgardam, & pòſt Aleidem. Obijt 11. Aprilis anno 879.
            - *Ex primo matrimonio,*
              - Ludouicus Rex Franciæ: obijt menſe Auguſt. anni 882.
              - Carlomannus Rex Franciæ: obijt Decembr. 884.
            - *Ex ſecundo matrimonio,*
              - Carolus Simplex Franciæ Rex: duxit primò Freduinam, ſecundò Otginam ſororem Eduardi Regis Angliæ. Obijt 7. Oct. ann. 929.
                - *Ex primo matrimonio,*
                  - Giſla, Rollònis Ducis Northmandiæ vxor.
                  - Alij filij.
                - *Ex ſecundo,*
                  - Ludouicus Vltramarinus Franciæ Rex. Duxit anno 939. Gerbergam Saxonicam filiam Henrici I. Cæſaris, Viduam Giſleberti Lotharingiæ Ducis. Obijt 15. Oct. ann. 954.
                    - Lotharius Rex Galliæ, natus anno 940.
                    - Carlomannus, natus anno 947. obijt 954.
                    - Ludouicus.
                    - Carolus, natus anno 953.
                      - Gerberga vxor Lamberti Comitis Brabantiæ & Louanij, qui obijt in prælio anno 1015. Hæc fuit legitima Regni Gallici heres. Ab hac per lineam legitimæ hereditatis procedit........ **Philippvs** cognomento Magnus, Hiſpaniarum, atque etiam ex Caſſani principijs Galliarum Rex. Hodie anno 1639. ſupereſt, quem Deus nobis conſeruet longos annos.
                    - Henricus ſimul natus cum Carolo.
                    - Mathildis.
                    - Ermentrudis.
                    - Alberada.
                    - Iliardis.
          - Lotharius Abbas.
          - Carolus.
          - Carlomannus cæcus.
          - Iuditha vxor Etelulphi Regis Angliæ; & poſteà Balduini Comitis Flandriæ.
          - Rothilidis.
        - *Ex ſecundâ vxore,*
          - Ludouicus.
          - Carolus.
  - Lotharius ex eodem partu cum Ludouico natus.
  - Rotrudis.
  - Giſla monialis.
  - Hildegardis.
  - Adeleiſa.
  - Bertha.
  - Landrada.
- *Ex tertiâ vxore,*
  - Thedrada Abbatiſſa.
  - Iltrudis.
- *Ex pellice N.*
  - Hugo cognomento Magnus, Burgundiæ Dux, Abbas S. Martini Turonenſis.
    - N. filia Hugonis, vxor Roberti Saxonis.
      - Robertus Fortis, Dux & Marchio Franciæ.
        - Vdo Rex Franciæ.
          - Arnoldus Rex Aquitaniæ.
        - Robertus III. Dux Franciæ. Coronatur poſteà primus huius nominis Rex.
          - Hugo Magnus, Dux Franciæ, Comes Pariſienſis.
            - Hugo Capetus Rex Franciæ. Coronatur, illegitimè exclusâ Gerbergâ Regni herede. Ab Hugone Capeto orti ſunt vltimi Reges Franciæ, vſque ad .......................... **Lvdovicvm** XIII. cognomento Iuſtum, Galliarum Regem.
          - Emma Regina Galliæ.
          - Hildebrantia Veromanduorum Comitiſſa.
        - N. Filia.
      - Hugo cognomento Abbas, Dux Franciæ.
    - Perenilla, vxor Turtuli Comitis Gaſtinenſis.
      - Ingelgerus Comes Gaſtinenſis.
        - Focas Rufus Comes Andegauenſis.

XXIII. *Lex Salica prorſus chimarica.* Ecce lex Salica non admittitur ab Hugone Capeto, à quo Ludouicus Iuſtus, qui eſt hodie Chriſtianiſſimus Rex: quia ſi ſeruaretur lex Salica, iniuſtè promoueretur Hugo, qui per Magni Caroli neptem reducitur ad lineam Carolinam. Semel excluſâ lege Salicâ, quam excludere debet Caſſanus vt faueat Hugoni, non iam Regnum ad ipſum, ſed ad Gerbergam pertinet; & remanet is tyrannicus ſceptri vſurpator.

XXIV. *In materiâ Regni non eſt admittenda præſcriptio.* Nec iuuat ad præſcriptionem recurrere; tum quia hanc in Regni materiâ vix admitto; tum etiam præcipuè, quia nec eam admittit Caſſanus, contra quem ago: dicit enim citati Operis libr.1. cap.3. pag.145. *La preſcription n'a point de lieu contre les Roys.* Ergo Capetus Coronam vſurpauit, & eius ſucceſſores non potuerunt contra Brabantiæ & Louanij Comites præſcribere.

XXV. *Concluſio.* Ecce, Domine Caſſane, Regem Catholicum legitimum & verum Magni Caroli heredem: ſi huius Imperatoris iuriſdictio ad legitimum heredem delata eſt, vt aſſeruit Arroyus, cui ſubſcribis, omnia quæ ad Caroli Magni imperium pertinuerunt, te iudice, non iam ad Ludouicum XIII. ſed ad Catholicum Regem Philippum IV. pertinent.

## ARTICVLVS V.

*Ex hypotheſi, quòd excluſâ lege Salicâ Hugo Capetus fuerit legitimus Galliarum Rex, non ad Henricum IV. ſed ad Iſabellam Hiſpaniæ Principem Gallicum ſceptrum pertinuiſſe; atque ex Caſſani mente nunc ad Catholicum Regem pertinere.*

XXVI. *Coronatur Hugo Capetus contra legem Salicam.* CApetus, qui per neptem Magni Caroli reducitur ad lineam Regum, docuit nos, non admittendam eſſe legem Salicam. Oſtendi, doctus à Caſſano, illum intruſum fuiſſe; hereditate iniuſtè Gerbergam, ac propterea noſtrum Philippum IV. exſpoliaſſe. Volo adhuc concedere exercendæ mentis gratiâ, Capetum fuiſſe legitimum Galliæ Regem;



Regem; ac Catholicum Regem non habere ius in Galliam, quà Gerbergæ atque Lamberti ſucceſſorem. Dubito, an mortalium aliquis Iſabellam Alberti Vxorem, atque Philippi II. Filiam, legitimè valeat excludere à Galliæ Coronâ. Dubito, vtrùm ſaltem Caſſanus ex ſuis principijs poſſit defendere, non deberi Catholico Regi ſceptrum Galliæ.

Obijt anno M. D. LXXXIX. Henricus III. non reliquit poſteros: in Galliâ de ſucceſſore tractabatur. Adſpirauit Henricus conſanguineus quaſi vndecimo gradu vltimi poſſeſſoris. Conſidera ſtemma genealogicum. XXVII.

- S. LVDOVICVS Rex Galliæ.
  - Philippus IV. Franciæ Rex: à quo nonâ generatione prouênit
    - Henricus II. Franciæ Rex duxit Catharinam de Medicis.
      - Henricus III. Franciæ & Poloniæ Rex.
      - Iſabella Vxor Philippi II. Hiſpaniæ Regis.
        - ISABELLA Clara Eugenia Hiſpaniæ Infans.
  - Ludouicus Dux Bourbonius: à quo ſeptimâ generatione proceſſit
    - Henricus IV. cognomento Magnus: qui, excluſâ Iſabellâ Clarâ Eugeniâ, coronatur Rex.

Vltimus Regni poſſeſsor fuit noſtræ Iſabellæ Auunculus, Henrico Bourbonio affinis remotiſſimus; Henrico igitur præponi debuit Iſabella. Hæc ratio, ſublatâ lege Salicâ, contra omnes conuincit.

Addo contra Caſſanum: Regna, vt is aſſerit, poſſunt legari in Teſtamento: ergo Iſabella, quæ ſublatâ lege Salicâ erat legitima Regina Galliæ, potuit hanc Coronam relinquere cui vellet: atqui legauit Catholico Philippo IV. ergo is ſit legitimus Galliarum Rex. Minorem probo: quoniam Philippus fuit Iſabellæ ex aſſe heres. Nec valet dicere, in Teſtamento Iſabellæ non reperiri expreſſam clauſulam Regnum Galliæ legantem noſtro Regi Catholico: tum quia, cùm aliquis inſtituitur heres vniuerſaliter, ſingularum rerum eſt heres, licet ſingulæ non exprimantur; tum etiam (& hoc à Caſsano ſumo argumentum efficacius) quia XXVIII. *Illatio ex doctrinâ Caſſani.*

quia aſſeritur ab hoc Auctore Ludouicus XIII. Rex Portugalliæ, eò quòd fuerit Margaretæ ex aſſe heres: ergo ſimili ratione Infans Iſabella Auſtriaca legauit Philippo IV. Galliæ Regnum, cùm illi legauit omnia ſua. Hac ratione Caſſanum torqueo, & cogo confiteri quod nec ego ſentio; vt videant Galli, quanti faciendus ſit Primarius Aduocatus, qui talia effutit, vt cogatur aut non ſtare conceſſis, aut plura contra Chriſtianiſſimum dicere, quàm Hiſpani aſſerimus, qui credimur illorum hoſtes.

### CONCLVSIO.

XXIX. OMiſſis igitur Caſſani aſſertis ſe mutuò debellantibus, ex veritatis viſceribus hæ naſcuntur aſſertiones veriſſimæ.

I. *Catharina de Medicis, Regina Chriſtianiſſima, non prouenit à Luſitaniæ Regibus, ac propterea non eſt Portugallenſium Regina.* Demonſtraui Libr. I. cùm de Afonſo III. diſputarem.

II. *Si hæc Chriſtianiſſima Virago fuiſſet Regina Portugalliæ, ſuccederet ipſi Henricus III. & poſt hunc Auſtriaca Iſabella.* Oſtendi Art. III. huius Diſputationis.

## DISPVTATIO VI.

### *Vtrùm Dominus Rainutius Parmæ Dux habuerit ius ad Regnum Luſitaniæ.*

I. *Eduardus Emanoëlis Filius.* EMANOEL Luſitanorum Rex habuit Filium Eduardum, qui duxit Iſabellam Theodoſij Ducis Bargançæ Filiam. Ex hac ipſi Eduardo naſcitur Maria, quæ ducitur ab Alexandro Farneſio Parmæ Principe, atque Placentiæ Duce. Horum Filius Primogenitus eſt iſte Princeps Rainutius, prætenſor Coronæ Luſitaniæ.

II. Rationibus pro Chriſtianiſſimâ Reginâ allatis ſatisfeci, &, vt vidiſti, demonſtratiuè: immediatè ad arenam iudiciariam



ciariam Principem Rainutium prouoco; vrbanitas enim, quam magni facio, dictat, vt primò ſatisfiat & exteris & peregrinis.

Non erit neceſſarium in huius controuerſiæ examine diutiùs hærere; quia potiora inferri euidenter poterunt ex diſputatis. Proderunt Theoremata ſequentia.

### THEOREMA I.

*DOminus Rainutius, quà Filius Filiæ, non eſt inhabilis vt ſuccedat Regi Cardinali Henrico in Regno bellipotentis Luſitaniæ.* III.

Multi ſunt hodie in eâ ſententiâ, vt credant, à Portugalliæ ſceptro mulieres eliminari. Hi conſequenter tenerentur aſſerere, Dominum Rainutium in nullo caſu potuiſſe ſuccedere Monarchæ Henrico: quia ſi potuiſſet ſuccedere, maximè propter ſuam Matrem; atqui hæc nullum habebat ius ad Regnum Luſitaniæ, ergo nec Dominus Rainutius. *Mulieres non excluduntur à Regno Luſitaniæ.*

Hæc hypotheſis non ſolùm hunc à Regno excluderet, ſed & Dominam Catharinam, quà Feminam; & Catholicum Regem, nec non Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem: vterque etenim adſpirabat ad Regnum ratione Matrum: hic enim naſcitur ex Beatrice, ille ex Iſabellâ, Filiabus Emanoëlis Regis. IV.

Ceterùm, hoc titulo nemo excludendus eſt à Regno: probaui ſiquidem ex Luſitanis legibus atque receptis vſibus Feminas poſſe ſuccedere in Regno Portugalliæ. Vide ſuprà Diſputatione ſecundâ, Quæſtione primâ, per totam.

### THEOREMA II.

*REgnum Luſitaniæ non defertur ad Poſteros iure ſanguinis.* V.

Id demonſtraui ſuperiùs eiuſdem Diſputationis ſecundæ Quæſtione tertiâ, Articulo primo, per totum.

## THEOREMA III.

VI. E*Tiamſi Regnum Luſitaniæ deferretur ad Poſteros ſanguinis iure, non debuiſſet Dominus Rainutius adſpirare ad illud.*

Demonſtro ſic. Iure ſanguinis heres eſt Regni, qui propinquior Magno Regi Emanoëli, ac per hunc Principi Inſtitutori. Atqui Dominus Rainutius plus diſtat à primo Inſtitutore quàm reliqui; igitur iure ſanguinis non poteſt adſpirare ad hoc ſceptrum. Minorem euidenter elicio. Excluſâ Chriſtianiſſimâ Reginâ Catharinâ, quam nullo potuiſſe iure Coronam huius Regni prætendere, clariſſimè ſecundâ Diſputatione probauimus; collitigantes reliqui ſunt Nepotes Altiſſimi & Inuictiſſimi Emanoëlis Regis, ſolus Rainutius Neptis Filius: ergo Dominus Rainutius plus ab Emanoële, ac perinde à primo diſtat Inſtitutore, quàm Rex Catholicus, Sabaudiæ Dux, & Infans Catharina; quod fuerat demonſtrandum.

## THEOREMA IV.

VII. H*Æc Regna deferuntur ad Poſteros iure hereditario.*

Probo ſic. Non deferuntur iure electionis, vt demonſtraui Diſp.1. Quæſt.1. Art.2. per totum. Non iure ſanguinis, vt Theoremate II. huius Diſput. & Diſp.2. Quæſt.3. primo Articulo demonſtrabamus: ergo ſupereſt ius hereditarium. Quamlibet hæc vnica probatio ſufficeret, vt aſſentires Theoremati præpoſito; probaui poſitiuè hoc Regnum ad poſteros venire hereditario iure, relegendus Diſp.1. Quæſt.1. Art.2. Ceterùm, vt eamdem veritatem iterùm probem, citabo Legem 13. cuius meminit Coſta *de Succeſſ. Regn. pag.* 131. incipientem ſic: *Que auendo reſpeito aas duuidas, que muitas vezes ſe mouian ſobre a ſocceſſam dos Morgados, & bens vinculados, ſe ſoccederà o parente mais chegado a o primero inſtituidor, ſe o mais chegado a o vltimo poſſuidor?* * * * * * *Hei por bem, & me praz, que daqui em diante nos Morgados, & bens vinculados de qualquer qualidade ſocceda o parente mais chegado a o vltimo Poſſuidor, quando o primeiro inſtituidor o não declarar, ou diſpoſer em outra maneira.* Quæ legis verba poterunt donari Latiniſmo ſic: *Conſideratis dubijs examinantibus, vtrùm in bonis vinculatis & Maioratibus debeat ſuccedere, qui propinquior fuerit primo inſtitutori, an vltimo Poſſeſſori?* * * * * *Decerno, & indico, vt in poſterum in ijſdem bonis vinculatis aut Maioratibus quibuſlibet ſuccedat ille, qui propior vltimo poſſeſſori, niſi fortè inſtitutor diſpoſuerit contrarium.* Ergo hereditario, & non ſanguinis iure ſuccedunt poſteri in Regno Luſitaniæ. Conſonat Lex 9. tit.1. Part.2. nempe: *Hereda los Reinos el Fijo mayor, o alguno de los otros, que ſon mas propincos parientes a los Reyes al tiempo de ſu finamiento.* hoc eſt: *Succeſſor ſufficitur in Regnis Filius maior, aut alius qui propinquior fuerit Regi cùm deuiueret.* Item Lex 2. tit.15. Part.1. *Debe heredar el Reyno el mas propinco pariente, que ouieſe.* ſcilicet: *Debet ſuccedere in Regno propinquior, & non alius.*



## THEOREMA V.

O*Mnes Regiæ Coronæ Candidati, propinquiores ſunt Regi Henrico vltimo Poſſeſſori quàm Dominus Rainutius.* VIII.

Demonſtratur. Rex Catholicus, atque Sabaudiæ Dux erant Sororum Filij, Infans Duciſſa Catharina Filia Fratris, Dominus Rainutius Fratris non Filius, ſed Nepos; ergo & remotior erat ab Henrico quàm reliqui. *Rainutius remotior omnibus.*

Ex his principijs formo fortiſſimum Analogiſmum. Ille ſuccedit hereditario iure, qui eſt affinior vltimo Poſſeſſori, *tex. in princ. Inſt. de Legit. agnat. ſucceſſ.* atqui reliqui collitigantes ſunt Fratris ſiue Sororum Filij, & ideò ſunt in tertio gradu, *l. Iuriſconſultus. §. tertio. ff. de Gradibus. §. tertio. Inſtit. eodem.* & Dominus Rainutius eſt Fratris Nepos, ac propterea eſt in gradu quarto, *d. l. Juriſconſultus. §. quarto. text. in quarto. Inſt. eodem.* ergo Dominus Rainutius poſtponendus eſt reliquis. IX.

X. *Obiectio.* Dicis pro Domino Rainutio, ipſum titulo Repræſentationis induere perſonam Matris ſuæ Mariæ, Sororis Infantis Catharinæ, verùm maioris natu; ac ideò præferendum eſſe Infanti Catharinæ, quia agit perſonam ſuæ Matris: quæ reuerà, ſi ſupereſſet ſorori, eſſet prælata, quia maior natu. *l. vltim. ff. de Fide inſtr.* Subiungis: Dominus Rainutius ex Repræſentationis beneficio præfertur Dominæ Catharinæ: atqui hæc potiore iure ad Regnum adſpirat quàm Monarcha Catholicus, atque Sabaudiæ Dux; ergo Dominus Rainutius à fortiori reliquis omnibus præponi debet.

XI. Audiui, ſed breuiter ſatisfacio. Dico: Repræſentationis beneficium vt plurimùm conceditur Filijs Fratrum vltimi Poſſeſſoris. *§. ſecundo. Inſt. de Gradib.* cumque D. Rainutius non ſit vltimo Poſſeſſori Filius Fratris, ſed Fratris Nepos, non poteſt ſceptrum prætendere ex Repræſentatione. Addo, ex Repræſentationis beneficio reliquos propinquiores fieri, D. Rainutium non item. Ratio eſt: Quia cùm huic non faueat Repræſentationis beneficium, inde erit quòd remaneat in gradu quarto, reſpectu Poſſeſſoris vltimi. Reliqui erant in gradu tertio, & ratione Repræſentationis conſtituerentur in ſecundo; ergo eſſet magis prolixior differentia.

XII. Condono inſuper, contra Luſitana atque Cæſarea iura Repræſentationis beneficium non ſolùm prodeſſe Fratrum Filijs, ſed & Nepotibus. Inde D. Rainutius conſtitueretur in tertio gradu, quia repræſentaret Infantem Mariam ſuam Matrem; reliqui conſtituerentur in ſecundo, quia repræſentarent ſuos Patres, qui eſſent Fratres Altiſſimi Regis Henrici: ergo ſi D. Rainutius erat in tertio gradu, & in ſecundo reliqui, erat alijs omnibus is poſtponendus. Reliquùm, in quæſtione de Regno beneficium Repræſentationis non cognoſcitur in Luſitaniâ: probaui ſuprà hoc Libro 5. Diſp. 4. Quæſt. 3. num. 90. probabo vberiùs Diſp. vltimâ, Quæſt. 2. per totam.

THEO-



## THEOREMA VI.

*D. Rainutius ex Repræſentationis beneficio non acquirit legitimum ius ad Regnum Portugalliæ.* XIII.

Patet ex his quæ ſuprà diſſerebamus *num.* 10. 11. *&* 12.

## THEOREMA VII.

*IVs Transmiſſionis non poterit D. Rainutio prodeſſe in prætenſione ad ſceptrum.* XIV.

*De iure Transmiſſionis.* Viderant Parmenſes Scholiaſtæ, ſe debuiſſe vel cauſsâ cedere, vel nouam viam ingredi vt ſceptrum Rainutio procurarent: confitentur, illum ſolo titulo Tranſmiſſionis poſſe ſceptrum prætendere, hunc ſufficientem eſſe; ideò argumentabantur hoc modo:

Infans Eduardus, ſi ſuperfuiſſet, debuiſſet præferri huiuſcemodi Prætenſoribus, imò & eorum Matribus, vt de ſe patet. Atqui Eduardus tranſmiſit ius Filiæ ſuæ Primogenitæ iure ſanguinis, *l. vnica. C. de His qui ant. apert. tabul.* & Infans Maria iam Eduardi heres tranſmiſit hoc idem ius Primogenito ſuo Rainutio titulo Suitatis, *text. in l. Apud hoſtes. C. de Suis, & leg.* ergo Dominus Rainutius idem ius habet quod Infans haberet Eduardus, ſi nondum deuixiſſet: Eduardus reliquis debuiſset anteponi; ergo & Rainutius.

XV. *Solutio.* Hæc ratio magis eſt acuta quàm ſolida: vrgere poterit mentes politicas, non legum & iurium cognitione inſtructas & diuites: ſupponit plurima, quæ falſa in omnium opinione. Probaui ſuprà *Diſp.* 1. *Art.* 2. hæc Regna deferri ad poſteros hereditario iure; atque nullus ignorat, neminem poſse tranſmittere hominis ſuperſtitis hereditatem, quamuis ſit ipſe talis, qui ſuffici deberet deuiuenti. *Ex tex. in l.* 1. *ff. de Hered. vel act. vend. l. Neminem.* 27. *ff. de Acquir. hered. iunctâ d. l. Apud hoſtes.* (*ibi*, Patre defuncto) *& d. l. vnica. C. de His qui ant. apert.* (*ibi*, Defuncti.) Præterea, ignorante nemine, qui ſaltem leges à longè ſalutauerit, ad Tranſmiſſionem

miſſionem requiritur hereditatem eſſe defuncti, & ab he-
rede legitimo nondum acceptatam, vt conſtat *ex text. in
l. Si ex pluribus. in princ. ff. de Suis, & leg. d. §. In nouiſſimo.
verſ. Hereditatem.* exque alijs locis, quæ curioſè expendit
Antonius Gomezius *Tom.1. cap.9. à princ.* Hanc regulam
limitatam video priuilegio ſpeciali conceſſo poſteris; ex
cuius vi ſi ſint Heredes *ſui* ipſimet defuncto, poterunt tranſ-
mittere hereditatem ad heredes quoſlibet iure ſuitatis, dum-
modò hereditas fuerit delata, & ipſi nullâ actione viſi ſint
illam acceptaſſe. Conſtat *ex d.l. Apud hoſtes. l.3. C. de Iure
delib.* exque alijs textibus, quos ediſſerit D. Antonius Go-
mez vbi ſuprà *n.20.* Tiraquellus *in Tract. Le mort. p.2. decl.5.
n.22.* Menchaca *lib.1. de Succeſſ. reſ. §. 7. à princ.* Dabo &
ampliationem iſtius Regulæ, quæ apud aliquos commenda-
tur in praxi. Si poſteri non ſunt *ſui* heredes defuncto, etiam
poterunt iure ſanguinis tranſmittere hereditatem ad poſte-
ros, dummodò delatam & acceptatam nondum. Ex *d.l.
vnica. C. de His qui ant. apert. d. §. In nouiſſimo. verſ. Exce-
ptis.* Id declarat acutè Antonius Gomez vbi ſuprà *à nu.41.*
Ceterùm hæc ampliatio limitatur textu *in l. Cùm in anti-
quioribus. Cod. de Iure delib. & in dict. §. In nouiſſimo.* exque
alijs huiuſcemodi, quos recenſet & explicat Antonius
Gomezius vbi ſuprà *num.51.* Tiraquellus *d. decl.5. n.21.* Sed
limitatio quæ? Quòd quicumque heres hereditatem quam-
libet tranſmittat ad ſucceſſorem, dummodò tranſmiſſor
deuiuat ante annum ſupputandum à die in quo hereditas
fuerit delata.

XVI. Volui ius Tranſmiſſionis ex certiſſimis fundamentis
expendere, vt clariùs innoteſceret, non fauere Rainu-
tio. Probo ſic: Quando Eduardus Infans tranſlatus eſt
ad cælitus-empyream vitam, nondum Cardinalis Hen-
ricus fuerat Rex Portugalliæ; hanc igitur tranſmittere
non potuit. Addo: Etiam ſi Eduardus ſub Henrico Re-
ge deuixiſſet, non potuiſſet Regnum tranſmittere, quod
nondum ad eum erat delatum; cumque delatum non
fuiſſet,



fuiſſet, non id poterat tranſmittere iure vel ſuitatis, vel
ſanguinis.

Subiungam dignius quidpiam: Etiamſi Henricus ante XVII.
Eduardum anno incompleto moreretur, & Regnum dela-
tum eſſet ad Eduardum nondum acceptantem, non pote-
rat is hoc tranſmittere ad Filiam nec ſuitate, nec ſanguine:
ratio, quia Eduardus Infans non deſcendebat ab Henri-
co. Hæc ratio ſumit efficaciam ex textu *in l. Quoniam ſoro-
rem. C. de Iure deliber.* ac propterea D. Maria non poterat
tranſmittere ad Rainutium titulum quem non acceperat:
ergo in hoc caſu beneficium Tranſmiſſionis eſt nullum.

Inſtare poterunt Parmenſes: Primogenitus Regis adhuc XVIII.
Patre ſuperſtite habet in habitu, vt dicunt Iuriſconſulti (ſi *Obiectio*
in radice dicerent, fortaſſe loquerentur aptiùs) ius certiſſi- *altera.*
mum ad Regnum titulo Primogenituræ: ſi obeat ante Pa-
trem, hoc ius tranſit ad eius Filios (hi ſunt Regis Nepotes.)
Ita ex Oldrado & alijs Molina *libr.3. c.6. num.37.* Atqui
idem ius, quod haberet Primogenitus reſpectu Patris, hab[e]-
bat Eduardus Infans reſpectu Regis Henrici; erat enim Fr[a]-
ter ipſius, ac Regni heres. Ergo, ſicut Primogenitus tran[ſ]-
mittit ius ad ſuos Filios; ita & Eduardus ad Infantem M[a]-
riam Filiam ſuam, & hæc ad D. Rainutium.

Reſpondeo, hanc inſtantiam ex multis titulis iam antè XIX.
expoſitis §.10. claudicare; præter quos obiectioni bifariàm
ſatisfacio. Primò, nego paritatem: quia Primogenitus de-
ſcendit ex Rege, non Frater; & ad Tranſmiſſionem deſcen-
dentia requiritur, vt §.17. ſuperiùs demonſtraui. Secundò,
admitto gratis paritatem: inde quid? Nepos non ſuccedit
auo titulo Tranſmiſſionis. Ita docet Ioannes Andreas *ad
Specul. tit. de Feud. ad finem.* Conſentit Abbas *Conſ.85. col.2.
libr.1.* & poſt hos Præpoſitus, Aluarus Vaz *de Iure emph.
q.50. n. 44. col.2. in fine.* Lucas de Pennâ, & Matthæus de
Afflict. quos refert & ſequitur Coſta *de Succeſſ. Regn. pag.22.
verſu, Vnde. & pag.109. & 185.* vbi in ſpecie loquens de
Regno hereditario (tale eſt Portugallenſe) docet, non poſſe
acquiri

acquiri ex Tranſmiſſione. Eiuſdem eſt ſententiæ Antonius Gomez *in l.* 40. *Tauri num.* 65. *verſu ſexto.* Antonius à Gamâ *deciſ.* 174. *num.* 19. *&* *deciſ.* 95. *num.* 2.

### DISPVTATIONIS RESOLVTIO.

XX. Sit igitur ab vniuerſis cognitum, *Dominum Rainutium nullo iure poſſe prætendere iſta Regna.* Demonſtratur:

Si Regi Henrico ſuffici debuiſſet Rainutius, maximè iure vel ſanguinis, vel hereditario, ſiue titulo vel Repræſentationis vel Tranſmiſſionis; vt de ſe patet. Non iure ſanguinis (probo Theor. 2. & 3.) non iure hereditario (expendo Theor. 4. & 5.) non Repræſentationis beneficio (elicio à num. 10. ad 13.) non Tranſmiſſionis titulo (demonſtro Theorem. 7.) ergo nullo.

Ergo demonſtratiuè excluſis D. Antonio, Chriſtianiſſimâ Reginâ Catharinâ, atque Rainutio, pauciores remanent qui de Sceptro decertent, nempe Rex Catholicus, Sabaudiæ Dux, & Infans Duciſſa Catharina.

# DISPVTATIO VII.

## *Vtrùm Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux habeat ius ad Sceptrum inuictæ Portugalliæ.*

NOLVIT Sereniſſimus Sabaudiæ Dux ſe intermiſcere in controuerſijs iſtis: ingenio etenim felici prædítus, cognouit euidenter in hac ſe cauſsâ omni iure deſtitui. Hoc omnes cognouerint clariſſimè, ſi ſequantur me ducem.

*Emanuel Philibertus quis.* Erat D. Emanuel Philibertus ætate iunior quàm Philippus Catholicus Caſtellæ Rex: erat Filius Infantis Beatricis iunioris Imperatrice, Matre Philippi Regis. Hoc conſtat ex hiſtorijs & apologijs vniuerſis. Hoc ſuppoſito, euidenter concluditur, Altiſſimum Regem Catholicum potiùs ius habuiſſe quàm Ducem Sabaudiæ Philiber-



libertum; & ideò in actione ad Portugalliæ ſceptrum à Caſtellano Monarchâ ſuperari.

### ILLATIO.

Ergo iam tandem Oceano vaſtiſſimo emenſo, deueni ad exitum difficultatis. Superſunt Collitigatores duo, Rex Catholicus, atque Dux Infans Catharina. Igitur ſi ſemel demonſtratiuis rationibus & analogiſmis Infantem Catharinam excluſero, remanebit (vt pollicebar in initio) Philippus Prudens, Quinti Caroli Filius, Luſitaniæ, Algarbiæ, Indiæ & Braſiliæ, Littorum Aſiæ & Africæ, nec non Inſularum Oceani legitimus Rex demonſtratus.

# DISPVTATIO VIII.

## *Vtrùm Philippus Caſtellæ Rex, vel Catharina Barganças Duciſſa, habeat legitimum ius ad Regnum Portugalliæ?*

QVINARIVS numerus in Regno Luſitano ſacer. Quinque Libros inſtitui, vt de Regno hoc agerem, intentione, mente, animo, & numeris non niſi ſacris. Veni tandem ad vltimam vltimi Libri controuerſiam, quam hac Diſputatione medullitus examinabo. Abſit adulationis ſuſpicio qualiſcumque, abſit inuidiæ nota: non enim gliſcit animus vel fauere Philippo, vel detrahere Catharinæ, ſed inuenire veritatem. Sit excurſus Deo ſacer, vt ipſe opituletur, & addat examini prudentiam, & iſti certiſſimam reſolutionem. I.

*Quinarius Portugalenſibus ſacer.*

## QVÆSTIO I.

*An Infans Duciſſa Catharina quà Femina debeat excludi à Sceptro Luſitaniæ?*

II. *Mulieres admittuntur in ſucceſſione Regni Luſitanici.*

HAnc difficultatem excitaui, examinaui, reſolui ſuperiùs Quæſtione primâ ſecundæ Diſputationis: inibi decreui, mulieres non excludi à Coronâ inuictè-Luſitanâ: ac ideò reſoluo nunc ex demonſtratis, Infantem hanc non debere à ſucceſſione excludi quà Feminam; eoſque, qui illam iſto titulo eliminant, eſſe omninò imperitos legum Luſitanarum, quas ſpecialiter debemus ſequi.

## QVÆSTIO II.

*An Repræſentationis beneficio Catharina Philippo debuerit anteponi?*

REpræſentationis beneficium eſt moralis quæpiam Patris & Filij identificatio, quâ ſuperſtes Filius induit Patris perſonam, atque politicè cenſetur ſuus Pater.

### ARTICVLVS I.

*An Repræſentationis beneficium admitti debeat in Succeſſione Regnorum Luſitaniæ?*

III. *Repræſentatio excluditur.*

REſpondeo negatiuè. Ratio; quia Repræſentationis beneficium ſolummodò habet locum in hereditate diuiſibili, non in Maioratibus, qui indiuidui ſunt, & toti vnico debentur Succeſſori. In hereditatibus diuiduis eſſet ſumma confuſio, ſi deficeret Repræſentatio; verùm in Maioratu nulla. Suppono verbi gratiâ Ioannem & Paulum eſſe Petri Filios, illum habere duas proles, iſtum quatuor; exque morte Petri ſupereſſe aureos mille. Si Ioannes moreretur



tur ante Petrum, vel eſſent excludendi duo Ioannis Filij, qui erant Petri Nepotes; & hoc eſſet tyrannicum; vel deberent admitti. Si admitterentur, heredes eſſent Paulus atque Ioannis duo Filij; ergo ſinguli haberent ex hereditate $333\frac{1}{3}$ aureos: ergo Ioannis filij plus ab auo obtinerent quàm obtinuiſſet ipſorum Pater Ioannes, ſi non obijſſet: ergo, vt obuiàm iret Politia iſtis inconuenientibus, inuenit Repræſentationis beneficium, quo Ioannis Filij referant ſuum Patrem, & ſic Paulus accipiat 500. aureos, & omnes Ioannis Filij alios 500. ac perinde ſinguli 250. Hæc inconuenientia non reperiuntur in Maioratibus, atque ideò in illis admitti non debet huiuſcemodi Repræſentatio.

Hanc eſſe legitimam Repræſentationis acceptionem conſtat ex textu *in l.1. §.1. verſ. Si filius. §. de Suis & leg.* (*ibi*, in eiuſdem partem ſuccedunt omnes nepotes nepteſque ex eo natæ) *l.2. cum ſeqq. C. eodem tit. §. Cùm filius. Inſt. de Hered. quæ ab inteſtato* (*ibi*, nepotes nepteſque in patris ſui locum ſuccedere) *§. vlt. Inſt. eod. tit.* (*ibi*, portionem ſine vllâ diminutione conſequantur) *Auth. de Hered. ab inteſt. ven. in princ. coll.9.* (*ibi*, illius filios, aut filias, aut alios deſcendentes in proprij parentis locum ſuccedere, tantam de hereditate morientis accipientes partem) *& in §. Si igitur 2.* (*ibi*, tantam ex hereditate, &c.) *& iterùm* (præponantur, ſicut & eorum parens præponeretur, ſi viueret) *& aliàs* (vt in ſuorum parentum iure ſuccedant.) Vbi notandum eſt, hoc Repræſentationis beneficium tam viris quàm feminis conceſſum eſſe, vt colligitur ſatis clarè ex text. *in d. §. Cùm filius. & d. §. Igitur.* (*ibi*, ſiue maſculi ſiue feminæ ſint.) *& iterùm* (filijs aut filiabus.)

### ARTICVLVS II.

*Repræſentationem excludi à Maioratibus, ni in eorum erectione admittatur.*

COmmunis doctiorum reſolutio eſt, in vinculatis bonis, quæ ſunt indiuidua ac maiori debentur, non ha- IV.

bere locum Repræſentationis beneficium. Ita reſoluunt inter alios plurimos ex textu *in l.Tutela. §. Si duo. ff. de Legitimis tut. & in l. Si libertus præterito. §.* 1. *ff. de Bonis liber.* Nicolaus de Mauterel *in l. vltim. C. de Iuriſdict. omn. iud.* Baldus *in l.Liberti, libertæq. nu.*18. *C. de Operib. lib.* & alij quos citat Coſta *de Succeſſione Regni pag.*33. *in fine, cum ſequentibus.* Tiraquellus *de Iure primogenit. q.*40. *à num.* 152. Aluarus Vaz *libr.*1.*Iur. emph. q.*50. *à num.*30. Molina *libr.*3. *cap.*6. *num.*4. *& cap.*8. *num.*11.

In fidei commiſſorum ſucceſſione non capi Repræſentationis beneficium reſoluunt Baldus, & Cũma; & poſt hos alij *in l.Cùm ita. §. In fidei commiſſo. ff. de Leg.*2. Hancque opinionem eſſe communem aſſerunt Aluarus Vaz *vbi ſuprà à num.*32. *verſ. Sed hoc.* & Antonius à Gamà *deciſ.*59. *num.*3. *contra Gloſſam verb. Proximò. in d. §. In fidei commiſſo.*

Fateor eſſe Maioratus aliquos in quibus habeat locum Repræſentatio, ſed hunc non ex communi iure, ſed ex inſtitutione ſingulari.

Aſſeris, ex opinione Oldradi *Conſ.*224. Abbatis, & aliorum Doctorum, in Maioratibus Repræſentationis titulum admitti poſſe; quod probare videntur ex textu *in cap. Licet. de Voto.* quibus ſubſcribunt Guillelmus *in cap. Rainutius. verb. Et vxorem nomine Adelaſiam. num.*619. Antonius Gomez *in d. l.*40. *Tauri num.*65. Alciatus *libr.*8.*Parerg. cap.*15. Coſta *vbi ſuprà pag.* 164. Aluarus Vaz *dict. q.*50. *num.*2. 8. *&* 12. Ioannes Garcia *de Impenſ. c.*16. *num.*16. *ad medium,* Molina *libr.*3. *c.*6. *à num.*3. *&* 9. Bartolus *in Authenticâ Poſt fratres. Cod. de Legit. hered.* & alij quos citant Tiraquellus *vbi ſuprà num.*12. Antonius Gabriel *nu.*16. Antonius à Gamâ *d.deciſ.*307. *num.*14. Antonius Gomez *d. num.*65. Peralta *in Rub. ff. de Her. inſt. num.*121. Couarruuias *in Pract. cap.*38. *num.*6. *verſ. Vndecimò.* Coſta *vbi ſuprà pag.*189. *verſ. Secundò.* Rojas *d. num.*36. Rolandus *in reſponſo pro Triuultijs num.*72. Burſatus *Conſ.*67. *num.*13. *lib.*1. Iacobinus *in Tract. de Feudis col.*13. *& Addition. ad Alex. Conſil.*4. *libr.*4.

Exque



Exque hac opinione iudicatum videmus fuiſſe ſæpiùs Toloſæ, Neapoli, Burdigali, Pariſijs, inque alijs Parlamentis & Conſiſtorijs, teſtibus Grammat. *deciſ.* 1. Coſtâ *verſ. Secundò.*

Reſpondeo, nuſquam fuiſſe mentem meam, hanc con- VI.
cluſionem eſſe extra omnem controuerſiam; quia ſi talis eſſet, cur reſumerem calamum? quæſtio eſt ſanè difficilis, & habet vtrimque propugnantes. Ideò reſpondeo, in Conſiſtorijs illis Senatores vel reſpexiſſe ſpecialia Maioratuum iura, vel operatos fuiſſe iuxta proprium dictamen; cui nuſquam ſubſcribere tenemur. Sufficit nobis habere Auctores illuſtriſſimos, fortiſſimaque fundamenta. Sed eſto, militet contra me non ſolum probabilis, ſed vera ſententia. Concedamus ipſis, poſſe ex iure communi, imò debere admitti Repræſentationem: & inde quid? A Maioratu Regni Luſitanici exploditur particulari lege; quam iam expendo.

## ARTICVLVS III.

*Repræſentationis titulum non habere locum in Regum Luſitanorum ſucceſſione.*

Regna ſapiunt naturam Maioratuum, ac ideò eodem VII.
modo de his & illis debes philoſophari. Conſtat ex textu *in cap. Licet. de Voto. dict. cap. Grandi. de Suppl. negl. in* 6. *iuncto c. Intellecto. de Iur. iur.* Atqui in Maioratibus non habet locum Repræſentatio, niſi in inſtitutione admittatur; ergo nec in Regnis. Atqui in inſtitutione Luſitanici non reperitur clauſula quæ illam admittat: igitur in Regno Luſitanico non debet cognoſci admittíve Repræſentatio.

In Regni Portugallenſis erectione non ſolùm Repræſentatio non expoſcitur, ſed & expreſsè excluditur. Dabo leges Regni in Comitijs Lamegenſibus latas, publicatas ab Ant. Brandão Ciſtertienſi, Vlyſſiponenſis Monaſterij Abbate, Viro diligentiſſimo, *in Monarchia Luſitanicæ Part.*3. *libr.* 10. *cap.* 13. vbi ſic:

 LEX

VIII. Lex III. *Viuat Dominus Rex Afonſus, & habeat Regnum. Si habuerit Filios Varones, viuant, & habeant Regnum, ita vt non ſit neceſſe facere illos de nouo Reges. Ibunt de iſto modo: Pater, ſi habuerit Regnum cùm fuerit mortuus, Filius habeat, poſteà Nepos, poſteà Filius Nepotis, & poſteà* Filios Filiorum in ſæcula ſæculorum per ſemper.*

* *Magis Latinè diceres*, Filij Filiorum

Lex IV. *Si fuerit mortuus primus Filius viuente Rege Patre, ſecundus erit Rex; ſi ſecundus, tertius; ſi tertius, quartus; & deinde omnes per iſtum modum.*

IX. Ecce Regalis Maioratus inſtitutionem. Heres eſt Filius Patris, qui habebat Regnum cùm moreretur: ergo excluditur Repræſentatio; quia virtute huius etiam potuiſſet ſuccedere Auo Regi Filius Primogeniti ipſius Regis: qui Primogenitus nondum habebat Regnum cùm moreretur. Præponit *Lege* 4. Filium ſecundum Nepoti ex primo: ergo euidentiſſimè colligitur, Repræſentationis beneficium excludi à Regno Luſitanico.

Hinc infero, etiam admiſsâ illorum opinione, qui exiſtimant, de iure communi debere admitti in Maioratibus Repræſentationem, hanc eſſe eliminandam à Maioratu Regni Portugallenſis; quia, vt vidimus, exploditur iure ſpeciali. Obijcis: Lex linguâ Luſitanicâ non dicit, *Pater, ſi habuerit Regnum cùm fuerit mortuus, Filius habeat*; ſed, *Por morte do Pay heredarà o Filho.* hoc eſt, *Ob mortem Patris hereditariò ſuccedet Filius.* Ergo, licet Pater non ſit Rex, poterit Filius ſuccedere Auo Regi, excluſo Filio Regis ſecundo. Hac ergo lege Luſitanicâ non excluditur Repræſentatio.

Reſpondeo, Antonium de Brandão *Monarch. Luſit. Part.*4. *libr.*10. *c.*13. tranſtuliſſe hoc modo, ſed fortè habuit ab alio; quia habeo manuſcriptum antiquius, in quo eadem Comitiorum tranſlatio. Reliquùm, tranſlator, quiſquis ſit, non eſt aſſecutus ſententiam nec periodi ſenſum; & ideò, relictâ tranſlatione, ſtandum eſt protocolo, dato vt vidimus in Latinâ linguâ. Si placeat legere omnes Comitiorum Lamegenſium leges, habes ſuprà Libr.2. Diſp.1. Art.4.

AR-



## ARTICVLVS IV.

*Hanc Legem in Comitijs primis ac Regni inſtitutione latam eſſe iuſtiſſimam, iuri communi conſonam, atque rationi conſentaneam.*

Lex illa citata, eſt tam expreſſa, vt non indigeat ali- X.
quâ expoſitione: ceterùm, doctrinæ penitioris cauſsâ potuiſſe, imò debuiſſe in illis Comitijs celeberrimis, vbi creabatur Rex Afonſus Henriquez, tale ius inſtituere, breuiter demonſtrabo.

### RATIO PRIMA.

Populi ante electionem Regis erant totius auctorita- XI.
tis atque Coronæ Domini, vt non viderit nemo. Coronam atque auctoritatem donauerunt Regi & ipſius Succeſſoribus. Textus *in l.*1. *ff. de Conſti. Princ.* (*ibi*, Populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contulit.) Ergo in Coronâ Luſitanicâ non habet Repræſentatio locum. Patet Conſequentia; quia Repræſentatio non cognoſcitur in rebus quæ habentur ex conceſſione Dominicâ. Ita reſoluit Bartolus *in Auth. Poſt fratres.* 2. *C. de Leg. hered.* cui ſubſcribunt Fulgoſius, Cornelius, Paulus, Cumanus *in d. §. In fidei commiſſo; in fine.* & alij, quos refert Aluarus Vaz *vbi ſuprà num.* 13. *& num.* 12. *verſ. Poſtremò.* Molina *libr.*3. *c.*7. *num.*12. *&* 13.

*Populus Coronæ dominus quando?*

### RATIO SECVNDA.

Confirmatur eadem lex ex Ord. *libr.*2. *tit.*17. *§.*1: Agi- XII.
tur inibi de ſucceſſione in bonis Coronæ; & ait, deuiuenti vltimo poſſeſſori debere ſuffici Filium maiorem nātu inter eos qui ſuperſint: vnde clariſſimè excludit Nepotes. Ergo in Sceptro Luſitanico non cognoſcitur Repræſentatio; quia aliàs contempto nepote poſtumo ex Filio maiore, non deberet Rex audire ſecundus ſiue tertius Filius.

Hunc

Hunc textum feliciter ponderat Coſta *ſuprà pag.*29. & *pag.*37. & 164. *in princ.* Aluarus Vaz *d.q.* 50. *num.* 13. Gama *deciſ.*174. *num.* 2.

XIII. Præter eà in fidei commiſſis, quæ Regnum redolent ſuo modo, decernitur ab Ord. *libr.* 4. *tit.* 62. *§.*3. nec Nepotem nec Neptem Auo ſuccedere, ſed ſecundum Filium; ac perinde excludit clariſſimè beneficium Repræſentationis. Hanc excluſionem adnotarunt Coſta *pag.*173. *verſ. Diuerſum.* Aluarus Vaz *d. q.*50. *in fine, cum ſeqq.* Antonius à Gamâ *deciſ.*307. *num.* 24.

Denique Lex 13. *titul.*1. *Extrauagantium ſextâ parte* diſponit, in bonis vinculatis ſuccedere propinquiorem vltimo poſſeſſori, atque ideò præponit Filium ſecundum Filio Filij primi; quia propinquior eſt vltimo poſſeſſori Filius alter quàm Nepos. Hanc legem militare expreſsè contra Repræſentationem docuerunt Coſta *paginâ* 131. Antonius à Gamâ *deciſ.*307. *num.* 4. & *deciſ.*385. *num.*3. Aluarus Vaz *vbi ſuprà num.*34. *ante finem.* Et ita ſæpè iudicatum vidimus fuiſſe in hoc Regno, vt notat & recenſet Antonius à Gamâ *d. deciſ.*307. *num.*2.3. & 24. *cum ſeqq.* & *deciſ.* 174. *num.*2. 9. & 11. vbi aſſerit, ita reſpondiſſe conſultum Emanoëlem Luſitanorum Regem; & *deciſ.* 385. *num.* 3.

## RATIO TERTIA.

XIV. *Repræſentationis ius eſt nouum.* REpræſentationis beneficium priuilegium eſt, quod conceditur poſteris contra regulas antiqui iuris. Conſtat ex tex. *in Auth. de Hered. ab inteſt. ven. §. Si igitur.* 2. *verſ. Huiuſmodi autem priuilegium.* & *in §. Si autem cum fratribus. (ibi,* tale priuilegium dedimus*) collatione* 9. vt optimè notarunt Aluarus Vaz *quæſt.* 50. *num.*4. & 6. *verſ. Et cùm ius.* & Antonius à Gamâ *deciſ.* 174. *num.* 15. Illud autem beneficium quid? iam anteà expoſui *in primo Articulo, num.*3. ſed iterùm breuiter: Repræſentationis beneficium eſt fictio quæpiam Metaphyſica, & veritas rata moralis. id enim Patrem & Filium politicè identificat, qui phyſicè



phyſicè diſtinguebantur; ideò qui aliàs eſſent duæ hypoſtaſes, virtute Repræſentationis vniuntur hypoſtaticῶs; hocque in ſenſu non naturali, ſed politico. Ita reſoluit Baldus *in d. l. De tutelâ. §. In fine.* Tiraquellus *de Iure primogen. q.*40. *num.*134. & 228. Couarruuias *in Pract. cap.*38. *num.*4. *verſ.*3. *Ad intellectum.* Aluarus Vaz *d. verſ. Et cùm ius.* Antonius à Gamâ *deciſ.* 59. *num.* 3.

Fictionis priuilegia non debent admitti niſi in caſibus, qui illa ſpecialiter petant, manifeſtâ expreſſione. Conſtat ex textu *in l. Quod verò. l. Ius ſingulare. ff. de Legibus. l.*1. *in fine. ff. Conſt. Princ. cap. Sanè de Priuil.* Aſſerunt Baldus *in l.*1. *in princ. C. de Legibus.* Iaſonius *in l. Non tantùm. vbi Alex. in princ. ff. de Re iudicatâ.* Corſetus *ſing. extenſio. incip. Diſpoſit. col.*2. Rochus *de Iure Patris. verb. Ipſe vel is. num.*81. *cum ſeq.* Fauent ſatis efficaciter *l. Lex Cornelia. iunctâ gloſſâ, verb. Non exiſtimo. ff. de Vulg. l. Pater inſtituto. §. vltimo.* & hîc Doctores *ff. de Captiuis.* Ita reſoluunt Alexander *Conſ.*10. *nu.*5. *lib.* 1. Chaſſenius *in Conſuetudinibus*, Burgos *rubr.* 7. *§.* 4. *gloſſ.*3. *num.*8. Confirmatur validè & expreſsè ex textu *dicti verſ. Huiuſmodi. (ibi,* nonnulli alij) vbi & id notat gloſſa. XV. *Eſt fictio.*

In hereditatibus diuiduis (ſic eas Iuriſconſulti nominant, quæ inter heredes diuiduntur; ſicut & indiuiduas, quæ vni, huicque maiori, ac propiori debentur, quales ſunt Maioratus) expreſsè admittitur Repræſentatio. *§. Cùm filius. Inſt. de Hered. quæ ab inteſtato. d. Auth. de Her. ab inteſt. ven. §.*1. XVI.

Item admittitur hoc beneficium in Feudorum ſucceſſione, nempe in illorum quæ in ſuâ erectione atque inſtitutione fuerunt talia, *c.*1. *§. His verò. de Succeſſ. fratr. c.*1. *in princ.* & inibi gloſſa *verb. Solus. de Naturâ ſucceſſ. feud.* Ita intelligunt textus huiuſmodi. ex illis reſoluunt Nicolaus *in d. l. vltim.* Angelus, & alij, quos citat & ſequitur Coſta *de Succeſſ. Regn. pag.*34. & 184. vbi & aſſerit hanc eſſe communiorem ſententiam. Conſentiunt Aluarus Vaz *d. q.*50. *nu.*4. & 7. Molina *libr.*3. *cap.*6. *num.*47. ſubſcribentes Præ- XVII.

poſito *in cap.*1. *num.*10. *verſ. decimo nono. de feud. March.* & alijs,quos citat Tiraquellus *de Iure primog. quæſt.*40.*num.*20.

XVIII. Ex his principijs demonſtratis clariſſimè breuis analogizo: Repræſentationis beneficium eſt quodpiam fictionis priuilegium; (probaui num.14.) hoc habet locum in hereditatibus diuiduis, (num.16.) & in feudis, ſi ab inſtitutione ſint talia, (nu.17.) non alibi, niſi expreſsâ clauſulâ exigatur; (num.15.) Atqui Regnum Luſitanicum non eſt diuidua hereditas; eſt etenim Regalis Maioratus, qui indiuiſibilis vni debetur: in ſuâ inſtitutione non fuit feudum; non enim eſt acceptum à Rege Caſtellæ vt feudum, ſed vt Dos Tarejæ, vxoris Comitis Henrici, Matris Afonſi, primi Luſitanorum Regis. Ceterùm, expreſsâ clauſulâ non exigit hoc beneficium, imò expreſsâ lege eliminat, vt vidiſti (num.8.) ergo Repræſentationis beneficium non cognoſcitur in ſucceſſione Coronæ Luſitaniæ.

XIX. *Obiectio.* Conſiderans rationis huius efficaciam, aſſeris, Repræſentationis beneficium iure conceſſum eſſe illis omnibus hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur, *d. Auth. de Hered. ab inteſt. in principio (ibi,* omnes ſimul ab inteſtato cognationum ſucceſſiones) in quibus verbis non comprehendi non poteſt Regum ſucceſſio, ni contrarium fuerit lege particulari latum: quia hoc beneficium omnibus debet competere, quibus lex in verborum proprietate conueniat. Textus *in cap. Ad audientiam. de decimis. l. Cum lege. ff. de Teſtam.* vbi optimè notauit Aret. & Dec. *in c. Cauſſam quæ. n. vlt. de Reſcript.* atque poſt alios Couarr. 2. *Part. de Sponſ. cap.*8. *§.*8. *n.*8. Pariſienſis *Conſ.*22. *n.*6. *&* *Conſ.*73. *libr.*4. Aldobrandus *num.*47. *in princ. Inſtit. de Excuſat. tut.* Molina *libr.*4. *c.*5. *num.*28. Subſcribunt plurimi, quos citat Tiraquellus *de Iure mariti, gl.*5. *n.*76. *&* *in Tract. Le mort. part.*2. *decl.*4. *n.*8. Couarruuias *d. num.*8. Baldus *in l.*2. *C. de Iure aurei annuli.* ex textu *in l.*2. *in princ. ff. de His qui not.*

XX. *Satisfactio.* Reſpondeo, iſtam legum extenſionem non vbicumque admitti ab illis qui textum *in d. c. Statutum. de Elect. in* 6. fuerunt

fuerunt



fuerunt ſpeculati. ibi lego, *declaramus non extendi.* & iterùm, *cùm ſit perſonale, reſtringi potiùs conuenit quàm laxari.* Repræſentatio autem non niſi perſonalis eſt.

Ceterùm, quidquid ſit de ampliatione legum, eſt in opinione omnium certiſſimum, non poſſe extendi contra tenorem legis Prouincialis. Ideò ius Cæſareum, & commune, limitandum, explicandum, reſtringendum ampliandumque venit legibus Luſitanis in hoc Regno, non autem è contrario. Atqui lege Luſitanicâ (num.8. edidi) exploditur Repræſentatio: ergo contra hanc Prouincialem & ſpecialem legem non debet ius commune ampliari. *Iuris Cæſarei limitatio.*

XXI. *Obiectio.* Dices, hanc legem non eſſe euidentiſſimæ, ſed ſolùm probabilis auctoritatis, atque ideò non admittendam eſſe.

*Reſponſio.* Reſpondeo ex Doctore Antonio Brandão, Vlyſſiponenſis Monaſterij Abbate, *in Monarchia Luſitana Part.*3. *libr.*10. *cap.*3. *§.*1. aliquos hanc & alias leges latas in Comitijs Lamegenſibus, creantibus primum Luſitanorum Regem, credidiſſe non ſolùm eſſe indubitatæ auctoritatis, ſed & maiore dignas fide, quàm alia autographa, quæ in archiuis atque Turre *do Tombo*, inque alijs publicis locis conſeruantur: cur igitur eis non ſubſcripſeris?

XXII. *Probabilitas in conſcientiâ ſufficit.* Reliquùm, eſto; ſubſcribere teneamur ipſi Brandão aſſerenti, has leges ſaltem eſſe probabilis auctoritatis. An non in rebus politicis atque moralibus ſufficit probabilitas? aut ſi eſſet neceſſaria euidentia, quis mortalium leges diceret, ſiue ſententias ferret? Angeli præficerentur Tribunali, non homines: hi enim rationales ſunt, & probabilibus motiuis ducti, non niſi probabilia decernunt. Ideò optimè Doctores aſſerunt, ſententiam, quæ ſit probabilis ſcholaſticè, eſſe in moribus demonſtratiuè veram: improbabile enim eſt, eum peccare qui ſequitur partem probabilem.

## RATIO QVARTA.

XXIII. PRæterea Repræſentationis beneficium liquidiùs innoteſcet, ſi examinemus cauſſam & finem. Id conceditur,

tur, vt nepotes defuncti eſſent in æquo gradu cum defuncti filio, illorum patruo, ne remanerent exheredes. Conſtat ex textu *in d. §. Cùm Filius. (ibi,* pariter ad hereditatem aui vocantur) *dictâ Auth. de Heredibus ab inteſt. in princ. (ibi,* cum Filijs & Filiabus,&c. Nepotes vocari ſancimus) *l. Vt inteſtato. C. de Suis, & legit. (ibi,* pariter ſuccedant) ita vt intentum legum ſit, quòd Nepotes participent ex bonis, quæ aliàs deberentur vni Patruo; non autem concedunt Nepoti, quòd excludat Patruum ab hereditate, vt clariſſimis verbis docuerunt ex his textibus Cyn. & Salyc. *in l. Si viua. Cod. de Bon. mat.* Regnum eſt indiuiduum, ac vni ſolummodò debetur, *c. Imperialem. §. Præterea Ducatus. de Prohib. feud. alien. per Fred.* Atqui ſi in his Regnis admitteretur Repræſentatio, Nepos non participaret ex Regno, quod aliàs debitum eſſet Patruo, ſed hunc omnino excluderet: ergo non debet admitti Repræſentationis beneficium.

RATIO QVINTA.

XXIV. *Legum anima eſt æquitas.* Repræſentationis beneficium vel innititur æquitati, aut non: ſi non, eliminandum igitur; non enim leges iniquas tenemur tolerare: ſi in æquitate ſitum ſit, eſt neceſſarium, quòd ad Maioratus (in quorum erectione non exigitur) non extendatur. Ac ideò excurro ſic:

Repræſentatio eſt fundata in ſummâ iuris æquitate. Colligo ex textu *in d. §. Cùm filius. (ibi,* æquum enim) *l. 1. §. Si Filius. (ibi,* quod naturali æquitate contingit) *ff. de Suis, & leg.* vt optimè poſt Fortunatum notat Coſta *de Succeſſ. Regn. pag. 152. verſ. Nec retrahere.* Ergo ceſſante æquitate, ceſſat Repræſentationis fictio. Colligo ex *lege Poſtliminium. in princ. ff. de Captiuis. l. Nec vtilem. ff. Ex quibus cauſſis. l. Qui in vtero. ff. de Stat. hom.* Ita poſt alios reſoluit Tiraquellus *in Retract. ceſſante cauſſâ. primâ par. n. 110.* & agens de Repræſentatione, *d. q. 40. num. 218.* Ceterùm, quis non videat magis eſſe æquum, vt Regi Filius alter ſuccedat, quàm Nepos? Filius etenim deuiuenti Regi propior eſt. Proderit vidiſſe *l. Eius militis. §. Militia. ff. de Milit. teſt. iunctâ gloſſ. verb. Quocumque modo. & text. in Authent. De non alien. §. Quia veroſimile. in fine.* Ex quibus locis meæ ſententiæ accinunt Tiraquellus *de Cauſſâ ceſſ. limit. 11. num. 4.* Pinellus *in l. 2. C. de Reſc. vend. Parte 3. c. 1. num. 15.* Molina *libr. 4. c. 3. à nu. 9.* Ideò æquiſſimè Lamegenſium Comitiorum Lex 3. (dedi num. 8.) alijs omnibus præponit Filios Regum. Ideò ſanctiſſimè in noſtrâ Hiſpaniâ in pluribus Maioratibus Filius alter præponitur Nepoti vel Nepti.



RATIO SEXTA.

Ivuat hiſtorias recenſere, & praxim antiquiſſimam examinare. Carolus Siciliæ Rex habuit duos Filios, nempe Carolum Martellum, & Robertum. Carolus Patre ſuperſtite promouetur ad Coronam Vngariæ, & genuit Carolum etiam Vngariæ Regem. Moritur Carolus Martellus adhuc viuente Patre. Et ſuperſunt Carolo Regi Siciliæ Filius alter, & Nepos: collitigant hi de Regni ſucceſſione. Quis Iudex? vtrique equidem communis nemo. Concordi animo Bonifacium VIII. Pontificem Maximum eligunt, & omnes Cardinales. Coniungitur Purpuratorum Conſiſtorium: cauſſa examinatur; ratio iuris expenditur. Decernitur, in Regnorum ſucceſſione non debere admitti Repræſentatiuæ fictionis titulos, ac perinde Siciliæ Regnum deberi non Nepoti, ſed ſecundo Filio, videlicet ipſi Roberto. Sententia mandatur executioni, & Robertus à Siculis ſufficitur poſtumo Patri. Huius ſententiæ æquitas conſtabit liquidò ex textu *in Clem. Paſtoralis. de Re iudicatâ.* Expendit curioſè Bartolus *in Auth. Poſt fratres. 2. C. de Legit. hered.* Baldus *in l. 3. C. de Suis, & legit.* poſtque alios plurimos Matthæus de Afflic. *in c. 1. in princ. num. 60. de Alien. feud.* Tiraquellus *d. quæſt. 40. n. 10. & n. 162.* Iacobus à Saa *num. 15.* Coſta *de Succeſſ. Regn. pag. 183.* Antonius Gabriel *libr. 4. Comm. tit. de Succeſſione ab inteſt. concl. 2. num. 2.* Antonius à Gamâ *dict. deciſ. 307. num. 14. col. 5. & deciſ. 385. num. 1.* XXV.

Eee 3 Similis

XXVI. Similis lis agebat animos in Aragoniâ. Adſpirabant ad Coronam Regis poſtumi Filius & Nepos. Eligitur Dionyſius Luſitanorum Rex Iudex in cauſsâ, exque ipſius decreto acclamatur Aragoniorum Rex Filius, non Nepos. Ita notauit Antonius à Gamâ *in dict. deciſ.*307. *num.*4.

XXVII. *Analogiſmus.* Ex his duabus ſententijs analogizo ſic: Leges Luſitaniæ vel admittunt Repræſentationem, vel eliminant, vel de illâ nihil ſtatuunt affirmatiuè aut negatiuè. Si primum dixeris, da legem Repræſentationem approbantem: herculè nec reperies vnam. Si ſecundum aſſeras, poteris oſtendere Lamegenſem (num.8. citatam) & Ordinationes (quarum num.12. memini) ſed & ſubſcribes mihi, Repræſentationis beneficium à Regum Luſitanorum ſucceſſione ſeuerè eliminanti. Si affirmes tertium, eſto; aſſentior gratis. Nihil de Repræſentatione leges Regni diſponant; nihilominùs Luſitanorum Regum ſententiæ debent nobis eſſe ceu leges. Doceor à *cap.*1.*de Nouis oper.cap.In cauſſis.de Sent. & re iud.* Sequor in hoc iudicio Tiraquellum *d. q.*40.*n.*162. & præcipuè in Regno Portugalliæ, propter Ordin. *libr.*2. *tit.*5. *§. vlt.* Coſtam *de Succeſſ. Regn. pag.*185. *verſ.Ergo.*

Præter hos Auctores, Filium alterum Nepoti præferendum eſſe in cauſsâ Regni, docuerunt itidem Bartholomæus de Capuâ apud Matthæum de Afflict. *vbi ſuprà num.*88. & alij duo, quos refert Tiraquellus *dict. q.*40. *num.*15. Cuiacius *libr.*2. *de Feud. tit.*11.

## ARTICVLVS V.

### *Aliquorum Argumentis reſpondeo.*

XXVIII. NIhil tam certum, quod non habeat rationes, quibus in dubium reuocetur. Ideò Catharinæ Infantis aduocati, cùm viderent ſolâ Repræſentatione procedere potuiſſe, nullum non mouerunt lapidem, vt conuincerent, hanc neceſſariò admittendam eſſe. Subijciam argumenta potiora, & illis ex ſolidiſſimis principijs ſatisfaciam.

OB-



### OBIECTIO PRIMA.

SVmma erat æquitas, vt in omni ſucceſſione Repræſentatio poneretur: hanc conſiderat textus *in d. c. Cùm Filius. verſ. Æquum.* Hoc Repræſentationis beneficium non videtur nouiſſimis annis introductum; quia *Eccli.*30. legimus: *Mortuus eſt Pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* cui conſonat *l.vlt. ad fin. Cod. de Impub. cap. Iam itaque.* (ibi, *vnus erat cum illo,* nempe Pater cum Filio) 1.*q.*4. Et optimè reſoluit Tiraquellus *in l.Si vmquam. in Præf. num.*15. *& d.q.*40. *num.*34. ideò viſum fuit conueniens, vt Filius Patri in iure ſuccederet, & haberet quantum ipſius Pater ipſiſſimus, ſi ſuperuiueret. *d. §. Cùm Filius. d. Auth. de Hered. ab inteſt. §. Si igitur.* 2. *l. Vnica. in fine. Cod. de His qui ante apert. tab. in princ. verſ. Et priùs. Inſt. de Senatuſconſ. Tertull.* Et hæc ratio non ſolùm conuincit de rebus diuiduis, ſed de Maioratibus, & ipſis Regnis. XXIX.

RESPONDEO, teſtimonium illud Eccleſiaſtici non agere de Repræſentatione in iure politico & ciuili, ſed de illâ quæ conſiſtit in morum virtutumque ſimilitudine; atque ideò perperàm ex illo infertur æquitas huius beneficij.

Prætereà, nuſquam dixi beneficium Repræſentationis eſſe vbique iniquum, ſed in Regnorum ſucceſſione. Quòd ſi nec in Regnorum ſucceſſione eſt iniuſtum, ſaltem nondum eſt iuſtum, quia nondum legitimo decreto latum. Ceterùm, in Regno Portugallenſi tale beneficium eſſe iniquum, quis ambigat, cùm videat id eſſe contra huius Regni Leges, vt ſuprà non ſemel demonſtraui?

### OBIECTIO SECVNDA.

EXempla reperiuntur plurima in Regnis peregrinis, vt probetur admitti titulum Repræſentationis. XXX. *Obijciuntur exempla.*

Nepotem præferendum eſſe ſecundo Filio, decretum eſt in ſucceſſione Regum Angliæ, vt refert Baldus *in l. Ex hoc iure.ff.de Iuſt. & in d. Liberti. num.*18. Afflict. *in c.*1.*in princ. num.*117.

*num*.117. *de Nat. ſucceſſ. feud.* Grammat. *deciſ.*1. *num*.17. Iacobus à Saâ *d. Tract. nu*.15. Coſta *de Succeſſ. Regn. pag*.190. Cuiacius *libr*. 2. *de Feud. tit*. 11.

Id ipſum iudicatum eſt à Galliarum Rege, teſte Grammat. *vbi ſuprà*, & Tiraquello *d. q*.40. *num*.11.

Id ipſum practicatur in Hungariâ Regum decreto, vt conſtat ex Tiraquello iam citato.

Etiam Repræſentationis beneficium admiſſum eſt ſententiâ publicâ in Britanniæ Ducatu, & alijs locis. Legi in Cuiacio *dict. tit*.11.

RESPONDEO, nos non teneri ſubſcribere decretis peregrinis. In illis prouincijs, eſto, titulus Repræſentationis admittatur: ergo & in Luſitaniâ admitti debet? non valet Conſequentia: non enim debet hoc Regnum legibus ſubeſſe peregrinis, & temerare proprias: ex Angliâ enim, Galliâ, Hungariâ, Britanniâ, non veniunt ad Hiſpaniam Leges.

## OBIECTIO TERTIA.

XXXI. *Obijciũtur Hiſpanorum leges.* VIs vrgere me legibus Hiſpanis, vt tandem cedam. Ais, Repræſentationis beneficium admiſſum eſſe in Hiſpaniâ, docuerunt Paulus Caſt. *Conſ*.164. Couarruuias *verſ. Vndecimò.* Coſta *vbi ſæpè pag*. 165. *verſ. Vnde.* Peralta *in d. Rubr. num*.122. Molina *d. c*.6. *n*. 3. & 9. Antonius Gomez *in d. l*.40. *num*.65. *in fine*, Rojas *d. c*.5. *n*.38. Ioannes Garcia *vbi ſup. c*.16. *n*.26. omnes ex Lege 2. *tit*.5. *Part*.2. vbi dicitur: *Y aun mandaron, que ſi el Fijo mayor murieſe antes que heredaſe.* cui iunge verſ. *Pero con todo*, &c. Hanc legem reſpexiſſe videtur Dominus Iames Aragoniorum Rex, cùm fecit iurari in ſucceſſorem Petrum nepotem ſuum ex Infante Alfonſo primogenito; ne eſſent quæſtiones poſtumæ, ſi Alfonſus deuiueret ante ipſum Iamam. Ita refert Çurita *libro Annalium ſexto c*.57. Vnde arguis ſic:

Repræſentationis beneficium admiſſum eſt in Hiſpaniâ: Luſitania Regio Hiſpaniæ eſt; ergo & in illâ fuit admiſſum.

RESPONDEO, in Peninſulâ Heſperiâ tres comprehendi Hiſpa-



nias, Luſitanicam, Bæticam atque Tarraconenſem; quarum prima diuerſis legibus & conſtitutionibus quàm reliquæ gubernabatur. Ideò dico ex horum Doctorum teſtimonio, eſſe liquidum, Repræſentationem admiſſam fuiſſe in Hiſpaniâ Bæticâ atque Tarraconenſi, non verò in Luſitanicâ: nam ante Philippum II. nomine Hiſpaniæ vix intelligebatur Portugallia.

## OBIECTIO QVARTA.

VEnis ad ipſam Coronam Luſitaniæ; inque eâ debere habere locum Repræſentationis beneficium probas ex Regis Ioannis I. Teſtamento, in quo legitur: XXXII.

*Item fazemos noſo Teſtamenteiro, & compridor de todalas couſas, que aqui em eſte Teſtamento mandamos, & eſtablecemos o Infante Duarte meu Filho primogenito, & herdeiro, que prazendo a Deos deſpois de noſſos dias ha de ficâr por Rey & Senhor destes Reynos & Senhorios; ou ſeu Filho, ou Neto lidimo deſcendente per linha direita, ſegundo ſe requere per direito & coſtume em ſoccesſam deſtes Reinos & Señorios; ou algum de meus Filhos per ſua direita ordenança: ſ. primeiramente o Infante Dom Pedro, & deſpois de ſua morte ſeu Filho, ou Neto na maneira dita.* *Teſtamentum Ioannis I.*

Audi D. Ioannem meâ induſtriâ iam Latinè loquentem:

*Inſtituimus noſtrum Teſtamentarium, exſecutoremq; omnium legatorum, quæ in hoc Teſtamento exponuntur, Infantem Eduardum Filium meum primogenitum, heredemq;, qui Deo auſpice ſuccedet mihi deuiuenti Rex & Monarcha in his Regionibus Prouincijſq;; aut eius Filium, aut Nepotem legitimum per rectam ſeriem deſcendentem, vt requiritur ex iure & vſu in ſucceſſione horum Regnorum; aut ex meis Filijs aliquem per rectum ordinem: ſcilicet primò Infantem D. Petrum, & poſt eius mortem ipſius Filium aut Nepotem, iuxta normam expoſitam.* *Prima traductio.*

Iuriſconſultis D. Infantis Catharinæ hoc teſtimonium videbatur intentum penitus conuiciſſe; ſed, vt vidiſti, de XXXIII.

 Teſta-

Teſtamentarijs agit, non verò de ſucceſſione in Regno. Idcircò Teſtamentarium nominat Eduardum, vel eius Filium Nepotémve, vel ſuum Filium alterum Petrum, eiúſve Filium aut Nepotem.

Dicis, poſſe aliter Luſitanicum textum Latinum fieri, Secunda. nempe: *Inſtituimus noſtrum Teſtamentarium, legatorumq; omnium exſecutorem * * * Infantem Eduardum Filium meum primogenitum, heredemq; qui Deo auſpice ſuccedet mihi poſtumo Rex & Dominus in his Regnis Dominijſq; aut eius Filius, aut eius Nepos legitimus deſcendens per lineam rectam, vt requiritur ſecundum ius & vſum in horum Regnorum ac Dominiorum ſucceſsione; aut aliquis ex meis Filijs per eorum rectam categoriam: ſcilicet, primò Infans D. Petrus, & poſt eum ipſius Filius aut Nepos, iuxta modum expoſitum.*

XXXIV. Torquetur ſenſus ad ſucceſſorem decernendum, qui tantùm Teſtamentarium deſignabat. Ceterùm, eſto, determinet qui debeant ſibi deuiuenti ſuccedere. Ait ſibi poſtumo aut Eduardum, aut eius Filium, aut Nepotem, aut ſuum alterum Filium Petrum nomine, aut huius Filium, aut Nepotem ſufficiendum eſſe. An non hoc quomodocumque verum? Diſiunctiua Propoſitio eſt: illa autem diſiunctiua eſt vera, cuius altera pars eſt vera. Ideò ex hoc Teſtamenti textu nihil colligitur contra iam datam reſolutionem; quia ſiue admittatur Repræſentatio, ſiue non, ſemper verborum tenor poterit proprijſſimè verificari.

*Diſiunctiua Propoſitio eſt vera, cuius altera pars eſt vera.*

XXXV. Cur hoc non addam? Etiam ſi littera eſſet expreſsè contra nos (quæ, vt vidimus, nec impugnat nec fauet, ſed decernit ſucceſſorem eſſe futurum hunc vel alterum, iuxta regulas iuris decernendum) vnde ſcimus illam eſſe authenticam? an credere debemus aduerſarijs Archiuorum poſſeſſoribus, qui ſaltem potuerunt omnia autographa inuertere, alterare, mutare? Accedit, quòd Antonius à Gamâ dubitet de veritate huius Teſtamenti *deciſ.* 174. *num.* 14. & alij multi: ideò impunè potuiſſet reijci, ſi aliquid contra nos iudicaretur ſtatuere.

*Teſtamentum hoc eſt incertum.*

OB-



## OBIECTIO QVINTA.

Extat epiſtola Regis Afonſi V. ad Comitia Regni, cuius XXXVI. fit mentio in allegationibus pro Infante Catharinâ *q.* 1. *num.* 42. & *quæſt.* 2. *num.* 23. & *quæſt.* 3. *num.* 16. in quâ declarat eſſe voluntatem ſuam, quòd Ioannes, aut ipſius Filius, aut Nepos in Regno ſuccederet; non tamen ſuus alter, quem fortè ſuſciperet ex ſecundâ Vxore, quam ducere determinauerat.

*Afonſi V. Epiſtola.*

Responsio. Proh dolor! quid facturi ſumus, dicturi quid? iam bella mouent aduerſarij non legibus; his enim demonſtratiuè ſatisfecimus; non iure, quod pro nobis ſtare, ſicut & illas, demonſtrauimus. Quærunt litteras, quibus nos debellent. O ambitionis immenſam cæcitatem! Non nego Regum Epiſtolis auctoritatem, quibus aliquando meam ſententiam corroboro: concedo tamen debilem, ſufficientem concipiendæ opinioni, non firmandæ. Reliquùm, me duce, Epiſtolæ huius littera non hoſtibus, ſed nobis fauet. Egeo attentione. Volebat Luſitanorum Rex Afonſus V. ducere Vxorem alteram: Primogenitus timet, ne, ſi ipſe ante Afonſum deuiueret, ſecundæ Vxoris Filius Patri Afonſo, excluſo Primogeniti Ioannis Filio, heres ſufficeretur; alterum Matrimonium impedit. Afonſus vt compos intenti fieret, ſecundæ Vxoris Filium declarat exheredem: ergo cæci non videre non poterunt, Afonſi Primogenitum atque Primores Regni in Comitijs in eâ fuiſſe ſententiâ, vt aſſererent, poſſe contingere vt Filius ſecundæ Vxoris Patri Afonſo ſuccederet, non Filius Ioannis Auo. Hæc igitur Epiſtola potiùs contra ipſos militat; exponit enim Senatorum ſententiam (quæ & noſtrâ) cui obuiàm ibat Afonſus iſtâ proteſtatione: quæ cùm ſit per modum Epiſtolæ, contra leges, in damnum tertij, & ſine cauſâ, nullam poterit habere auctoritatem. Ad penitiorem huius Epiſtolæ intelligentiam adnotato, in Rege duas poſſe Perſonas conſiderari, publicam, & priuatam. Tunc Rex operatur vt perſona

*Epiſtolarum Regum auctoritas.*

 publica,

publica, cùm in Concilio, vel conſulto Senatu; tunc vt priuata, cùm proprio Marte. Leges, inſtituta, edicta, conſtitutiones ſemper ferre præſumitur tamquam perſona publica, non tamquam priuata & peculiaris. Teſtamentum etiam vt perſona publica condit; quia hoc eſt inſtrumentum publicæ auctoritatis. Epiſtolas aliàs mittit vt particularis homo, aliàs vt publicus. Diſcrimen cognoſcitur à litterarum argumentis. Si ſint de rebus perſonalibus, priuatum indigitant auctorem; ſi de communibus, non ſemper publicum, ſed cùm à Concilio Regis nomine, vel à Rege conſultis Senatoribus. Reſcripta Regum, cùm hi operantur tamquam perſonæ publicæ, habent vim legum; non tamen cùm hi operantur vt homines particulares. Ceterùm, Afonſus V. ad Comitia Regni ſcribens pro Filio ſuo, agit de rebus perſonalibus contra Comitiorum ſententiam; ac ideò velut homo priuatus: ac perinde hæc Epiſtola non habet politicam auctoritatem; haberet tamen, ſi cenſeretur à Concilio vel conſulto Senatu fuiſſe miſſa. Ex hac obſeruatione,quæ ſolidiſſima eſt,intelligendus & exponendus venit Bartolus *lib.2.C.de Leg.* Decius *in Rubr.de Reſcript.in princ.* Paulus de Caſtro *l.1.ff.de Conſtitut.Princip.* qui videntur diminuere Epiſtolarum auctoritatem; & Suarius *lib.3. de Leg. c.15.n.22.*qui videtur augere. Vide Iaſonem, Angelum, Felinum, Burgos de Paz,quos refert & ſequitur citatus Suarius.

### OBIECTIO SEXTA.

XXXVII. *De Rege Sebaſtiano.* SEbaſtianus I. Ioannis III. ex Filio Ioanne Nepos, ſuccedit Auo. Ergo iam in Regno Luſitaniæ datur Repræſentationis beneficium, quo Nepos Auo ſufficiatur.

RESPONDEO, nullum ſuperfuiſſe Ioannis III. Filium cùm deuiueret; quia Afonſus, Catharina, Beatrix, Emanuel, Philippus, Antonius, & alter Afonſus ab ineunte infantiâ è medio, vel, vt aptiùs loquar, à vitæ limine ſublati ſunt. Filius vltimus fuit Ioannes, Pater Sebaſtiani, qui ſuperuixit Auo; ac perinde ſine litis aut controuerſiæ



trouerſiæ aliquâ occaſione hereditario titulo Regi poſtumo ſuffectus eſt.

### CONCLVSIO.

COnſtet igitur liquidò, Repræſentationis beneficium non habere locum in ſucceſſione Regni Luſitanici, ac perinde non debere Infantem Duciſſam Catharinam hoc titulo Catholico Regi anteponi.

## QVÆSTIO III.

*An eadem Infans Dux debeat Catholico Regi præponi quà Agnata Regis Cardinalis.*

VOluerat Excellentiſſima Duciſſa Bargançæ Catharina Patrem induere & repræſentare; vt fictione illâ politicè-virilis facta, Catholici ius debellaret: ceterùm, intentum non obtinuit. Omiſſis ergo Patribus, quos repræſentare in hoc caſu non licet, ſecundùm circumſtantias Perſonales debemus diſcurrere, pro illoque iudicare cuius ſit potius ius, & euidentior actio. XXXVIII. *Femina politicè vir quæ?*

### ARTICVLVS I.

*Agnatos Cognatis anteponendos eſſe.*

AGnatorum atque Cognatorum diſtinctio magna in iure, & eius apud Scholaſticos notitia multa. Agnatos dicimus qui veniunt per lineam maſculinam, *l.Sunt autem.ff. de Leg. tut. verſ.Sunt autem.* Cognatos illos, in quorum lineâ Femina quæpiam reperiatur, *l. Inter agnatos. ff. Vnde cognati. text. in princ. verſ. Sunt autem. Inſt. de Leg. agnat. tut.* XXXIX. *Cognati & Agnati diſtinctio.*

Agnatos Cognatis anteponendos eſſe in ſucceſſione,doceor à textu *in l.1. ff. Quis ordo in bon. poſſ. l. Ad inteſtati.5. l. Patruo.7. C. de Legit. hered. text. in princ. Inſt. de Succeſſ. cognat.*

 Dicis,

XL. *Obiectio.* Dicis, diſcrimen illud, quod ius antiquum cognouerat & ſtatuerat inter Agnatos & Cognatos, iam hodie reuocatum eſſe à textu *in d. Auth. de Hered. ab inteſtato. §. Si verò neque. verſ. Nullam. & verſ. Sed in omnibus. & in Auth. Poſt fratres.* 1. *in fine, C. de Legit. hered.*

*Satisfactio.* Sed reſpondeo ex Molinâ *libr.* 3. *cap.* 41. *n.* 2. & 4. ſublatam eſſe differentiam in hereditate diuiſibili, videlicet in illâ ad quam vocantur Agnati atque Cognati futuri participes; atque ideò decernitur, vt tam illi quàm hi recipiant æqualem partem. Reliquùm, in hereditate indiuiſibili, qualis eſt Maioratus, Comitatus, Ducatus, Regnum, non vocantur participaturi omnes heredes, ſed ſolummodò vnus, nempe propior & dignior; atque ideò in tali caſu Agnatus eſt anteponendus.

XLI. *Satisfactionis confirmatio.* Reſolutionem hanc manifeſtiorem facio ex ſpeculatione aliquot textuum, nempe *in l. Lege. C. de Legit. her. §. Ceterùm. Inſt. de Leg. agn. ſucceſſ.* Decernebatur, vt vir etiam in rebus diuiſibilibus præponeretur feminæ, ita vt in diuiduâ hereditate pars maior, melior & potior viro cederet; minor atque ignobilior feminæ. *l. Maximum vitium. C. de Lib. præter. & d. l. Lege. d. §. Si verò. verſ. Nullam.* reuocant illum abuſum, & tollunt talem diſtinctionem, decernentes, virum feminæ non debere anteponi, ſed hereditatem æquè vtrique deberi, ac perinde hunc & illam æqualem portionem recepturos. Nihilominùs, licet ſublata ſit viri & feminæ differentia; in rebus indiuiduis hereditario iure poſſidendis ſi concurrant, ille præfertur feminæ, ex omnium opinione, quamlibet ſeniori. Ita diſpoſuit Ord. *libr.* 4. *tit.* 62. *§.* 3. & *l.* 12. *titul.* 1. *p.* 6. *Extrauag.* & diffinit Molina *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 4. Hinc Argumentum. Diſtinctio inter virum & feminam antiquo iure ſtabilita tollitur à recentiore lege; & nihilominùs in Maioratibus vir præponitur feminæ. Ergo ſimili modo, quamuis diſcrimen inter Agnatum & Cognatum, quod veteres leges ſtatuerant, auferatur à neoterico iure, in Maioratibus cognato agnatus erit anteponendus.

AR-



## ARTICVLVS II.

### *Feminis Cognatis Agnatas anteferendas eſſe.*

XLII. AGnationis prærogatiuam celeberrimam non ſolùm in viro conſiderem, ſed in muliere.

*Obiectio.* Inueheris contra reſolutionem hoc ratiocinio: Illa perſona eſt agnata, in cuius rectâ lineâ nulla femina valeat reperiri; atqui hoc in feminâ non verificatur: ergo non dantur feminæ agnatæ, ſed hæc qualitas competit viris. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt certa ex his quæ ſuprà prælibauimus. Minorem probas: In illâ rectâ lineâ reperitur illa ipſamet femina; ergo iam illa linea non eſt agnationis, ſed cognationis: non enim omnes, quos continet, ſunt viri.

Nec valet dicere, à feminâ vltimâ præſcindendum eſſe, & reliquos conſiderandos. Probas à ſimili: Dubitant Theologi, vtrùm poſſit dari aliqua ſubſtantia quæ ſit ſupernaturalis, hoc eſt ſuper omnem naturam. Reſpondent negatiuè: ratio, quia illa eſt natura; cumque non ſit ſuper ſe ipſam, non poterit eſſe ſuper naturam omnem: quia datur aliqua natura (nempe eadem ſubſtantia) ſupra quam non fuerit. Ergo ſimiliter non poterit dari femina, in cuius rectâ ſerie non ſit femina: eſt enim opus quòd ſit ipſa; & hoc ſufficit vt illa ſeries dicatur habere feminam; ac perinde non eſſe agnationis, ſed cognationis meræ.

XLIII. *Reſponſio.* His non obſtantibus, leges contrarium diſpoſuerunt, decernentes; in genealogijs, vt agnatio à cognatione diſtinguatur, vltimas perſonas non conſiderandas eſſe, ſed ſolùm intermedias: atque ideò dari poterunt agnatæ feminæ. Conſtat euidenter ex textu *in l. Pronuntiatio. ad finem. ff. de Verborum ſignificat. §. Ceterùm. Inſt. de Leg. agn. ſucceſſ.* Accinit Pariſienſis *Conſ.* 35. *in princ. & n. vlt. l.* 3. Hinc ad argumenta in contrarium dicendum, in agnatione non iri conſideratum Perſonam vltimam, ſed ſolùm intermedias.

Femina agnata etiam ſi ducatur Vxor, agnata remanet: *l. Volun-*

*l. Voluntas. C. de Fidei commiſſ.* vbi Paulus & Iaſonius *in princ.* Molina *lib.*1. *c.*6. *num.*39.

Si habeat Filios, etiam agnata remanet, ſed Filij erunt cognati. Patet; quia in horum aſcendentiâ rectâ reperitur femina: *d.l. Pronuntiatio.*195. *§. Familiæ. in fine. vbi gloſſ. cum l. ſeq. ff. de Verb. ſignificat. d. §. Sunt autem.* Videantur Annal. Dec. Curt. & qui poſt eos Molina *libr.*1. *c.*6. *num.* 40. *& deinceps, & libr.*3. *c.*5. *n.*1. *&* 69.

